35
30
89
———
1.5'4

'Adorider ~ baar ~

Inhalt

1. Nicolai de Sepulchris Haebreorum.

2. De Usu Dialectorum Orientalium praecipue Arabicae in haebraico Codice &c.

JOHANNIS NICOLAI

Antiq. Prof. in Academ. Tubing.

LIBRI IV.

DE

SEPULCHRIS HEBRÆORUM:

IN QUIBUS

Variorum populorum mores proponuntur, multa obscura loca enucleantur, usus approbantur & abusus rejiciuntur, genuina Hebræorum Sepulcrorum forma ostenditur, illorumque ritus in illis exhibentur

ET FIGURIS ÆNEIS ILLUSTRANTUR.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud HENRICUM TEERING, Bibliop.
è regione Academiæ in angulo plateæ dictæ de Klok-steeg.
MDCCVI.

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO

DN. ERNESTO LUDOVICO.

LANDGRAVIO HASSIÆ, PRINCIPI HERSFELDIÆ, COMITI CATIMELIBOCI, DECIÆ, ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ, SCHAUMBURGI, ISENBURGI ET BUDINGÆ &c.

DOMINO & PRINCIPI SUO CLEMENTISSIMO

HUNC

TRACTATUM

CUM

VOTO OMNIGENÆ PROSPERITATIS, FELICISSIMI IMPERII, INCONCUSSÆ VALETUDINIS,

SUBJECTISSIME

DAT, DEDICAT, SACRAT

AUCTOR.

QUÆ mihi adhuc, *Serenissime* ac *Celsissime Princeps*, causæ fuerunt, quæ me nunc ad hoc qualecunque meum opusculum dedicandum impulerunt, brevibus jam explicabo. Et ut uno verbo dicam, Generis Serenitatis Tuæ vetustas, nobilitas Majorum splendidissima, in me quoque beneficia magna, cum Gissæ degerem, collata. Nam quod attinet *Famliam Serenissimam*, nullis quicquam cedit *Europæ* familiis, (quippe ex nomine ipso hoc augurandum; quippe *Celsissima Domus Hassiaca* videtur nomen traxisse à *Marte* ipso, qui antiquis As, vel Hess, dictus, fuitque *Iapheti* filii *Noachi* nepos & *Gomeri* filius,) cujus Insignia Ideam Principis Christiani ante oculos ponunt, ubi primo se sistit mihi *caper exiliens* fortiter pro grege pugnans & commissum solito ducens amore gregem, uti elogium hoc tribuit *Serenissimæ Domui Bernhard Prætorius in Eclog. funebri Celsissimi ac Potentissimi Guilielmi Dn. Philippi F. & Guilielmi II. Hassiæ Landgravii* his verbis:

Ex hac quæ superest se casside Barbiger effert
Cui gregis hirsuti Dux amat esse, caper.

Symbolum sanè *generosi animi*, qui alter ille tutatrix Deus & invictus clypeus, quo se præmunire Princeps necesse habet, si ita ad gubernaculum re-

rerum ſedere velit, ne ſub pondere illo curarum ſuccumbat & animum abjiciat, ſed ut palmæ inſtar oneroſo Sceptro aſſurgat; quare & in Inſignibus additur *Stellis armatus & alis*, quæ & alias Principe dignas virtutes ſignificant. Nam pulchra & propria hæc illorum imago eſt, qui mentem ſervant liberam & ab omni fraudem pigmento alienam. Inprimis autem ſignare videntur beneficia in Subditos maxima. Sicut enim ſidera illa ſplendorem habent, ut uſibus mortalium deſerviant; ita & hoc, *Sereniſſime Princeps*, præſtas, cum beneficentiſſimus in Subditos & omnibus egenis ſubſidio præſtò es. Imò ſtella notat verbum Dei, quæ in *corde Tuo* ut ſtella lucidiſſima ſplendet, quod ceu ſtellam polarem ſequeris in regimine Tuo laudatiſſimo, ſub quo veluti ſub alis expanſis Subditi quietè degunt: Hinc etiam factum ut Fama Tua, *Celſiſſime Princeps*, volitarit per orbem & pietatem admirentur. Sed quid de *Leone* læva parte ſentiendum? Nonne, *Sereniſſime Princeps*, à Deo ad gubernandam Rempublicam conſtitutus, ut bonos defendas & malos punias? Hinc optime hoc expreſſit *Sereniſſimus b. m. Princeps Mauritius* in quadam Inſcriptione portæ *Smalkaldienſi* affixa his verbis:

Sed Leo juſtitiæ typus eſt, cui nobilis ira
Parcens ſubjectis ſueta domare feros.

En! Magiſtratus boni officium, quod maxima laude geris, *Princeps Celſiſſime*, pacem conſervas, recte judicas, probos tueris, malos punis, afflictos è manu violatoris eripis, nemini injuriam infers, nec innocentem profundis ſanguinem, peregrinos, viduas, orphanos & pauperes defendis, eoſque paterno quaſi tractas affectu, ut merito quadret in Te ſymbolum illud *Philip. Picinelli fol.* 403. *Leoni* inſcriptum: *Omnibus idem*. Erga bonos comis, ſermone affabilis, vultu amabilis, ut merito de Serenitate Tua dicere cogar, quod *Bernhardus Prætorius in Eclog. funebri Celſiſſ. & Sereniſſ. Princ. ac Domini Guilielmi Dn. Philippi Fil. Dn. Guil. II.* refert de *Philippo Juniore*, qui *Rheinfeldii* 12. *Kal. Decemb.* 1583. obiit, dixit: omnibus acceptus, redamatus ab omnibus Heros, indigenis, alienigenis, illuſtribus, imo ſummis & minimis fuit, nec enim fas,

Principis à facie quenquam diſcedere triſtem.

Nihil jam dicam de *cornibus galeiſque*, quæ in Inſignibus conſpiciuntur & documenta ſunt *Generoſitatis*, cui galeatum caput ardentiſſime precor. *Galea* tametſi in ſolius capitis tutelam accommodata ſit, attamen epigraphen accipere poteſt TOTVM SERVAT. Enimvero capitis incolumitatem certa totius reliqui corporis ſanitas conſequitur.

Op-

Opportune *Cornelius à Lapide in Ephes.* Galea principem corporis partem, puta caput ipſum, à quo cætera membra, totuſque homo pendet, tuetur. Sit itaque caput Tuum, *Sereniſſime Princeps*, galeatum ab omnibus periculis & morbis tutum, ita & membra non habebunt aliquid, ut conquerantur; ſed tuta & incorrupta ſub capite tuto erunt. Obſervandum autem quod in Inſignibus *Celſiſſimæ Domus Haſſiacæ* unus tantum Leo inter alios coronatus conſpiciatur, quo forſitan ad jus primogenituræ reſpicitur, ubi primogenitus ſceptra tenet. Et hactenus etiam ſumma prudentia, juſtitia, magnanimitate, temperantia, urbanitate geſſiſti, ut jure *Serenitatem* inter Chriſtianos Principes referre poſſim. Ut ergo ad alias virtutes & laudes *Serenitatis Tuæ Celſiſſimæ* redeam, illa ſane ſilentii pede non tranſeunda, quod *Muſarum* inſignis *Fautor & Patronus* ſit, ita ut ipſa artibus liberalibus imbuta. Multorum ſane hodie animi ſtulta ſtolidaque opinione ſunt imbuti, ut Muſas atque literas Principibus fraudi magis, quàm laudi, & dedecori potius, quàm decori ſint; verum inſanam, barbaram ac brutam iſtorum hominum opinionem vivo quaſi exemplo refellis ac refutas ipſe, *Celſiſſime Princeps*, cum literas omni ſtudio foveas, & illis adminiculo ſis, quod & ipſo exemplo meo teſta-

ripossem, si in his deprædicandis prolixus esse vellem. Interim tamen hoc silentio non prætereundum, quod cum paucis ab hinc annis *libellum de Triumphis Romanorum* dedicarem, illum tanto favore acceperit, ut nil nisi comitatem & beneficentissimum Principem intelligerem. Quare ut meam gratiarum actionem aliquo modo devoto ostenderem, hunc libellum de *Sepulcris Hebræorum* *Serenitati Tuæ Celsissimæ* sacrum devotissime esse volui. Agit quidem de Sepulchris; sed longe absint Sepulchra à *Serenitate Tua & Celsissima Familia*; potius floreat & vigeat quam longissime, quam diutissime. Accipe ergo, *Serenissime Princeps*, hanc tesseram, quam subjectissime offert humillimus Cliens & favoris radiis illustra, tunc Sepulcra hæc non tumulata erunt.

Tuæ Serenitatis

Dabam Tubing. die 16. Novembr. 1705.

devotiss. Cliens

JOHANNES NICOLAI

Antiquit. Prof. Tubing.

PRÆ-

PRÆFATIO.

CUM sæpissime in Sacra Scriptura Sepulchrorum Hebræorum mentio fiat, & non omnibus constet, qualis & quænam illorum forma, & situs fuerit; hinc in illorum gratiam nobiscum constituimus, paulò uberius hanc materiam tractare, ut certitudo illorum eò melius pateat. Non dubitamus ergo quin Tractatus hic rei literariæ magno usui futurus. Descripsimus quantum fieri potuit ex Sacra Scriptura & Rabbinorum scriptis horum formam aliasque ceremonias, quæ ad ornatum horum requirebantur. Accipe serena fronte, Benevole Lector, hunc Tractatum, & perlegere dignare. Habebis certe non ubivis obvia. Vale & me ulterius favore & amore persequere.

Viro Nobiliſſimo ac Excellentiſſimo,

DN. JOHANNI NICOLAI,

PROFESSORI IN PERANTIQUA UNIVERSITATE TUBINGENSI ANTIQUITATUM P. QUAM CELEBERRIMO, FAUTORI SUO HONORATISSIMO,

S. P. D.

JOH. CHRISTOPH. PFAFF, Th. D. & P. P. *ac Theologici ibidem Stipendii Superattendens.*

SEpulturæ quæ cauſa ſubſit atque ratio, frequens inter vivos quæſtio eſt. Pluribus ſuadere eam τὸ πρέπον videtur, quòd indigna res foret, ſi corpora, quæ tam honeſtè habita, præſertim ad Patris cœleſtis imaginem renovata, membra viva Chriſti, Sanctique Spiritus fuerant templa, ſtercorum ad inſtar negligerentur. Funeribus quidem, humo tegi & à vermibus terræ potiùs quàm volucribus cœli conſumi, haud adeò glorioſum cenſebant Gentiles, quibus illuſtrior rogus videbatur quàm tumulus.

lus. Quin canes in Hircaniâ, quibus objecta cadavera, alebantur, dicti inde ſepulchrales. Scythæ inter epulas mortuorum carnes deglutiebant. Maſſagetæ ac Derbices propinquos, cum ſenuiſſent, devorabant jugulatos, honeſtiùs intra ſe condi, quàm à vermibus comedi, putantes. Plures tamen cadavera cremabant, Romani quippe, Græci, Galli, & apud Tacitum, ipſi quoque Germani. Tanta verò tot Gentium ſtultitia indicio eſt, *ipſas ſpem non habuiſſe*, quæ præcipuum ſepulturæ fundamentum. *Stulte tu*, inquit Paulus, *quod ſeminas, non reviviſcit, niſi prius computruerit.* Et Deus ipſe ad hominem lapſum: *Terra es*, præſertim in tumulo, *& in terram*, in reſurrectione ſc. juxta Iſidorum, *reverteris.* Quò ſpectat & illud Prudentii:

Quæ pigra cadavera quondam
Tumulis pateſacta jacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.

Hinc maxima cura ſepulcris
Impenditur, hinc reſolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.

Quidnam ſibi ſaxa cavata
Quid pulchra volunt monumenta,
Niſi quod res creditur illis
Non mortua ſed data ſomno?

Sapienter itaque, Vir Excellentiſſime, non tàm Gentilium, quibus Ἀνάστασις fabula ac irriſio, Mauſolea, quàm Ebræorum eruis dormitoria. Sic enim ex mediâ mortis caligine ſtudiis facem affers ſanctioribus, vivis delicias, Tuique Nominis celeberrimi memoriam clariſſimis conſecrans monumentis. VALE & bono publico VIVE.

Tub. 9. Cal. Jun.
A. clↃ IↃ CCIV.

IN-

INDEX CAPITUM HUJUS TRACTATUS DE SEPULCHRIS HEBRÆORUM.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

X.

IN NOMINE JESU

TRACTATUS DE SEPULCHRIS HEBRÆORUM, ET IIS, QUÆ AD SEPULCHRA PERTINENT.

PROLOGUS.

De Sepulchris illorumque formis apud Hebræos usitatis quædam tradere nobiscum constituimus, materia sanè utilissima, quæ sæpe in Scriptura Veteris & Novi Testamenti occurrit. Cum autem pauci formas Hebræorum veterum Sepulcrorum intelligunt, quia à nostris planè diversæ erant; hinc in subsidium illorum, qui non solum sacra Biblia legunt, sed & ad intelligendum Scripturæ sensum gestiunt, quædam de his eorumque ornamentis & quæ alia ad illa pertinentia in medium proferre voluimus, minimè dubitantes, quin rei literariæ maximo usui futura sint. Argumentum est nobilissimum & maximè necessarium, quod nocte dieque mente revolvere debemus, quia nostrum ultimum domicilium, in quo usque ad extremum judicium morari nos oportet. Accipite hæc Lectores B. serenis frontibus, Deumque Ter Optimum

Maximum precibus flagitate, ut nos omnes Spiritu ſuo regat, quo Sepulcra nobis ſemper ante oculos ponamus & mortalitatem & pietatem diſcamus.

LIBRI PRIMI

CAPUT I.

De Nomenclatura Hebræorum.

I. In Nomenclatura Hebræorum, quæ de Sepulcris & rebus ad Sepulcra pertinentibus agit, varia nomina examinanda veniunt, quæ ſi accuratius evolvantur, magnam lucem accendunt iis, quæ in ſequentibus tractanda erunt. Inter hæc primo loco ſe offert *Theca* ſeu *vas* Hebræis voce ארון dicta eſt *Geneſ.* L. 26. Quamvis autem hoc in loco ſit caſus extraordinarius; reperimus tamen eandem vocem apud Rabbinos de ordinario loculo pronunciari: vid. *Comment. in Bava Batra* 6. 8. quam ſententiam etiam retinet Angl. Interpres, qui interpretatus eſt: *And he was put in an arke*, quod *Henricus Ainsworth. Commentar. in h. l. fol. m.* 172. *edit. Lond.* ita explicat: *an arke or chiſt, coffin: to be ready at their removall out of Ægypt.* vid. cl. *Buxtorff. Lexic. Rabbino-Talmudic. fol. m.* 224. Retinet etiam nomen hoc *Paraphraſ. Chaldaic.* quæ per *arcam* exponit: vid. *Paul. Fag.* Calculum addit *Schindler. in Lexic. Pentaglott. fol. m.* 122. qui ארון; ſignificare dicit *arcam*, *ciſtam*, *ſcrinium*, *thecam ligneam* ad res inanimatas conſervandas paratam. *Targum* in hoc loco ponit בארונא, Targum Hieroſolymitanum בְּגְלוֹסְקְמָא quod eſt Græcum *γλωσσόκομον*, *loculus*, *feretrum*, *capulus* qui & Latinis arca.

II. Multa de hac arca referunt Rabbini, dicentes: *Joſephum* ſibi ipſi de hac ante mortem proſpexiſſe, fabricatâ in hunc finem arcâ, uti *Aben-Ezra* ad h. l. per ה Emphaticum in voce בָּאָרוֹן præfixô ב Kametzato incluſum innui hariolatur: וטעם בקמצות הבית היא שהכין לנפשו:, *Ratio cur in* בָּאָרוֹן *litera* ב *habeat Kametz (quaſi δεικτικῶς Moſes dixerit: poſitus eſt in arcam illam) hæc eſt, quia eam ſibi ipſi præparaverat.* Aliam verò punctationis

nis causam adfert *Chassekuni*: בארון הב"ת בקמץ ללמדך שבחיי בחרוהו לו והכינוהו בכל שאר אבות לא הוזכר ארון:, *Litera* ב *in voce* בָּאָרוֹן *cum Kametz scripta est, ut docearis, quod vivente adhuc Josepho eam sibi elegerint & fabricarint: de nullo cæterorum Patriarcharum mentio fit alicujus arcæ.* Nemo itaque erit, qui non fateri cogatur per ארון arcam feralem, aut capulum, vel loculum, sive sarcophagum intelligi. *Jonathan Ben Vziel in Targum Hierosolymitan.* uti paulò ante diximus, transtulit גלוסקמא quod ipsum Græcum γλωσσόκομον *lib.* II. *Anthol. c.* XLVII. *carm.* I. *vers.* de loculo funebri usurpatum. Ex his satis patet per ארון *thecam* seu loculum funeralem indicari, cui inclusus fuerit *Josephus*.

III. B. *Sebastianus Schmidius* in recentissima Bibliorum versione reddit *Vrnam*. Quod materiam communiter tradunt fuisse ארון של מתכת fusilem, h. e. metallicam, vel æneam, vel ferream; nam vox מתכת quodcunque fusile notat, & de quovis metallorum genere potest accipi. Imò ex plumbo conflatam fuisse quidam arbitrantur. Ita in *Pthirath Mosche fol.* XVI. *col.* 2. ארונא של יוסף של עופרת היה, *capulus Josephi fuit plumbeus.* At *Arabs Patricides*, cujus verba cl. *Johan. Henric. Hottinger lib.* I. *Smegmat. Oriental. cap.* VIII. *pag.* 379. excerpsit, *Josephum capulo marmoreo inclusum* scribit. Non solùm autem *Josephi* cadaver loculo inclusum asserit cl. *Heidegger. in Patriarch. histor. Exercit.* III. *§.* 60. *pag. m.* 113. sed etiam fratrum & aliorum Patriarcharum, qui in *Ægypto* obiissent, probatque opinionem ex cap. VII. *Act. vers.* 16. & *Joseph. Antiquit. Judaic. lib.* II. 4. Quæ sententia non adeò improbabilis videtur. Antiquissimus etenim est ritus defunctorum corpora *thecis* vel *loculis* includere.

IV. Quod ad quantitatem attinet; ex Rabbinorum Scriptis colligitur, quod longitudo IV. cubit. latitudo VI. palm. totidemque profunditas fuerit. *Pthirath Mosche* loc. cit. statuit quinque cubitorum fuisse: conf. *Præcell. Joh. Benedict. Carpzov. dissert. Philolog. de Sepultur. Joseph. Patriarch. edit. Lips.* 1697. de quibus in sequent. cum de forma Sepulchrorum acturi sumus, pluribus agetur. Modò hîc monuisse juvat, quod ארון loculus, *theca* vel *capulus* fuerit, cui cadavera includerentur, & in quo conservarentur. Qui mos in hunc usque diem retentus fuit.

V. Huc referimus etiam illud משכב, 2. *Paralip.* XVI. 14. quod à radice שכב descendit, significatque *cubuit*, *jacuit*. Dicitur (1) de habitantibus, *Levit.* XXVI. 1. *Sam.* XXVI. (2) de *dormientibus*, qui jacent, *Psalm.* LVII. *Job.* XXVII. (3) *de mortuis*, qui dormientibus haut absimiles sunt, 2. *Samuel.* VII. 12. *Esai.* XLIII. 17. & aliis in locis plurimis. Unde משכב *lectus funeris*, 2. *Paral.* XVI. confer. *Schindler. Lexic. Pentaglott. fol. m.* 1851. Vid. clar. *Buxtorff. Lexic. Rabbino-Talmudic.* fol. m. 2386. Et benè hoc vocabulum Sepulcris seu feretris vel lectulis funebribus convenit, quia corpora in illis recondita jacent, ac si in cubilibus dormirent; hinc non incommodè *dormitoria* dici possent.

VI. Instrumenti index videtur esse מטה *lectica*, de qua 2. *Sam.* III. 31. & *in Bava Batra.* Descendit à radice נטה *reclinavit*, unde מטה lectus reclinatorius: vid. fol. 1333. *Lexic. Rabbino-Talmud.* Lectus in quo reclinat, decumbit, se extendit & jacet somnum capiens, ægrotus, aut mortuus: lectus dormientium, cibum capientium, ægrotantium & cadaverum: confer. *Schindler. Lexic. Pentaglott. fol. m.* 1111. ubi plura. Ejusmodi lectica occurrit in funere Abneri l. c. quod aliàs nomen communiter usurpari solet de lecto, in quo dormimus, seu cibum capimus, qualem lectum locabant in conclavi *Eliæ*, 2. *Reg.* IV. 10. in quali recumbebat *Jacob* ægrotans, *Gen.* XLVIII. 2. XLIX. 33. ubi Anglus semper legit BED. Plura de hac voce attulit *B. Geier in Commentar. ad Proverb. Salom. c.* XXVI. 14. ut proinde idem sit nomen recubitorii nostri, tum quando dormimus quotidie, tum quando dormituri sumus somnium mortis diuturnum, de quo saluberrime cogitabimus semper lectum nostrum adituri aut aspectantes, revocantesque in memoriam illud à *lecto* ad *lethum*.

VII. Locus considerandus venit, qui vel (1) à *forma* dicitur מערה *spelunca*, *caverna*, *Genes.* XIX. & habitabat *Lot* in *spelunca*. Angl. *And he dwelt in a cave. Gen.* XXIII. & dedit mihi מְעָרַת הַמַּכְפֵּלָה *speluncam duplicitatis.* Est enim *spelunca seu specus cavitas petræ*, *aut terræ*, *tanquam os in labia deductum. Isidor lib.* 14. 9. Specus est fossa sub terra, qua prospici potest. *Anglus Thomas de S. Quercu* ita describit speluncam; *a den or cave in the earth*, *or hole in the rock.* Ita vocatur sepulchrum Patriarcharum מערה & passim *Lazari* σπήλαιον *Joh.* XI. 38. Christi

σπήλαιον & ἄντρον à Scriptoribus Ecclesiastic. apud D. *Quenſted. de ſepultur. veter. pag.* 247. *ſeq. Talmudici* obſervante *Buxtorffio in Lexic. Rabbino-Talmudic. fol. m.* 2343. diſtinguunt inter hæc vocabula, & iis eſt בור *Ciſterna rotunda*, שוח *foſſa longa & anguſta*, מערה ſpelunca quadrata tecta tabulato, cui tamen ineſt orificium. Ex his ſane conſtat, qualem formam מערה habuerit. Non enim de qualibet ſpelunca, ſed tantum quadrata orificium habente dicitur; cum aliàs alia quoque dentur vocabula, quæ ſpeluncam ſignificent, quæ tamen quoad formam ab hac diſtinguuntur. Vel (2) *à fine* קבר *Gen.* XXXV. 20. קברה appellatur. Nomen קֶבֶר *ſepulchrum* deſcendit à radice קָבַר *operuit terra, ſepelivit, tumulavit.* Unde קבר ſepulcrum in hunc finem factum, ut cadavera in illud conjiciantur. Ita etiam notat actionem & locum ubi quis jacet: vid. *Schindler. Lexic. Pentaglott. fol. m.* 1582. *Buxtorff. Lexic. Rabbino-Talmudic. fol. m.* 1963. (2) notat etiam apud Rabbinos uterum mulierum, quia aliquando eſt ſepulcrum infantis, cum in utero moritur. *Henricus Ainsworth. Comment. in Geneſ.* XXXVII. 35. *fol. m.* 135. *edit. Londin.* vocabulum קבר exponit ſepulchrum, quod manibus cavatum & confectum, quando ita diſſerit, diſcrimen faciens inter hoc & שאל *grave, the word meaneth not the grave digged or made with hands named in Hebrew* קבר *but the common place or ſtate of death, here called in Hebrew Scheol.*

VIII. Clar. Fridericus *Mullerus* Profeſſor quondam Giſſenſ. ſtatuit, vocabulum שאל in Sacris aliquando ſignificare *Sepulchrum*, quando ita diſſerit: Non dubium eſt, quin aliquando שאל in Sacris ſignificet ſepulchrum. Conſtat hoc ex *Geneſ.* XXXVII. 35. *&* *Pſalm.* XVI. 10. Ad probandam hanc ſuam opinionem *Rivetum* adducit, *Exerc.* 151. *f.* 576. *in Gen.* 37. Verum huic opponimus verba *B. Johannis Eberhardi Buſmanni Præceptoris quondam mei fideliſſimi in Academia Helmſtad.* quæ leguntur in *diſſertatione Philolog. de Scheol Hebr. edit.* 1682. Poſtquam enim ille omnia loca Scripturæ accurata diligentia perpendiſſet §. XV. in hæc erumpit verba: Hæc ſunt loca illa (non plura nec pauciora) in quibus vocabulum שאל in Codice Hebræo uſurpatum reperies. Quibus omnibus & ſingulis probè conſideratis, cuivis, nî fallor, ad oculum patebit, nullum eorum (excepto forſan uno vel altero, de quo tamen adhuc dubitari poteſt) de

Sepulchro necessario esse intelligendum (Dico necessario, non pauca enim, si primo intuitu rem consideres, non incommodè de eodem, dummodo cætera forent paria, intelligi & accipi posse non negârim) multa tamen contra ita esse comparata, ut de Sepulcro nullo modo intelligi possint, nec debeant. Loquuntur illa omnia vel *in genere* de obscuro, abscondito & omni hominum viventium consortio ordinarie remoto quodam loco (qualis Græcis est vel erat ᾅδης) eoque omnium infimo (qualis est profunditas maris, vel potius venter ceti in profundo maris, inferiores partes terræ, abyssus seu vorago quædam subterranea, & similia) vel *in specie*, & quidem magis, ut videtur, propriè, de loco illo, vel potius statu, qui hominem excipit post mortem. Quam sententiam firmis argumentis in citata dissertatione probat, quæ evolvatur.

IX. Consentiunt his non pauci è Theologis & Philologis, quorum testimonia è B. *Luthero*, *Matthia Flacio*, *Davide Chytræo*, *Jacobo Heerbrando*, *Salomone Gesnero*, *Balthasar. Meisnero*, *D. Johann. Gerhardo*, *Daniele Cramero*, *Johanne Tarnovio*, ut & (quantum ad Reformatos) è *Paulo Fagio*, *Matthia Martinio*, *Petro Ravanell.* aliisque collegit *D. Grabius.* Nos ut dictis fidem faciamus, unum vel alterum inprimis integrum Lutheri locum, prolixiorem quidem, verum sententiam nostram egregiè illustrantem, hîc adscribemus, & quæ à *Dn. Grabio* omissa sunt, addemus. Ita ergò *Lutherus* in enarrationibus seu Commentario in Genes. ad c. XLII. *v.* 38. Necesse est, ait, aliud esse קבר & aliud שאול. Sicut autem Sepulcrum קבר commune est tam piis, quàm impiis; ita & שאולה. Hæc certa res est, & petita ex usu sacrarum Literarum, nisi quod hæc est differentia. Sepulcrum קבר propriè terra est, quæ effoditur, & in qua conditur corpus mortuum, multi enim moriuntur, qui non humantur, ut qui laniantur à bestiis, aut in crucem aguntur, aut cremantur, illis non conceditur sepultura, & tamen omnes dicuntur descendere ad infernum ex hac vita. Recte ergò hæc distinguuntur, ita ut sepulchrum sit locus, in quo corpus, ossaque demortuorum reconduntur certo tempore, certa persona & loco: שאולה autem commune quoddam receptaculum, non corporum tantum, sed & animarum, ubi omnes mortui congregantur. *Augustinus* vocat abdita receptacula animarum in *Enchiridio ad Laurentium cap.* 109.

X. Est

X. Eſt igitur Chaos illud nobis quidem incognitum, in quo non eſt differentia locorum, temporum, perſonarum, quo deſcendunt etiam hi, qui carent ſepulchris. Eſt locus communis, ſi modò locus dici debet, non pro corpore, ſed pro anima. Propriè igitur & definitivè שאולה locus vel receptaculum eſt animarum. Qualis autem ille locus ſit, infinitis quæſtionibus à veteribus diſputatum & quæſitum eſt. Nobis hæc differentia ſufficiat, quod ſicut corpus ſervatur in terra, ita anima reſoluta venit in ſuum שאולה ſcheolah. Nec traduntur diverſa ſcheolah piorum & impiorum. Alii acutè ſanè diſputant, & ſunt varia argumenta in utramque partem, quæ me parum movent. In parabola de *divite* & *Lazaro* dicitur dives ſepultus eſſe in inferno, non corporis, ſed animæ ſepulcro, & tamen de piis aliter ſentiendum eſt, quàm de impiis in eadem שאולה exiſtentibus. Sicut hîc inquit Jacob, & ſupra etiam (cap. XXXVII. 35.) Deſcendam lugens ad filium meum in infernum, & (cap. XLIV. 29.) Deducetis canos meos in infernum. Et de morte piorum certus & clariſſimus locus eſt apud *Eſaiam*, cum inquit: Intrant pii in pacem requieſcunt in cubiculis ſuis. Item *Gen.* XV. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, & ſepelieris in ſenectute bona. Et cap. XXV. Abraham collectus eſt ad populos ſuos. Hîc eſt ſcheolah, i. e. locus quidam, in quem colliguntur pii, quem appellat *Eſaias pacem cap.* LVII. Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulavit in directione ſua, ibi ſanè loquitur de mortuis. Sic ad *Joſiam* dicitur 2. *Paral.* XXXIV. Jam enim colligam te ad patres tuos, & infereris in ſepulcrum tuum in pace: nec videbunt oculi tui malum omne, quod inducturus ſum ſuper locum iſtum. Hæc omnia ex Scriptura Sacra manifeſta ſunt & certa, quod Sancti ſecundum corpus vadunt in קבר ſicut *Abraham* in agro *Ephron* è regione Mambre ſepelitur: ſecundum animam verò ingrediuntur cubicula ſua, in ſcheola, ubi congregantur cum Patribus ſuis. Ac habent quidem pii infernum, in quem deſcendunt, ſed ut requieſcant in eo. Et quanquam cum mœrore deſcendunt, tamen ad quietem & pacem tranſeunt.

XI. Atque adeò nihil aliud eſt deſcenſus ille piorum, quàm mutatio hujus vitæ in alium ſtatum, ubi amplius non vivitur

ſub

ſub Sole & ſuper terram, ſed relicta vita hac intrant in cubiculum ſive ſtratum ſuum, in quo dormiunt & requieſcunt, donec corpus & anima rurſus copulentur in futura & æterna vita. Itaque Scriptura prorſus nihil habet de Purgatorio, ſed ait, Sanctos & juſtos tranſire in ſuum *Scheolah*, ubi ſuaviſſima pace & quiete fruuntur. Juſtus autem eſt, qui licet ſit peccator, tamen ſi credit in Filium Dei & accipit abſolutionem à peccatis per miniſterium verbi, baptizatus eſt, & Sacramento altaris participavit, verè abſolutus & juſtus eſt. Huic verò non eſt paratum purgatorium, ſed ſepulchrum animæ, *Scheolah* piorum pax & quies in cubili ſuo. Ante Chriſtum dictus eſt ſinus Abrahæ, & eadem appellatione ipſe quoque utitur, quam haud dubiè ex ſermonibus piorum & patrum mutuatus eſt, cum dicit *Lazarum* tranſlatum eſſe in ſinum *Abrahæ*. Scheolah autem divitis erant flammæ, atque is ſtatus & conditio impiorum ſoli Deo cognitus eſt, qui à nobis comprehendi non poteſt. Corpus vero Divitis repoſitum fuit in קבר. Hæc mea ſententia eſt de hiſce appellationibus.

XII. Pergit B. Lutherus: Ac tantum quidem nos de receptaculis corporum & animarum cognitum habemus, קבר eſſe locum pro corpore: *Scheolah* verò pro anima dormiente (quieſcente à laboribus ſuis *Apocal.* XIV. 13.) ſive piorum, ſive impiorum, ſed diverſa conditione, & qualis ea quies ſit, nos neſcimus. Idem operationibus in *Pſalm.* XVI. *Tom.* 2. *Jenenſ. Lat. f.* 171. b. Videmus Scripturam duo loca tribuere mortuis, foveam corpori, & infernum animæ. Rurſus in additionibus in locum *Hoſe.* XIII. *Tom.* IV. *Latin. Jen. fol.* 687. b. Hieronymus dicit, inter mortem & inferos hoc intereſt, Mors eſt, qua anima ſeparatur à corpore, Infernus locus, in quo recluduntur animæ, ſive in refrigerio, ſive in pœnis, pro qualitate meritorum. Quod dicit propter Patriarchas, qui in infernum ſeſe deſcendere fatentur. Sed qualis ille ſit locus, & quid aut qualiter in eo ſint, agant, habeant animæ, neſcimus, quia Scriptura non dicit. Exiſtimatur ſanè poſt reſurrectionem Chriſti nullum eſſe piorum infernum, licet pro eo finxerint Purgatorium homines audaces. Sed qui intelligunt, quid ſit peccatum per legem excitatum, & deſperationem adducens, ipſi intelligunt, quid ſit mors & infernus. Et in antecedentibus:

Ut mors corpus occidit, ita infernus animam rapit. Inde in Scripturis duo iſta loca diſtribuuntur, ut קבר Sepulchrum corpori, שאול infernus animæ deputetur. *Pſalm.* VI. Non eſt in morte, qui memor ſit tui, in inferno quis confitebitur tibi? *Pſalm.* CXV. Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum, (Hebr. ולא כל-יורדי דומה, nec omnes deſcendentes in ſilentium, vel locum ſilentii) *David Chytræus Comment. in Geneſ.* XXV. *num.* 2. diligentiſſimè expendenda eſt forma verborum, quæ Moſes de Abrahamo mortuo uſurpat: Congregatus eſt ad populum ſuum. Docet enim animas piorum non diſſipari, ut pecudum animæ evaneſcunt, ſed congregari & colligi ad populum ſuum, hoc eſt, in cœtum beatæ Eccleſiæ. Hinc verba *Eſaiæ cap.* LVI. ſumta ſunt: Viri ſancti colliguntur, & nemo eſt, qui conſiderat. Antequam veniat calamitas colliguntur juſti & veniunt in pacem & requieſcunt in cubilibus ſuis, quia rectè ambulaverunt. *Sap.* III. Juſtorum animæ in manu Dei ſunt. Cum enim animæ piorum vivant poſt mortem & colligantur ad populum ſuum, neceſſe eſt, aliquod receptaculum eſſe, in quo expertes omnium malorum & beatæ verſentur, donec ſtatuto tempore in vetus domicilium corporis renovati redeant. Id hoſpitium excipiens animas poſt mortem variis nominibus in Scriptura appellatur. *Luc.* XVI. *ſinus Abrahæ*, h. e. congregatio ſeu cœtus omnium piorum, qui fide promiſſionis traditæ *Abraham* ſalvati ſunt. *Luc.* XXIII. *Paradiſus. Sap.* III. *manus Dei.*

XIII. Johannes *Tarnovius Comment. in Pſalm.* IX. שאול ſignificat propriè commune animarum poſt hanc vitam receptaculum, ut קבר corporum. *Theodoric. Hackſpan. part.* 2. *notar. Philolog. Theologic. in varia & difficiliora loca Scripturæ pag.* 976. Contra eos, qui שאול de ſepulchro accipiunt (*Hoſ.* XIII. 14.) urgendum, quod rectè notavit *Lutherus*, שאול & מות ita conjungi in Scripturis, ut illud animam, hoc verò corpus ſpectet, quem videſis exemplis rem illuſtrantem: vid. *D. Abraham Calov. in Bibl. illuſtrat. Tom.* 2. *p.* 758. & *Joh. Quiſtorp. in annot. Bibl. ad Pſalm.* LXXXIX. 49. Sunt & alii viri doctiſſimi, qui vocabulum שאול hoc modo explicant, quorum authoritate & conſenſu ſententiam noſtram roborabimus. D. *Calixtus* vir Hebraicæ linguæ peritus in lucubrat. V. T. ad *Geneſ.* XXXVII. 35. שאול plus quàm ſexagies in Sacris occurrit, & a-

 liàs

liàs infernum, aliàs ſepulcrum, ſtatum defunctorum, mortem, pernitiem & exitium ſignificat. Græcis ubique (excipe *Ezech.* XXXII. 21. & ſi quis forte adhuc alius locus poſſit obſervari) redditur ᾅδης in dialecto Helleniſtica --- Quænam verò ſingulis locis obtinere debeat ſignificatio phraſis & res, de qua verba fiunt & cohærentia textus indicio erunt. Et mox in reſponſ. ad Object. Pontif. Reſpondeo, deſcendere ad mortuos Scheolah ſive in ſepulchrum, eſſe periphraſin mortis, atque adeò nihil aliud, quàm in cenſum mortuorum venire, ſive ſimpliciter mori. Ita ſanè non rarò ſumitur, ut patet ex locis ſupra allatis. B. *D. Titius Theologus pius in diſp. de ſtatu animarum ſeparat.* §. 9. Certum eſt deſcendere Scheolah ad mortuos ſive in ſepulchrum Hebræis phraſin eſſe notantem nil aliud, quàm in cenſum mortuorum venire, ſive ſimpliciter mori, etiamſi non omnes mortui ſepulcrum ſemper inveniant. *Excell.* D. *Noldius Theolog. Hafnienſ. in annot. & vindic. ad Concordant. particular. Ebr. Chald. pag.* 823. שאול in genere notat ſtatum mortuorum, in quo homines nihil ſciunt eorum, quæ geruntur in hoc mundo, *Eccl.* IX. 5. Et *Schmidius in Job.* XIV. 3. & VII. 9. & XVII. 16. addit: Non dari locum Scripturæ perſpicuum, in quo vox שאול notet ſepulchrum vel locum ſubterraneum. Anglus *Henric. Ainsworth. Comment. in Geneſ.* XXXVII. *fol. m.* 136. *edit. Londin.* ſcribit: *By this Hell* שאול *therefore in Scripture is not meant the place of the damned onely, but of all that goe out of this world. D. Auguſtus Pfeiffer. in Dub. vexat. Script. Sacr. pag.* 198. Phraſis Jacobæa (deſcendere ad Scheol) notat ſtatum mortis in genere ſine illatione neceſſaria vel ſepulcri vel inferni. Et in probatione *num.* 1. deſcendere ad שאול eſt devenire ad eum ſtatum, quem ordinariè, ut ut non ſemper inſequi ſolet ſepultura i. e. mortis. --- Plura de ſignificatione שאול attulit *Jacobus Windet* Anglus de ſtatu vita functorum, non ſemper probanda, eruditè tamen. *Sect.* 2. probat שאול deſignare ſtatum communem vita functorum, quod præſertim quatenus vox toti phraſi immerſa eſt, verum eſt. Videatur cl. *Samuel Bochart. in Hierozoic. part.* 2. *lib.* V. *c.* XIX. *Joh. Lightfoot in Hor. Hebr. Talmud. ad Luc.* XVI. 26. qui ex Rabbinorum Scriptis varia teſtimonia in probationem harum rerum producunt. Item *in cap.* XXIII. 45. *Luc.*

XIV. Addimus

XIV. Addimus adhuc cl. deque Orientalium literatura benè meritum Philologum *Christophorum Crinesium Academiæ Altorfinæ* quondam Professorem, cujus in חומש sive exercit. Hebraic. *πενταμερῶν part.* 1. *Exercit.* 1. *quæst.* 2. & 9. & *seqq.* hæc sunt verba, sententiæ Lutheri planè ὁμόψηφα: Cum nuspiam adhibeatur (vocabulum שאול) neque etiam in solemnioribus pompis exequialibus, quando corpora vita sua functorum, terræ redduntur, sed semper ibi serviat proprium ἐνταφιασμȣ̃ קבר vel קבורה ex rad. קבר *terra operuit*, humavit, unde & *Chaldæi* suum sepulchrum קבר & Syri ܩܒܪܐ & Arabes قبر denominant, proinde necesse est, aliud esse שאול, & aliud קבר, sicut *Luther. in annot. ad* 42. *Genes.* concludit. Quid igitur tandem שאול? Ecce illud tibi Reverendi patris Lutheri verbis: Scheol, dicentis, est commune quoddam receptaculum &c. Communem dicit tàm piis, quàm impiis ex usu Scripturæ, licet rarissimè de iis, de his vero frequenter in eadem prædicetur. Et §. 12. Sed ais: in uno Scheol simul existentibus piis & impiis, una etiam & eadem erit eorundem conditio? Absit: illud quidem S. Scriptura edocti affirmamus; hoc verò ex eadem pernegamus. Descendunt sanè pii in שאול, non ut crucientur, sed ut quiescant in eodem. Et quanquam cum mœrore quandoque descendant, tamen ad quietem & pacem transeunt, *Gen.* XV. 15. *Esa.* LVII. 2. Denique §. 16. Proinde concludimus propriam hujus vocis Scheol significationem esse, quod denotat receptaculum generale animarum omnium omninò hominum, ex corporibus egredientium, in quo bonis benè, malis verò malè est --- Et commodius uno verbo nominari posse alio nullo, quàm infernus, consentiente *Forstero* in Lexico suo.

XV. Ex his constat falsam eorum esse sententiam, qui Hebræum שאול ferè semper per Sepulcrum vertunt, idemque cum קבר esse existimant. Equidem שאול metonym. interdum vel impropriè & metaphoricè pro Sepulchro (quemadmodum & pro ipsa morte, & adjunctis doloribus infernalibus) usurpari, non negabimus (quamvis ᾅδης è *Crinesii* sententia Græcis nuspiam Sepulcrum notet) propriè interim & accuratè loquendo, aliud Hebræis videtur esse קבר sepulchrum, aliud מות mors, aliud שאול infernus. Id quod vel ex ipsius vocabuli etymo in ipsa Scriptura manifestè patet, quod est שאל i. e. *postulavit* (vid.

Schindler. Lexic. Pentaglott. fol. 1782.) quia ſatiari nec illud animarum receptaculum nec infernus poteſt, ſed ſemper plura poſtulat: cum contra ſepulcrum aut locus corporum vel terra egeſta, vel cadaveribus, vel denique ipſo aëre, ſive alio corpore facile ſatiari vel repleri queat, ut verba celeb. *Theolog. & Philolog. Joh. Tarnovii Comment. in Pſalm.* IX. *pag.* 235. ſonant, ubi eorum ſententiam, qui שאול cum קבר confundunt, refellit.

XVI. Sat diu in explicanda ſignificatione vocis שאול morati ſumus, tempus nunc poſtulat, ut ad alias nos conferamus voces. Inter quas occurrit שׁוּחָה & שִׁיחָה *fovea, foſſa longa & anguſta*: vid. *Buxtorff. Lexic. Rabbino-Talmudic. fol. m.* 2343. Radix eſt שָׁחַת corrupit, vel שׁוּחַ incurvari deorſum, unde שחת fovea, quæ in genere quamvis foveam lacumve profundiorem excavatum notat. Interdum pro *Sepulcro* accipitur, ut *Pſalm.* XXX. 10. Cum deſcendero ad שחת foveam: Targum reddit בֵּית קְבוּרְתָּא domum ſepulturæ, quæ nulla alia, quàm Sepulcrum. Et nihil aliud *David* his verbis indicare voluit: quando ex tua conniventia morti traditus per hoſtes, deturbabor in Sepulchrum, ubi redigar in cinerem. Unde Anglus reddit, *unto corruption the grave or place where the body rotteth.* conf. *Pſalm.* XVI. 10. *Lorinus Comment. in Pſalm. fol. m.* 514. de Sepulchro accipit, quando ita: Hebræa dicitur שַׁחַח ſignificat *foveam, foſſamve* & commune damnatorum Sepulchrum. *(2)* Talmudici Sepulcra quoque חריצין vocant, quæ ſunt foveæ quadratæ & latæ: conf. *Buxtorff. Lexic. Rabbino-Talmud. fol. m.* 833. *Schindler. Lexic. Pentaglott. fol. m.* 661. (3) בור ciſterna rotunda: vid. de hac voce *Scheidii hydrograph. edit. Argentorat.* 1664.

XVII. Porro *locus*, quem cadaver in ſepulcro occupat, à Rabbinis vocatur כּוּךְ *Kok*, quæ vox multoties occurrit. *Berach.* 37. 2. אין חופרין כוכין וקברות במועד, *Non fodiunt foſſas aut ſepulchra in die feſto.* in *Bava Batra fol.* 100. 2 iterum occurrit, & fodiebant & educebant primogenita מתוך כוכיהן ex foveis ſeu ſepulcris ſuis. *Jalkut fol.* 62. *col.* 4. Sed quæ facies ſit hujus *Kok* non omnibus liquet. Ex *Comment. in Bava Batra* diſcimus *Kok* eſſe cavitatem in Sepulchri pariete, quæ inſtar canalis quadrati rectà abſque ulla declivie aut deflexione aliâ quacunque tendat in parietis ulteriora, longitudine IV. cubitorum, ubique patens æqualiter, in latum; ſenis palmis, in altum ſeptenis palmis, cujus figuram

ram hanc fuiſſe deprehendimus  In hujuſmodi cavitatem eſſe intrudendum cum ſuo cadavere loculum cenſet dictus Commentator. Non abſurdum hoc eſſe putamus, nec opinionem hanc rejicimus, quia *Kok* ſapit terminum technicum, cujus ſignificatum non felicius, quàm ex traditionibus diſcimus. Quamvis videamus, comparere aliquid in Sacris contra hujuſmodi *Kok*, de qua re alio loco pluribus agendum erit.

XVIII. Denique locus etiam communis ſeu Cœmiterium nominatus ארץ חיים: vid. *Hottinger. de cippis Hebr.* conf. Scripturæ loca *Eſai.* LIII. 8. *Ezech.* XXVI. 20. Teſtatur hoc *Schickard in* משפט המלך *cap.* VI. *theor.* XIX. *pag. m.* 428. *edit. Lipſ.* his verbis de Judæis diſſerens: ideò Sepulchreta non vocant בית מתים *loca mortuorum*, ſed בית חיים *loca viventium vel vivorum* fiducia reſurrectionis: vid. cl. *Godofred. Thilo. diſſ. de Sepulchro Chriſti.* §. 3. Benè B. *Geier in libell. elegantiſſ. de luctu Hebr. cap.* VI. §. 10. *pag. m.* 123. *edit. Lipſ.* 1656. quando ita literis tradit: Nos hîc Ebræos noſtros attendimus, qui Sepulchreta ſua vocant בית החיים domum ſeu locum viventium; de quo titulo ſic loquitur *liber Minhagim c. ultim.* Mann ſolt es billig בית המותים (domum ſeu locum mortuorum) Heiſſen; aber wie Zaddikim (gerechten) die der auſ ſeyn/ wen ſie ſchon todt ſeyn/ noch leben ſie. Hebræi etiam Cœmiterium קברניט vocant. In *Aruch* ſcribitur teſte *Buxtorffio fol.* 1964. בקברנטו cum affixo, & exponitur בית קברות *locus Sepulchrorum. Gloſſat. Talmudic.* ſcribit eſſe linguæ Græcæ. Legitur & in *Jalkut. Exod. fol.* 66. 4. Et hæc de Nomenclatura Hebræorum de Sepulcris & ad illa pertinentibus ſufficiant.

CAPUT II.

De Nomenclatura Græcorum.

I. AD Græcos progredimur, illorumque varia nomina in medium producimus, quæ Sepulcra vel res ad Sepulcra pertinentes ſignificant. Inter hæc vas ipſum offendimus voce σοϱȣ͂ expreſſum. Σοϱὸς autem eſt *loculus*, *capulum*, in quo defuncti geruntur. A qua voce Græca non multum abeſt German. Sarck. De σοϱῷ videatur *Plutarch. Num. f.* 25. LXX. In-

terp. *Gen.* L. 26. *Luc.* VII. 14. *Herodot.* 2. 78. conf. *Dieter. Antiq. N. T. fol.* 175. & doct. *Johann. Faes in animadverſ.* ad Gyrald. *pag. m.* 327. *edit. Helmſt.* Angl. *Franciſc. Rous in Archæolog. Attic.* ritum hunc Græcis uſitatum deſcribens ita diſſerit: *Then they took him ad put him into a couch or bed*, ex more inter opulentiores recepto, uti benè ex Syro explicat *Grotius ad Luc.* VII. confer. *Balduin. Walæ. pag. m.* 622. vid. doct. *Joh. Faes in animadverſ.* ad Gyrald. de vario ſepeliendi ritu *pag. m.* 184. *edit. Helmſtad.* Quem lectulum etiam Græci vocabant λέκτρον, de qua re *Martin. in Lexic. Etymolog.* videndum. Sic *Homerus* de *Achillis* cadavere *Odyſſ.* 24. *verſ.* 44. *Depoſuimus in lectis expurgato corpore pulcro*, Te ſcil. ô *Achilles*. Et *Iliad.* 24. *verſ.* 707. Hectoris cadaver dicitur jacuiſſe ἐν λεχέεσσι *in lectis*: vid. *Tr. noſtr. de luctu Græc. edit. Tilen.*

II. Succedit κλίνη, cujus mentionem facit *Thucyd. lib.* 2. *de bello Peloponeſ.* quæ mortuorum *theca* erat, teſte cl. *Salmaſio in Exercit. Plin. fol. m.* 849. *edit. Traject. ad Rhen.* 1689. *Joſeph.* XVII. *Antiq.* 10. *f.* 600. conf. *Tr. noſtr. de luctu Græcor. pag.* 83. Κλίνη autem lectus propriè erat, in quo reclinabantur & recumbebant, ita *Luc.* V. 18. de Paralytico uſurpatur jacente in lecto, ad quem locum *Hieronym. Epiſt.* 46. *ad Ruffin.* Jacebat quondam Paralyticus in lectulo, & ſic erat cunctis artubus diſſolutus, ut nec pedes ad ingrediendum nec manus movere poſſet ad precandum, & tamen profertur ab aliis, & reſtituitur priſtinæ ſanitati, ut portaret lectulum, qui dudum portabatur à lectulo. Unde etiam illi *Clinici* vocabantur, qui ob morbum in lecto baptizabantur. Hoc indicat *Cyprian. lib.* IV. *Epiſt.* VII. quæ ad *Magnum pag.* 210. vide de his pluribus diſſerentem *Suicerum in Obſervat. Sacr. pag. m.* 69. *cap.* 3. Deinde κλίνη etiam erat lectus, cui defunctus imponebatur: vid. *Kirchman. de funer. lib.* 2. *pag.* 159.

III. De λάρνακι quoque apud Authores teſtimonia exhibentur, *Thucyd.* 2. *f.* 120. *B.* De πυέλῳ *Schild. in Sueton.* 6. 50. *p.* 633. Nonnunquam etiam πύελον veteres *ſarcophagum* vel *arcam* appellarunt, teſte *Juvenale*, qui de *Alexandro* ita:

Qui figulo poſtquam munitam intraverit urbem
Sarcophago contentus erit

Πύελον intelligit. Nam Græci, qui corpora defunctorum non crema-

cremabant, condere ea soliti erant πυέλοις ex lapide ut plurimum factis, cui natura est corpora citò absumere. Talis *Assius* fuit lapis, quem σαρκόφαγον propterea nuncuparunt. *Plin. lib.* 36. *c.* 16. In *Asso Troadis* Sarcophagus lapis fissili vena scinditur: vid. cl. *Salmas. Exercit. Plin. fol. m.* 847. Postea σαρκόφαγοι absolutè dicti sunt quilibet mortuorum loculi, etiam si ex alia materia fierent: vid. *Tr. nostr. de luctu Græc. cap.* VII. *p.* 86. ubi etiam de aliis nominibus Græcis fuse agitur, quæ huc transscribere supervacaneum esse duximus. Plura qui legere desiderat de *Sarcophago*, evolvat *animadvers. in Gyrald. de vario sepeliendi ritu doct. Johan. Faes pag. m.* 327. 328.

IV. Ad *instrumenta*, quæ ἅμαξαι vocantur, quarum meminit *Thucyd.* 2. *f.* 100. has recenset doctiss. *Kirchmannus in Tract. de funerib. Roman. lib.* 2. *cap.* IX. *pag. m.* 173. Varia enim erant instrumenta, quorum subsidio cadavera efferebantur. Inter quæ recensentur *Pheretra.* Feretrum autem dicitur Græcis φέρτρον ἢ φέρετρον. *Isidor. Hispal. lib.* 20. *Origin. c.* 11. & vocatur instrumentum illud, quo mortui deferuntur. Nam φέρετρον dicitur ἀπὸ τοῦ φέρειν i. e. *ferendo:* vid. *Martin. Lexic.* in voce *feretrum. Thomas de S. Quercu* φέρετρον *a bier or coffin: also that whereon spoils were carried in triumph:* ut spolia Ducis suspensa, fabricato ad id feretro, gerens. Liv. Dicta vox à ferendo, quia in eo cadaver defunctum fertur, ut sepeliatur. Vel feretrum, quasi ferens atrum: clar. *Salmas. in Exercit. Plin. fol. m.* 859. & Latinè *capulus* appellatur, quod super capita hominum feratur: cl. *Gisbert. Cuper. observat. lib.* 2. *cap.* 9. *pag. m.* 204. *edit. Ultraject.* 1670. ita: *Kapulum, in quo mortui deferuntur.* At verò *Non. Marcel. de propriet. serm. c.* 1. §. 13. Capulum dicitur, quod aliquam rem in se capit. Nam *Sarcophagum* i. e. Sepulchrum veteres dici voluerunt, quod corpora capiat. Verum cl. *Salmasius fol. m.* 848. asserit, male prorsus dixisse *Nonium.* Melius glossarum veterum consarcinatores, qui *Kapulum* asserunt esse, in quo mortui deferuntur, & cum *Kappa* scribi, ut distinguatur à *capulo* ensis, qui à capiendo dictus est, quod capiatur; at capulus mortuorum ex Græco κάπηλος quæ præsepem & φάτνην significat.

V. *Feretra*, quibus plebejorum cadavera deportabantur, *Sandapilæ* appellabantur. *Fulgent. libell. de prisc. serm. ad Chalcidium Gram-*

Grammat. refert, quod *Sandapilam* antiqui appellari voluerint *feretrum mortuorum* i. e. *loculum*, non in quo nobiliorum corpora, ſed in quo plebejorum & damnatorum cadavera portabantur, ſicut *Steſimbrotus Thaſius* de morte *Polycratis Samiorum* Regis ſcripſit: poſtquam de cruce depoſitus, *Sandapila* etiam deportatus eſt. *Thomas de S. Quercu* Anglus hoc confirmat ita ſcribens: Sandapila *a bier or coffin to bear the dead bodies of the poorer ſort, or ſuch as were executed*, dicta vel à *Sandalio* i. e. panno, quo operiebantur cadavera mortuorum. Martin. refert ad Arab. סנד *ſanad*, *fulcrum* & דפן *dapan*, *ſepelire*. Potius verò inquit à σανίδι & πυέλῳ quaſi Sanidapala. Hinc *Sandapila* eſt σανιδοπύελος ex tabulis vel aſſeribus compacta arca, in qua pauperum cadavera ad ſepeliendum ejiciuntur ſine ditiori apparatu. Græci σόρȣς vocant, quas ligneas fuiſſe conſtat, probatur hoc ex Lexicographo vetuſtiſſimo *Heſychio in Lexico Græco fol.* 421. inquiente: Κιβωτὸς, λάρναξ ξυλίνη ἢ σόρος. Hebræi hujuſmodi *arcis* quoque uſos eſſe vel unus locus *Geneſ.* L. 28. demonſtrare ſatis eſt: *Mortuus eſt itaque Joſeph -- & poſitus eſt* בארון *in arca in Miſraim.* Hîc ſane Hebræi multa fabulantur de arca Joſephi, de qua fuſe egit cl. *Carpzov. in diſſert. de ſepultura Joſeph.* §. XVI. Cajetanus Scripturæ interpres egregius *thecam* marmoream interpretatur. Huic tamen contradicit *Pererius Comment. in h. l.* ligneam defendendo, quo ſcil. cum opus eſſet, minori labore majorique facilitate, quocunque libitum eſſet, tranſportari poſſet. Et hæc ſententia probabilior videtur illorum ſententia, qui aut marmoream, aut ferream, aut plumbeam vel aliûs metalli fuiſſe fingunt. Patet hoc ex Evangelio Dom. XVI. poſt Trinitatis ubi hæc extant: Καὶ προσελθὼν ἥψατο τῆς σορȣ̃. Luther. Er trat ſin tu/ nū grot den Sarchan/ ſcil. arcam ligneam. Unde σοροπηγοὶ dicti Sandapilarii, qui arcas illas ligneas & ſandapilas compingebant: vid. *Nicorch. lib.* 2. *Anthol.*

VI. Locus dicitur τάφος *Matth.* XXIII. 29. ubi Chriſtus ad *Phariſæos*: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis* τȣ̀ς τάφȣς τῶν προφητῶν, *Sepulcra Prophetarum.* Nomen autem τάφος, quod à θάπτειν derivari eſt notiſſimum, propriè Sepulchrum redditur, in quo ſignificatu nihil frequentius apud Scriptores. Θάπτω eſt *ſepelio, humo*; propriè *in terram recondo mortuum*: vid. *Dieterici*

Dieterici Antiq. Bibl. fol. m. 367. Aliàs ambigua vox eſt & πολύσημος, cum propter verbi, à quo originem ducit, multiplices uſus ac poteſtates, tum alias etiam cauſas. *Geographis* enim eo nomine venit inſula quædam in mari Jonio ſita. Unde ita *Phavorinus in Lexic. Græc. p.* 1736. Τάφος ἡ νῆσος μία τῶν Ἐχινάδων νήσων ἔχει ὁμωνυμίαν πρὸς τὸ θάμβος, ὅτε καὶ αὐτὸ Τάφος λέγεται. Celebrantur in Scriptis veterum, qui eandem inhabitarunt, λησταὶ Τάφιοι, de quibus idem l. c. τοὺς Ταφίους πρότερον Τηλεβόας φασὶ καλεῖσθαι (confer. etiam *Heſychius* in Lexic.) κληθῆναι δὲ αὐτοὺς Ταφίους ἀπὸ Τάφου τινὸς βασιλέως. Meminit eorundem quoque *Strabo Geograph. l.* 10. Inſulam Τάφον poſtea πόλεων *fol.* 642. *Ed. nov.* cujus vero num præter eum & alii meminerint, non conſtare ſibi ſcribit in notis *Thomas de Pinedo.*

VII. Porrò τάφος, quod è θάπος Ἰωνικῇ τῶν ϛοιχείων factum docet *Euſtathius ad Homeri Odyſſ.* ω. idem eſt, quod ἔκπληξις, quam *Ariſtoteles* per ὑπερβάλλουσαν θαυμασιότητα definivit, quo de videatur *Pricæus in Matth. illuſtr. fol.* 81. Ita *Homerus Odyſſ.* ω. Τάφος δ᾽ ἕλεν ἄνδρα ἕκαϛον, qui & primitivo θάπτειν frequenter pro ἐκπλήττεσθαι uſus eſt. *Suidas in Lexic. pag.* 874. Τάφος καὶ παρὰ τοῖς θύταις σημεῖον dici ſcribit. Nonnunquam περίδειπνον, quod juxta Auctorem Etymologici in genere eſt ἡ ἐπὶ τοῖς ἀποθανοῦσι γενομένη ἑϛίασις, non præciſe illud epulum, quod poſt ſepulturam celebratur, ut exiſtimat celeb. *Daniel Feſſel. in Adverſ. Sacr. L.* 1. *c.* 12. *pag. m.* 69. appellatur τάφος, cujus exemplum iterum ſuppeditat *Homerus*, qui *Iliad.* ψ *verſ.* 29. deſcribens convivium ſepulchrale *Patroclo* nondum ſepulto agitatum ait: αὐτὰρ ὁ τοῖσι τάφον μενοεικέα δαίνυ, ad quem locum notanda ſunt verba *Euſtathii*, quæ cum huc apprimè faciant & alias quoque τοῦ τάφου ſignificationes ſiſtant, placet integra ex ejuſdem Homer. παρεκβολαῖς *fol.* 1285. transſcribere: Τάφος οὐ κατά τινας ὁ μετὰ τὸ ταφῆναί τινα περίδειπνος, ἀλλ᾽ ἁπλῶς ὁ ἐπὶ νεκρῷ ἐπὶ γοῦν πρὸς ἑσπέραν γενόμενος νῦν καὶ δόρπος ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ λέγεται ὡς δηλοῖ τὸ δορπήσαμεν ἐνθάδε πάντες, καὶ δόρπον ἐφωπλίσαντο ἕκαϛοι. Τὸ δὲ αὐτὸ καὶ δαῖτα ἐν τοῖς ἑξῆς ἐρεῖ. οὐχ ἁπλῶς μέν τοι ἀλλὰ ϛυγερὰν ὡς ἐπὶ νεκρῷ γενομένην, ὅς ἐς ϛυγὲς κατὰ μῦθον ἄπεισιν. Οἱ δὲ γλωσσογράφοι φασὶν, ὅτι Κύπριοι καὶ τὸν φόνον τάφον καλοῦσιν. ἕτεροι δὲ καὶ τὴν ταφὴν τάφον λέγεσθαι οἴονται.

ὡς καὶ τὴν χολὴν χόλον. οἵτε τάφου μνῆμα ἤγουν τάφης μνημόσυνον. Ὃ δή φησιν ἐν τοῖς ἑξῆς ὁ ποιητής. Καὶ τὸν ἐπιτάφιον δι' ἀγῶνα τάφον καλεῖσθαί φασιν ὡς τὸ, ἐς τάφον ὅθι πάντας ἐνίκα. Quæ totidem verbis repetit *Phavorinus l. c.* Nec omittendum, interdum vocem τάφος ad os vel ventrem transferri ab Auctoribus, quod in *Comment. de Fun.* obſervavit *Johannes Meurſius.*

VIII. Sed & Vultures dictos olim τάφους ἐμψύχους conſtat ex *Hermogenis* libro περὶ ἰδέων cap. περὶ σεμνότητος, à quo non multum abit, quod è Luciano ἔμψυχόν τινα τάφον hominem vocari nihil agentem vitaque indignum adnotavit *Eraſm. in Chiliad.* Quæ verò traditæ ſignificationes omnes à genuina illa & præſenti, quem expendimus, loco deſcendunt, quatenus ſcil. τάφος denotat τόπον τὸ σῶμα τοῦ τεθνηκότος περιέχοντα, ut alibi ſcribit *Phavorinus.* Τάφος hinc eſt locus ubi cadaver conditur: vid. cl. *Carol. Ortlob. diſſert. de Sepulcro Chriſti l. 3.* & hæc ſignificatio eſt hujus loci.

IX. Vocatur etiam μνημεῖον *Matth.* VIII. 28. XXIII. 27. XXVII. 52. 53. *Luc.* XI. 47. *Joh.* V. 28. Apud *Matthæum* hæc leguntur verba: *occurrunt ei* duo dæmoniaci ἐκ τῶν μνημειῶν è monumentis prodeuntes. Clarius locus *Matth. cap.* XXVII. 60. poſuitque ἐν τῷ μνημείῳ in monumento ſuo: vid. *Walæ. Comment. in h. l.* Ita Μνῆμα *Sepulchrum*, *Luc.* XXIII. 53. Ut μνῆμα dicitur Sepulchrum, ſic σῆμα *ſignum*, de eodem ex eo, quod ſignatis notis, quæ publicæ vocantur, oſtenderet humati corporis nomen & ſitum; quia *ſignum* erat depoſiti corporis. Sic *Atticos* vocaſſe τὰ μνήματα *Suidas* notavit. Apud *Homerum* bis hoc hemiſtichion obvenit: Ιλ. ψ. & ω. Μνῆμα *Act.* II. 29. Illud Sepulchrum patefecit *Hyrcanus* & inde ſuſtulit talenta 3000. vid. *Reiſner. Jeruſalem l. 2. c. 11. p.* 76. 77. Μνημεῖον Monumentum. Id quo nobis res aliqua in memoriam revocatur. Reſtringitur ad Sepulchrum *Luc.* XI. 47. quomodo etiam μνῆμα. Nam & mortuorum memoriam in poſteritatem ſervare volumus. Nam μνήματα ad memoriam poſteritatis οἰκοδομοῦνται. Ut *Græcis* vox μνημεῖον eſt id, quod recordari facit, gedenckmahl / μνημόσυνον, & ſpecie Sepulchrum. Sic & *Latinis Monumentum* eſt, quod memoriæ ſervandæ gratia extat, ait *JCtus D. lib.* 11. *tit.* 7. *l.* 2. In quod ſi corpus & reliquiæ inferantur, fiet Sepulchrum. Neque ſemper ubi mortui cauſa factum *mo-*

numentum

numentum, ibi significatur esse hominem sepultum, ait *Festus*: (vid. Lexic. Jurid.) nam & Κενοτάφια dabantur, de quibus fuse egimus in *Tract. de luctu Græcorum.*

X. Μνημεῖον *Matth.* XXVII. 52. 53. legitur: Et monumenta μνημεῖα aperta sunt. Et egressi ἐκ τῶν μνημείων ex monumentis: vid. *Comment. Balduin. Walæi ex Heinsio, pag. m.* 336. Inter prodigia, quæ Vespasiani mortem antecesserunt, recenset *Xiphil. Ep. p.* 323. quod monumentum *Augusti* sua sponte apertum fuerit, καὶ τὸ μνημεῖον τὸ τοῦ Αὐγούστου αὐτόματον ἀνοιχθέν. Christo resurgente multi surrexêre è Sepulchris; & revixêre ex morte. *Juvenc. lib.* 4. *col.* 519.

Tum veterum monumenta virûm patuêre repulsis
Obicibus, vivaque animæ per membra reversæ
Et visum passæ populi, per mœnia late
Erravere urbis.

Sic Μνημεῖον *Joh.* XX. 6. extat. *Simon Petrus* εἰσῆλθεν εἰς τὸ μνημεῖον. Ex quibus satis patet μνημεῖον fuisse locum ubi cadavera sepulta. Μνημεῖον *Thucyd. libr.* V. ubi de honoribus *Brasidæ* mortuo decretis loquitur. Καὶ τὸ λοιπὸν οἱ Ἀμφιπολῖται περιέρξαντες αὐτοῦ τὸ μνημεῖον. Suidas in Lexico, Μνημεῖον ὁ τάφος. Et pergit, ἐχρήσαντο δὲ τῷ ὀνόματι οἱ ῥήτορες καὶ ἐπὶ τάφου. Καὶ τοῦ ἔργου, καὶ τοῦ πράγματος, οὗ μνημονεύειτο ἄν τις. Quæ *Budæus*, suppresso nomine, in suum Lexicon Græcum transtulit. *Hesychius in Lexico suo fol.* 518. Μνῆμα, Μνημεῖον, Μνημόσυνον, Ἀνάθημα, Τάφος. Μνῆμα habetur apud *Dionem Cassium.* Apud *Aristotelem lib.* I. *Rhetor. cap.* V. §. 26. μνῆμαι exstat, Muretus *Inscriptiones* transtulit. Sed judicio *B. Christophori Schraderi Præceptoris quondam in Alma Julia post fata etiam venerandi* in elegantissimo *Commentario* ad hunc locum *pag.* 53. rectius *Hermolaus, Victorius, Sigonius, Majoragius* verterint, MONUMENTA. Apud Patres Μνῆμαι sunt memoriæ, exequiæ: vid. *Suicer. Thesaur. part.* 2. *fol. m.* 372. ubi plura.

XI. Occurrunt apud Euangelistas in hac re peculiaria Epitheta, ut τάφος κεκονιαμένος *Matth.* XXIII. 27. *Sepulcrum dealbatum*, ubi secundum *Phavorinum* τὸ κονιᾶν est τὸ διὰ τιτάνειος χρίειν τινα τοῖχον. Ita hanc vocem Interpretes, quos consulere licuit, reddiderunt: & *Chrysostomo* in h. l. τάφοι κεκονιαμένοι sunt τάφοι κεχρισμένοι γύψῳ τε καὶ ἀσβέστῳ. Vid. *Cat. Patr. Symb. in*

 Matth.

Matth. p. 309. Optimè quoque Syrus ܕܕܡܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܩܒܪ̈ܐ ܡܟܠܫ̈ܐ *qui similes estis sepulchris calce obductis.* Significat enim ܟܠܫ *induxit tectorium calce*, descenditque inde nomen ܟܠܫܐ quod *Jacobus Elgais Auctor Lexic. Syr. Arab. MS.* exponit per النورة cæmentum apud *Ludovic. de Dieu in Matth. pag.* 103. Syriacæ versioni respondet Arab. Nam & Arabs eadem utitur voce vertens القبور المكلسة: vid. *Eduard Pocock. in not. ad Port. Mos. pag.* 82. *Hotting. Cipp. Hebr. pag.* 11. Æthiops uti *Magnif. Job. Ludolph in Lexic. Æthiop. Sepulcra gypsata, gypso obducta* reddit. Perantiquum enim & frequentem fuisse Æthiopibus usum *Gypsi* docet *Herodotus lib.* 3. *histor. fol.* 108. *edit. Græc. confer. Kirchman. de funer. pag. m.* 65. *edit. Brunsvic.* 1661. Auctor versionis Hebr. *in Matth.* habet קברות מולבנות secutus forte Vulgatam, quæ *dealbandi* vocabulum adhibet. Melius vim vocis expressisset, si reddidisset קברות מסוידות *Sepulchra calce obducta*, vel מצויינות בסיד *calce notata.*

XII. Hebræos autem *calce* antiquitus notasse Sepulchra, insigne & prorsus luculentum testimonium exhibet *Mischnah. Cod. Maasur Schem c.* v. §. 1. *fol.* 2. cujus exscribendi labore, cum in notis ad Portam Mosis pag. 81. idem recitet cl. *Eduard Pocock.* & doct. *Iohannes Lightfoot in hor. Talmud.* facilè supersedere possemus, nisi illud ipsum repetitum & dilucidius explicatum deprehendissemus *in Gemar. Babylon. Codic. Bava Kama cap.* VII. *fol.* סט. 1. è qua illud una cum inserta Gemaristarum commentatione adduxisse non pigebit, quæ ad mentem *Talmudistarum* ita reddimus: *Exstat traditio: Vineam anni quarti notabant glebis terræ. Signabant nimirum eam tanquam terram. Cur adhibuerunt terram? Uti ex ea commodum aliquod percipiebatur*, (Gloss. alio tempore inferendo, arando &c.) *ita etiam ex hac vinea.* Post *factam enim redemptionem inceperunt eam in suos usus convertere. Præputiatum autem* (non testa sed) *argilla* (*è qua vasa testacea formant, ut habet* Gloss. ad Maasur Scheni) *signabant, cum responderet argillæ. Cur autem usurparunt argillam? Est illa nullius usus, consita enim nihil producit.* Id. (Gloss. ad Maas. Schen.) *ita etiam ex hac vinea nulla utilitas percipiebatur. Loca verò Sepulchrorum calce notabant, quoniam alba est instar ossium*,

& ideo humectabant eam & effundebant ut eo magis albesceret. Ex eodem fonte sine dubio promanavit *Gloss. Raschii*, quæ cum ad confirmandum hunc ritum insigniter faciat, uti verbis Mischn. מציינין את הקברות *Cod. Moed. Katon. cap.* 1. *fol.* ב. subnexa est, hîc apponetur: עושים סימנים על הקברות בסיד דחיור כעצמות כדי שלא ילכו אוכלי תרומה לשם: *Solebant Sepulcra calce notare, quia alba est instar ossium, ne, qui oblationes comedebant, illuc accederent.* Addemus verba *Rambam*, quæ ad illustrandum similem locum *Mischnæ in Cod. Schekal. fol.* ב. profert, prout ea ex Arabica in Hebræam translata linguam à R. *Iosepho Ben Isaac*, *ben Alphual* habemus, *Signabant Sepulcra hoc pacto, visitabant singula, & quando inveniebant aliquod ab aqua dirutum, signo videlicet, quod super Sepulchrum exstructum erat, abolito, tum signabant, & denuo restaurabant illud, ut locus immunditiei notus manifestusque fieret, & sacerdotes ab eodem recederent. Est autem illud jam pridem explanatum, quod signum sepulchrale Calce fieri consueverit.*

XIII. Apud *Lucam cap.* XI. *vers.* 44. occurrunt μνημεῖα ἄδηλα monumenta quæ non apparent, seu ut *Æthiops* optime reddit: *Sepulcra quæ non sunt signata*, quæ facile pollutionem afferre poterant. Hinc ex *Gemaristarum* sententia in *Cod. Moed. Kat.* Non signabant calce, quæ manifesta erant; (cum perspectissimum omnibus esset latere ibi immunditiem) sed dubia, ubi quis ignoraret, an immundities lateret. Notandum autem hoc in loco, quod Christus jubeat, ut sibi omnes à Pharisæis caverent, qui essent instar Sepulchrorum non signatorum. Apud *Matthæum* comparabantur Sepulcris apparentibus, hic verò Sepulcris non apparentibus. Proinde apud Matthæum apertius notatur sanctitatis externa simulatio, præter interiorem immunditiem. Quamquam utrumque hîc satis etiam significatur; parabola quidem simili, sed non eadem. Erit tamen eadem parabola, sed expressius apud *Matthæum* posita, si locus hic Lucæ sic intelligatur. Estis monumenta quæ non apparent, hoc est, quorum interior pars non est conspicua, & homines supra ambulantes nesciunt, quid illa intus habeant. Atque hunc in modum magis intelligendum putamus, quod verisimile sit, Lucam eadem cum *Matthæo* dicere voluisse; & sic plerique. Nobis autem aliter de loco hoc videtur. Μνημεῖον nihil esse Hellenistis aliud quam קבר infinita loca testantur: quod mo-

dò τάφον, modò ταφὴν, modò μνημεῖον reddiderunt. Dicit ergò: Nihil aliud hypocritas eos esse, quàm Sepulchra ἄδηλα, h. e. aperta & fallacia, quæ cum damno suo homines calcarent, quod qui propius accederent teterrimo odore affligerentur: confer. *Heins. in h. l.* Sunt ergo Sepulchra non signata, quæ facile nocumentum afferre possunt, & à quibus non tam facile quis cavere possit, quam à signatis.

XIV. In *Matthæi cap.* XXVII. 60. additur epithetum καινὸν μνημεῖον proprium Sepulcrum, quod quis pro se & familia sua exstrui curavit. Ita & Josephus Sepulcrum sibi proprium paraverat, ut haberet Hierosolymis advena ubi cum suis post fata conditus quiesceret. Josephus ergo fati non minus memor sui, maturius de dormitorio cogitavit, utque tanto frequentius memor esset mortis: confer. *Schmid.* in h. l. apud Lucam cap. XXIII. 53. μνῆμα λαξευτὸν vocatur: vid. not. ex *Casaub. apud Balduin. Walæum pag.* 783. confer. Erasm. in h. l. Et ita etiam Epitheta paucis perlustravimus.

XV. Sunt etiam aliqui, qui quærunt, an dictione ᾅδου à sacris Scriptoribus indicetur Sepulchrum? *Balduinus Walæus in annotat. ad Act. cap.* 2. *v.* 27. de *Sepulcro* explicat, ita disserens: ᾅδης vocabulum in hoc loco accipiendum pro *Sepulcro*: vide *Bezam in h. l.* Ita etiam *Johannes Drusius* in h. locum scribit, asserens: Ineptè faciunt, qui hunc locum aliter enarrant, quàm de *Sepulcro.* Verùm nos dicimus, quod quemadmodum שאול proprie de Sepulcro non accipitur, ita ᾅδης non *Sepulcrum* denotet. Sciendum igitur est, quod ᾅδης Græcis nihil aliud sit in genere, quàm obscurus, absconditus, & ab omni humano consortio remotus quidam locus, vel rectius, *status* ille, qui excipit mortem, sive is refrigerii & quietis, sive cruciatuum sit plenus. Hoc sensu *Theognis* in sententiis *vers.* 1007. scribit:

> Ὥς μάκαρ εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος, ὅστις ἄπειρος
> Ἄθλων, εἰς ᾅδου δῶμα μέλαν κατέβη.
> *Quam felix, beatus & fortunatus est, quisquis ignarus*
> *Certaminum, in inferni domum obscuram descenderit.* h. e.

in statum defunctorum pervenerit. Et *vers.* 244.

> ——— ὅταν δνοφεροῖς ὑπὸ κεύθμασι γαίης
> βῇς, πολυκωκύτους εἰς ἀΐδαο δόμους,

Οὐδὲ

Οὐδέ ποτ᾽ ὐδὲ θανὼν ἀπολεῖς κλέ@, ὐδέ γε λήσεις,
Ἄφθιτον ἀνθρώποις αἰὲν ἔχων ὄνομα.
—— *Postquam tenebrosas sub latebras terræ*
Iveris, in ædes luctuosas inferni,
Non unquam neque mortuus amittes gloriam, neque etiam latebis,
Immarcessibile semper hominibus habens nomen.

Quod autem ᾅδης non sepulcrum sed statum mortuorum significet, pluribus testimoniis Scriptorum tam sacrorum quam profanorum ostendit B. *Grabius* Theologus antehac Regiomontan. in appendice apologetic. libello *Urbani Rhegii* de formulis caute loquendi subjecta: confer. *B. Busmanni dissert. de* שאול, *qui fuse* de hac voce egit. Ad alia nos conferimus, quæ ad Nomenclaturam Græcorum de Sepulcris pertinent.

XVI. Locus verò in quo plura dantur *Sepulcra* dicitur πολυάνδριον. Audiamus de hac voce plurium Auctorum testimonia. Πολυάνδριον vel πολυάνδρι@ uti *Hesychio in Lexic. fol.* 611. effertur, est τάφ@, πολυχώρητ@, μνῆμα. Suidas in Lexico suo utitur eadem terminatione qua Gyrald. in libr. de vario sepeliendi ritu cap. IX. Πολυάνδριον. Μνῆμα, τάφ@, τὸ θρυλλέμενον παρὰ πολλοῖς ξενοτάφιον. Cyrilli Glossator, quisquis demum sit, *stragem* exponit. *Gemma* vocabulorum, nescio quisnam Auctor, *Polyandrum* exponit *tumulum mortuorum.* Ad eum ferè modum quo nobilissimus *Caspar Barthius lib.* XLIII. *cap.* XIII. illud explicat, inquiens: *Polyandrum est cœmiterium, locus ubi sepulcra sunt.* Gyraldus cap. IX. de ritu vario sepeliendi ait: *Polyandrion dici, quod nos Christiani Cœmiterium vocamus.* Quæ plane gemina sunt illis, quibus *Antonius Nebrissensis in Quinquagena cap.* XII. *pag.* CII. utitur: Locus in quo mortui sepeliuntur, quod Latine sepulchretum, tum conditorium appellatur à Græcis πολυάνδριον, ut est in *Ezechiele*, dicatur in nostra religione Κοιμητήριον Græcè. Inde verò appellationem habere videtur, quod *multos* i. e. *mortuos* habeat. Hujus nominis enim πολὺς comparativus πλείονες *mortuos* significat. *Hesychius*, πλείονες, οἱ τετελευτηκότες. Quo sensu accipitur ab *oraculo Tarentino*, Ἄμεινον ἦ λωΐον ἔσεσθαι σφίσι ποιεμένος τὴν οἴκησιν μετὰ τῶν πλειόνων. *Petrus Victor. lib.* II. *Var. Lection. cap.* VII. *Aristides* Sophista idem significatum suum facit: *Hæc eos loquutos arbitror facile ad plures, mortuos, si modo etiam illo cum pluribus jacere*

jacere existimandi sunt, *quod mihi sane non videtur.* Eodem modo loqui *Johannem Catacuzenum in histor. Matth. cap.* IX. & XVI. *Johannes Lorinus ad cap.* VII. *Sapientiæ fol.* 100. animadvertit. Quo sensu Latini nomine *plures* similiter utuntur. Liquidum id ipsum esse putamus ex *Plauti Trinumo Act.* II. *Scen.* II.

—— Lacrumas hæc mihi, cum video,
Ejiciunt, quia ego ad hoc genus hominum duravi:
Cum prius me ad plures penetravi.

Quo sensu LXX. Interpp. locum *Ezechiel.* XXXIX. 15. גיא המון גוג Πολυάνδριον τȣ̃ Γώγ: *Targum* vero חילת אתר גושת גוג *vallem multitudinis* efferunt. *Johannes Piscator.* Gogs hauffentz etc.

XVII. Quare nemo ambigit *Polyandrion* Christianis venire nomine Κοιμητηρίȣ. Christiani, quia mortuorum resurrectionem credunt, & mortem ὕπνον potius & κοίμησιν, quàm θάνατον appellandam esse volunt, Sepulchra vocant Κοιμητήρια quasi *dormitoria*, seu loca ad quietem & somnum comparata. *Chrysostomus Homil.* LXXXI. tom. V. Διὰ τȣ̃το καὶ αὐτὸς ὁ τόπος κοιμητήριον ὠνόμασαι, ἵνα μάθῃς, ὅτι οἱ τετελευτηκότες καὶ ἐνταῦθα κείμενοι ȣ̓ τεθνήκασιν, ἀλλὰ κοιμῶνται καὶ καθεύδȣσι: *Propterea ipse etiam locus Cœmeterium appellatum est, ut discas, mortuos & hic repositos non esse mortuos, sed dormire.* Hinc frequens mentio Κοιμητηρίων apud priscos historiæ Ecclesiasticæ Scriptores. *Æmilianus* Ægypti Præses sic Christianorum Episcopos alloquitur apud *Eusebium lib.* VII. *cap.* XI. *pag.* 74. a. *Nullatenus verò licebit neque vobis, neque ullis aliis, vel conventus celebrare, vel in sic appellata cœmeteria ingredi.* Plura testimonia vide apud cl. *Joh. Caspar. Suicer. in Thesaur. Ecclesiast. ex Patrib. Græc. edit. Amstel.* 1682. *fol. m.* 123. Hoc Cœmeterium etiam *Polyandrion* appellabant, uti probat celebr. *Johannes Faes in animadvers. ad Gyrald. pag. m.* 326. *edit. Helmstad.* Et hæc de Nomenclatura Græcorum dicta sunto.

CAPUT

CAPUT III.

De Nomenclatura Latinorum.

I. Paucis quoque Nomenclaturam Latinorum perlustrabimus, & quidem (1) vasa, quæ ad sepulturam requirebantur. Inter quæ est *Loculus*, Græce θήκη. Si vim vocis spectemus, θῆκαι repositoria dici possunt, quo verbo *Plato* 12. *de leg.* usus est, cum de minuendis Sepulchrorum sumtibus ageret. Adolescens apud *Lucam loculo* efferebatur, quia perfectam hominis mensuram non erat assecutus: vid. *Jacob. Guther. Tr. de jure Man. lib.* 2. *pag. m.* 314. qui loculorum formam, qui in monumentis vulgaribus, ita depingit:



De loculo *Plinius lib.* VII. *cap.* II. ubi de *Pyrrhi* pollice in dextro pede loquitur, quem cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt, conditumque in loculo in templo. Idem *lib.* VII. *c.* XVI. Et ipsi vidimus in loculo asservatos. *Paulus Diacon. in Narset.* Cujus corpus positum est in locello plumbeo. Loculus enim est parvum quoddam receptaculum, scribit *Martin. in Lexic. Etymolog. fol.* 1635. Thom. de S. Quercu reddit *a little place, or little room,* aut conditorium, ubi cadaver reponitur, *a bag, purse, or little coffer, an ambry, a bier or chest, or coffin, wherein a dead body is carried.* Ex quibus elucet, loculum fuisse parvum vas, in quo mortui efferebantur parvi. Vid. *Laurentium Ramirez de Prado in Hypomnematib. ad Mart. pag.* 265.

II. Sequitur *Capulum* seu capulus, quem sic depinxit *celeb. Cuper. in observat. lib.* 2. *cap.* 9. *pag. m.* 206. Jan. Guilielm. Laurenberg. in *Antiquario. edit. Lugdun.* 1622. *pag. m.* 68. Capulum dicit, quicquid aliquam rem capit: unde & Sepulchrum, capulum dicitur, quod corpora capiat. *Plaut. in Asinar. Perii misera, ut osculatur carnifex, capuli decus.* Varro Cosmotoryne

ryne περὶ φθορᾶς κόσμου: *Propter cunam capulum positum, nutrix tradit pollinctori.* Nonius Pappo præterit. *Dum istos invitabis suffragatores, pater prius in capulo, quàm in curuli sella suspendit nates.* *De capulis* vide *Kirchmann. de funerib. Rom. pag. m.* 441. 442. *edit. Brunsvic. Martin. Lexic. Etymolog. fol. m.* 377. *edit. Bremens.* Thomas de S. Quercu *a coffin or sepulcher* explicat.

III. *Arca* quoque ad vasa pertinet Sepulchralia. Nam speciatim in illa corpus integrum condebatur: vid. *Kirchmann. de funer. Roman. lib.* 3. *pag. m.* 442. *edit. Brunsvic.* Additur his quoque *Solium*, uti apud *Plin. lib.* XXXV. *cap.* XII. in hac significatione reperitur. *Quin & defunctos*, inquit, *sese multi fictilibus soliis condi maluerunt.* Ubi tamen monemus, quod in nonnullis exemplis legatur *doliis* pro *soliis*, sed posterior lectio oppido retinebitur, cum etiam *Florus lib.* IV. de morte *Cleopatræ* hac voce usus: confer. *Martin. Lexic. Etymolog. fol. m.* 3681. qui ita, Solium loculamentum, in quo conduntur mortui & quasi sedeant in solio reclinantur: vid. *Curt. lib.* 10. confer. *Thom. de S. Quercu*, qui Solium *a bier or coffin for dead bodies* appellat.

IV. Instrumentum est in genere *pheretrum*: in specie *Lectica* & *sandapila* apud *Kirchmann. lib.* 2. *de funer. Rom. pag.* 173. seqq. *Quensted. de sepultur. veter. c.* VI. *pag. m.* 115. *seqq.* vid. *Tr. nostr. de Luctu Græcor.* ubi de his fusè actum. LOCUS dicitur *Sepulchretum* vel Sepulchrum, de cujus Etymologia & Synonymia vid. *Kirchmann. lib.* 3. *cap.* 10. *pag. m.* 384. seqq. *Perott. Corn. cop. f.* 831. 56. *Thomas de S. Quercu* dicit, quod quidam velint Sepulchrum derivari à seorsum & pulchrum, quod propter recordationem doloris minimè pulchrum & jucundum; sed potius est à sepelio. Sepulchri homonymiam tradit *Rivet. in Gen.* XXXVII. *exerc.* 151. *fol.* 577. Sepulcretum est locus pluribus sepulcris sacer. Christiani appellant Cœmeterium. Germanicè Gottes Acker i. e. agrum Dei: confer. D. *Quensted. cap.* 8. *pag. m.* 198. *seqq.* vid. celeb. *Johan. Faes animadvers. ad Gyrald. c.* 9. *pag. m.* 324. 325. *edit. Helmest.*

CAPUT

CAPUT IV.

De Actu Hebræorum in Sepulcris observato.

I. Cum ad Nomenclaturam etiam referri possit *Actus* & quod in eo occurrit, constituimus vocabula ad Actum pertinentia perlustrare. Actus apud Hebræos indicatur familiarissime verbo קבר *operuit terrâ*. Moris enim erat apud Hebræos cadavera terræ mandare, non cremare, & hic erat *actus* illorum circa Sepulcra. Cognoscimus hinc *humationem* primum *actum* fuisse apud Hebræos, quos deinde imitati sunt alii, de quibus *lib.* 2. fuse.

II. Pertinet etiam ad Actum *Cadaver*, quod diversa vocabula sortitur in Sacris. Dicitur enim (1) מת *Genes.* XXIII. 2. 4. 6. ubi Anglus reddit *dead.* Descendit à radice מות *morte naturali obiit, vel violenta, occisus Genes.* 2. 17. quo die comederis ex ea מות תמות *moriendo morieris.* Eris mortalis & morbis omnibus, omnibusque maledictionibus obnoxius. Angl. *dying thou shalt dye that is shalt surely and soone dye.* Audiamus hic *Henricum Ainsworth. comment. in Genes. fol. m.* 12. loquentem: *Under the name death the Scripture comprehendeth deadly plagues as the punishment of Ægypt with locusts, is called dead.* Exod. x. 17. *Alse inward astonishments, feares, as Nabals heart died in him.* 1. Sam. xxv. 37. *Likewise outward deadly dangers, and miseries as Paul was in deaths oft.* 2. Corinth. 11.23. *And for the dissolution of mans soule and body, which we commonly call death, when the soule (or spirit) goeth out of the man.* Gen. xxxv. 18. *And finally, death is the perdition of body and soul in the hell.* Matth. x. 28. 2. Thess. 1. 9. Apocal. x. 6. 14. Quando autem de vocabulo מת loquimur, intelligimus naturalem mortem seu dissolutionem animæ & corporis. De aliis vocis significatis vid. *Schindler. Lexic. Pentaglott. fol. m.* 986. *seq.* confer. *Buxtorff. in Lexic. Rabbino-Talmud. fol.* 1180. His omnibus adstipulatur Angl. *Gr. William in Tract.* quem inscripsit *the best Religion. fol. m.* 625. *edit. Londin.* ὁ θάνατός ἐστι ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. Mors est *dissolutio* animæ à corpore, sive est *separatio* unius ab altero, non *destructio*.

ctio. Non autem per mortem intelligit ultimum mortis ictum, sed omnia illa quæ mortem causant & promovent, quare ita cit. loco literis tradit: *And therefore by death is understood not onely the last finall stroke and fatall separation of the body and soule, but also all other forerunners, and fore causers of this dissolution; as sicknesse &c.* Quod autem tunc, quando anima à corpore separata fuit, homo cadaver dicatur, patet ex *Psalm.* 143. 3. Sedere me fecit in tenebris כמתי quasi mortuos, i. e. cadaveri jam æquiparatus sum putrido: vid. B. *Geier. commentar. in h. l. pag. m.* 1302.

III. *Cadaver* quoque denotat עצמה & in plur. עצמות. *Jos.* XXIV. 32. I. *Reg.* XIII. 31. *Jerem.* VIII. I. Occurrit hoc vocabulum quoque Gen. L. & *Exod.* XIII. 19. ubi semper עצמות legitur, quod significat *ossa.* Descendit à radice עצם robustus, solidus fuit. Hinc עֶצֶם & עֹצֶם robur, fortitudo, ita etiam *os solidum*, crus, quia in ossibus consistit robur corporis: vid. *Schindler. Lexic. Pentaglott. fol.* 1368. Et ita ossa pro cadavere accipiuntur in his citatis locis. Verum etiam עצם in Hiphil העצים *claudere* significat, quod mortuis seu cadaveribus convenit, quorum oculi sunt clausi. Unde Rabbini: אין מעצמין את המת בשבת *Non claudunt mortuum in Sabbatho* i. e. *oculos morientis*, Schabb. fol. 151. 2. juxta illud *Esai.* XXXIII. 15. & *Esai.* XXIX. 10. Vid. *Pagnin. Thesaur. in Rad.* עצם. Hinc עצימה clausio, occlusio oculorum. Hoc munus Hebræi charissimis propinquis imponunt, morientium oculos claudere: vid. *Menoch. lib.* 8. *de Republ. Hebr. cap.* IV. *quæst. B. Geier. Tr. de luctu Ebr. pag. m.* 50. De oculis claudendis vid. *Selden. de Synedr. Ebr. pag.* 359. *edit. Londin.* Præstitit id officii patri *Jacobo Josephus* filius *Gen.* XLVI. 4. ubi Anglus legit: *And Joseph shall put his hand upon thine eyes*, quæ verba *Henric. Ainsworth.* ita explicat *fol. m.* 156. *edit. Lond. shall close up thine eyes when thou dyest.* Vide de ritu hoc *Maimonid. in Misch. tom.* 4. *tr. de luctu, cap.* 4. *sect.* 12. confer. *Tr. nostr. de luctu Græcor.* ubi fuse de hoc ritu egimus, *c.* 3.

IV. Cadaver similiter notat נבלה teste *celeb. D. Nicolao Gurtlero in explicatione vocum Typico - Propheticarum edit. Bremens.* 1698. *pag. m.* 24. qui ita: נבלה πτῶμα animal mortuum, figura (1) hominis pii occisi, aut humi jacentis. *Esai.* XXVI. 19. Vivent mortui tui, cum cadavere meo resurgent. Testes Jesu

Christi

Christi & ab Anti-Christo oppressi, & velut mortui in Sepulchro detenti, prodibunt in lucem, *Apoc.* 11. 9. (2) notat victimam idolo oblatam. *Jer.* XVI. 18. Contaminaverunt terram meam cadaveribus abominationum suarum. (3) hominem aut populum interitui vicinum, *Matth.* XXIV. 18. *ubicunque fuerit cadaver, illic cogentur aquilæ.* Pro cadavere accipitur in Scriptura variis in locis, ut 1. *Reg.* XIII. 29. *Esai.* XXVI. 19. *Jerem.* IX. 21. XXVI. 23. *confer. Levit.* V. 2. *Deut.* XXI. 23. Loca hæc evolvamus & veritatem deprehendemus. Quod ad 1. *Reg.* XIII. 29. attinet, loquitur textus de Propheta quodam, quem Leo in via occiderat, de quo *vers.* 25. Et ecce viri transeuntes viderunt נבלה cadaver projectum in via: & *vers.* 29. Tulit ergo Prophetes נבלה cadaver viri Dei. Significatque referente *Schindlero in Lexic. fol. m.* 1060. *cadaver hominis vel bestiæ non naturaliter mortuæ, omne corpus mortuum.* Idem confirmat *Jeremias cap.* IX. 21. Cadaver hominis cadet sicut stercus in superficie agri, i. e. homines gladio vel peste occisi, quasi stercus in agro jacebunt. Similiter *Deut.* XIV. ne comedes omne נבלה *cadaver.* LXX. θνησιμαῖον morticinum, quod vitam exhalat sine legitimo ritu mittendi sanguinis. *Ainsworthius commentar. in h. l. fol. m.* 53. *edit. Londin.* bene exposuit ita scribens: *yee shall not eate of any carkasse, that either dieth alone, or not orderly slaine*: confer. *Levit.* VII. 24. ubi iterum de cadavere bestiæ loquitur, ne cadaveris adeps morticini comedatur, quod sua sponte mortuum, aut non legitimo modo mactatum. Duplex enim peccatum erat vesci adipe cadaveris, uti ex *Maimonide tom.* 2. *tract. de prohibit. cibis, cap.* 7. *sect.* 2. *Ainsworthius Comment. in* h. l. refert his verbis: *He that eateth the fat of a dead beast, is guilty both for eating the fat, and for eating the dead or torn beast.* Quid autem fuerit נבלה fuse explicat *Ainsworth. Commentar.* in *Levit.* XVII. *fol. m.* 101. ex *Maimonide in tract. de prohibitis seu interdictis cibis, cap.* IV. *sect.* 1. 2. 3. 4. 8. cujus verba, licet prolixa, hîc adscribere non pigebit, ut eò melius constet, quid Rabbini per cadaver intellectum velint. *Hee,* inquit, *that eateth (præsumptuosly) so much as an olive of the flesh of any cattell, that is dead, or wilde beast that is dead, or fowle that is dead, is to be beaten. And whatsoever is not killed so as is meet, loe that is a carkasse. Nothing is forbidden by the name of a carkasse, but the*

ſorts of cleane things onely; becauſe they are fit to be ſlaine, and if they be ſlaine, after a lawfull manner, they are lawfull to be eaten. But uncleane things, whoſe ſlaying availeth them not, whether they be duely ſlaine, or dye alone, or the fleſh be cut off from them alive, who ſo eateth of them is not beaten as for a carkaſſe, but as for eating of from uncleane fleſh. Who ſo eateth a cleane bird alive all of it, is beaten as for eating of a carkaſſe. And it is unlawfull to eat of any beaſt that is borne, untill the eight night (after) Exod. XXII. 30. *for who ſo tarieth not eight daies for a beaſt, it is an untimely birth; though he is not beaten for that. The law forbiddeth that which inclineth to dye, though it be not already dead: and forbiddeth a dead thing, and that is a carkaſſe. There in not difference in the dath, whether in dye of it ſelfe alone, or whether it fall and dye, or whether it be ſtrangled untill it dye, or that a wilde beaſt hath rent and killed it.* i. e. *Qui tantum carnis (præſumptuoſè) edit, quantum eſt olea de mortuo cadavere beſtiæ, vel avis mortuæ verberatur. Et quicquid non legitimo modo mactatum, cadaver eſt. Nihil ſub nomine cadaveris prohibitum, quàm ſolum mundanarum rerum ſpecies, quia illæ aptæ ſunt, ut mactentur, & ſi legitimo modo mactatæ, comedere liceat. Verum res immundæ, quarum mactatio legitime facta, vel quæ moriuntur, vel caro illarum adhuc viventium abſcinditur, & comeditur, non verberatur, acſi cadaver comediſſet, ſed quod carnem immundam comederit. Qui edit partum purum vivum, verberatur ob eſum cadaveris. Ita qui carnem immaturi partus edit beſtiæ mundæ, verberatur ob eſum cadaveris. Illegitimum enim eſt comedere carnem mundæ beſtiæ octo diebus nondum effluxis, juxta* Exod. XXII. 30. *qui itaque non octo dies moratur, eſt partus immaturus, licet ob hanc rem non verberetur. Lex prohibet morti proximum, licet nondum ſit mortuum: & prohibet rem mortuam & hoc eſt cadaver. Nulla differentia eſt inter mortuum, an ſua ſponte moriatur, an cadat & moriatur, an ſtranguletur, donec moriatur, vel an beſtia occiderit & lacerârit.* Conferantur huc quoque *Leges Hebr. à cl. Hottinger. edit. pag. m.* 212.

V. Cadaver itidem apud Hebræos פֶּגֶר appellatur, uti varia Scripturæ Sacræ loca teſtantur, ut 2. *Par.* XX. 24. —— *vidit procul omnem late regionem plenam cadaveribus: & v.* 26. *inter cadavera*, h. e. corpora ſine anima, quippe פֶּגֶר corpus exanime

me significat juxta *Schindler. fol.* 1420. & juxta *Buxtorff. fol.* 1697. corpus destructum. Ita 2. *Regum* XIX. 35. de occiso Exercitu Assyriorum legimus: -- *vidit omnia corpora mortuorum.* Huc referendus locus *Jerem.* XXXI. 40. ubi הפגרים reperimus, quod scil. illic interfecti fuissent Assyrii ab Angelo. Unde *vallis cadaverum*, ubi cadavera putruerunt. *Joh. Drus.* in h. l. הפגרים Th. φαγαρὶμ Phagarim. In *Complut.* & apud Theodoret. καὶ πᾶσαν φάραγγα φαγαρὶμ. Vid. *Jerem.* XXXIII. 5. confer. *Num.* XIV. 29. Ita clare 1. *Sam.* XVII. Et *dabo* פֶּגֶר *cadaver castrorum Philistæorum hodie avibus cœli.* Ex his satis apparet quod vocabulum cadaver denotet, in quo nulla anima, sed corpus destructum.

VI. Voce נפש in Sacris quandoque significari *cadaver* constat, licet Dn. *Frideric. Mullerus Professor quondam Gissensis* hoc oppugnare videatur, quando in dissertat. de Sepulcr. in hæc erumpit verba. *Sed assertores* hi destituuntur evidentia exemplorum; ut patebit inspicienti loca, quæ huc allegantur ex *Hagg.* 2. 14. *Levit.* XIX. 28. *Num.* V. 2. *Levit.* XXI. 11. Testes allegationis habeo *Glass. Rhetor. Sacr. p.* 1101. *seq. Dieu in Genes.* IX. 4. *Drus. apud cl. Hackspan. Miscell.* I. 1. 11. *pag.* 12. *seq.* Videamus verò, quantum valeant loca singula. Sane *Hagg.* 2. 14. sufficit intelligere טְמֵא נֶפֶשׁ *Theme Nephesch* de impuro vivo, quia impura sunt varia *Levit.* XXII. 4. ac viva monstrantur nobis exerte, *Num.* XIX. 18. *Levit.* XI. 44. Observatur quoque in Sacris ferè tribui tactum vivis, lapsum cadaveribus: vid. *Levit.* XI. 31. 32. *Num.* XIX. 18. Hoc si universale est, nos arctè continebit intrà explicationem de impuro vivo. Jacent enim Prophetæ verba planissimè, ita: Si tetigerit, polluta anima, illa (ex vers. præced. panem, vinum, oleum &c.) singula, an polluentur? Secundus ex *Levit.* XIX. 28. locus est valde ambiguus: nec dum constat, an illud לָנֶפֶשׁ *Lanephesch*, hîc vivum, aut mortuum, hominem ne, an aliud animans indigitet. Siquidem notari stigmate cutis potuit, vel, ut in notato conservaretur defuncti memoria; vel ut notatus dicaretur animanti, cui pietatem, religionemque suam is devotum ibat: confer. *Brent. in h. l.* Tertius ex *Num.* V. 2. conf. *Num.* VI. 11. IX. 6. VII. 10. locus subinnuit, incestatos seu fœdatos seu pollutos funere; sed ipsa locutio est Elliptica, & parturit, quamdiu

diu ſupplemento ſuo deſtituitur, meras ambiguitates. Unde enim iſtud טמא; cum variæ ſint cauſæ inducentes pollutionem? Ecquod verò iſtud נֶפֶשׁ, ex tot animantium generibus, quibus idem nomen in Sacra Scriptura tribuitur, *Gen.* 1, 20. 21, 24. 9, 5. 10, 12. 15. 16 *&c*? Imò, quale iſtud eſt נֶפֶשׁ; utrum ſpirans, an exanimatum? Denique præfixum ל (Lamed) quid indicat? an; quod, in commodum funeris, ceſſura ſit iſta pollutio? an; quod piaculum debeatur funeri? an; quod ultimi officii exhibitione contracta ſit impuritas? Contra has ſimileſque ambiguitates, quæratur prius ex *Num.* XIX. 11. ſeqq. 6, 7. congruum formulæ noſtræ ſupplementum; ac tum deſpiciatur, de incommodis vocabulorum. Omnia forte recident in eandem, cum loco ſequente difficultatem. Quartus enim idemque ultimus ex *Levit.* XXI. 11. conf. *Num.* 6, 6. 19, 11. 23, 10. locus expreſſa litera mortem adſcribit ipſi נפש. Verum ſalva res eſt, ſi meminerimus, נֶפֶשׁ ſæpiſſimè ſtare loco nominis, utrique ſexui communis, conf. *Levit.* XXIV. 17. 18. & ſignificare totum ex anima & corpore compoſitum, animans, conf. *Gen.* 2, 7. 9, 5. 14, 21. Hîc Latini commode per ſuppoſitum aut perſonam expriment נֶפֶשׁ: & Hebræorum *Nepheſch meth* valebit Latino idem, quod hoc, aut ſimile, exemplum: mortua perſona, funus, exanimatus aliquis &c. Ita *Num.* XXIII. 10. iſtud נַפְשִׁי moriatur, idem eſt, ac: ego moriar; interprete ipſo *Hackſpan. Miſcell.* 1. 1. 20. Abſolvi, pergit, exemplorum allegatorum examen; ac intelligo, exempla producta non eſſe idonea ad defendendam litem, quæ intendebatur; Itaque conquirenda erunt alia exempla, quæ fidem faciant, quod *Nepheſch* & *Niblah* uſurpentur promiſcue de cujuſvis animantis fœtido cadavere. Ex poſitis enim exemplis hoc ſolum patet: quod *Nepheſch meth* dicatur de funere ſeu de homine recenter mortuo: conf. *Flac.* 1. *Clav. Script. in voce Anima* §. 6. & 12. *Nepheſch meth* dici per Antiphraſin volunt *Glaſſ. l. c.* & *Hackſpan. in Pſalm.* 16. 10. *pag.* 68. Hos, ego non cenſeo. De Antiphraſi tamen videſis *Voſſ. Inſtitut. Orat.* 4. 13. 11. *pag.* 251. *ſeqq.* §. 13. *Nepheſch*, aliàs venire Judæis, pro Epitaphio, neminem latet. Huc uſque *Mullerus*.

VII. Verum hîc calculum Dn. *Mullero* addere non poſſumus: & quidem quod ad locum *Hagg. c.* 2. attinet, eidem viros

ros auctoritate pollentes opponimus, qui verba Prophetæ non de impuro vivo, sed cadavere intelligunt. Ita *Munster. comment. in h. l.* Immundus autem super anima est, qui corpus hominis mortui tetigit. *Vatablus. Immundus*, pollutus animâ in omnibus istis. *Anima pro cadavere humano*, ut Levit. XXI. 1. Ita quoque *Clarius* in h. l. Johannes Drusius, pollutus animâ, i. e. *tactu cadaveris.* Hic perspicue *anima* pro cadavere ponitur. Firmabo hoc, inquit, testimonio Hieronymi: *Immundus in anima*, scribit, *dicebatur, qui corpus mortui hominis attigerat.* & paulo post, *pollutus in anima, h. e. qui contagione mortui est immundus effectus.* Idem ex Græco ἀκάθαρτος ἐπὶ ψυχὴν reddit, *pollutus super mortuo.* Quod autem ex *Levit. cap* XXII. 4. velit probare de impuro vivo intelligi, vix habebit. Textus enim ita sonat: Qui tetigerit immundum super anima. *Junius* & *Tremellius* vertunt *mortuo.* Et Anglus: *He that toucheth any thing that is uncleane by a soule:* per animam *Ainsworth.* intelligit *cadaver*, quando ita literis tradit: *by a soul, the Greecke translateth any uncleaness of a soule, whereby the dead is meant.* Et licet etiam viva immundum reddant, uti ex Levit. cap. cit. & *Num.* XIX. ostenditur; attamen nulla re magis polluitur, quam ex cadavere: vid. *Ainsworth. fol. m.* 123.

VIII. Deinde locum secundum ex *Levitic. cap.* XIX. 28. valde ambiguum esse asserit *Mullerus*, quod veritati contrarium videtur. Expresse enim ibi textus loquitur de *cadavere* seu *homine mortuo*, quando prohibet, ne *incisionem* faciant Israëlitæ ob *mortuum.* De hoc ritu videatur B. *Geier. in libell. elegantiss. de luctu Hebræor. cap.* X. §. 2. *pag. m.* 230. 231. 233. *seq.* Hic sane *anima* ponitur pro homine mortuo, uti *Numer. cap.* VI. 6. clare indicatur, ubi textus ita legit: Omni tempore consecrationis suæ super mortuum (juxta Hebr. Anglus reddit *at a dead soule*) non ingredietur. Et *Targum* hic referente *Ainsworthio* exponit, *at the sonne of man that is dead*, i. e. *super filium hominis, qui mortuus est.* Ita *anima* hoc loco ponitur pro corpore mortuo, ubi anima est separata. Nam juxta *Canones* Hebræorum, mortuus non polluit, nisi anima separata fuerit, *Maimon. in Tumath meth. c.* 2. *s.* 15. Chald. locum Levit. vertit cadaver. Et Moses seipsum explicat *Deut.* XIV. 1. Ne incidetis, nec facietis calvitium super mortuo טְמֵא נֶפֶשׁ. Græcus re-

tinet *animam*. Ita etiam apud *Latinos* anima pro corpore mortuo accipiebatur, uti ex *Virgilio Æneid*. 3. constat: *Animamque sepulchro condimus.* Quare qui apud Hebræos incisionem faciebat pro mortuo (Heb. anima) verberabatur juxta canones Hebræorum, *Maim. tr. de Idololatr. cap.* XII. *sect.* 12. cujus verba Anglice recenset *Ainsworth. Comment. in Levit. fol. m.* 118. his verbis: *He that did cut one gash for the dead, was to be beaten; and wheter he were a Priest, or an other Israelite, if he cut one gash for five dead persons or five for one dead person, he was to be beaten five times.* Ex his clare elucet locum non esse ambiguum, uti voluit *Mullerus*, sed clarissimum.

IX. Simili ratione respondemus cum *Ainsworthio ad locum Numer. cap.* V. 2. quem putat ellipticum esse, nisi addatur טמא. Præcipe ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super (anima Hebr.) *defiled by a soule*, i. e. cadavere. Chaldæus hîc vertit *super ossibus animæ hominis*, accipiens *animam* pro *cadavere.* Sic quoque Quartum locum *Levit.* XXI. 11. explicant Doctores de corpore mortuo: confer. *Ainsworth. Comment. in h. l. fol. m.* 125. *&* 127. Quare meritò *Mulleri* opinionem rejicimus, & dicimus, quod נֶפֶשׁ semper pro mortuo sumatur, quando pollutionem aliquam involvere dicitur. Et hæc de *actu* circa Sepulcra apud Hebræos observata sufficiant.

CAPUT V.

De Actu in Sepulcris observato ex Nomenclatura Græcorum & Latinorum.

I. Actum signant Euangelistæ phrasi τίθεσθαι ἐν τῷ μνημείῳ, conf. *Apoc.* XI. 9. Idem aliàs indicatur verbo θάπτειν, quod videtur non minus late patere, quam Latinorum *sepelio.* Scripsit enim de *Colchis Ælianus, lib.* IV. I. τοὺς νεκροὺς ἐν βύρσαις θάπτουσι, καὶ καταῤῥάψαντες, ἐκ τῶν δένδρων ἐξαρτῶσι: *Colchi mortuos suos in pellibus sepeliunt, & insutos ex arboribus suspendunt.* Id ipsum θάπτειν à LXX. *Genes.* L. 26. peculiariter adhibitum fuisse pro Hebr. חנט quod significat ἐνταφιάζειν,

i. e.

i. e. aromatibus condire. Obſervat *Druſ.* l. c. Sed in textu citato nondum evidenter potuimus reperire iſtum verbi uſum.

II. Bis occurrit hoc verbum in N. Teſtamento, nempe *Matth.* XXVI. 12. de muliere in domo Simonis leproſi unguentum in Chriſti caput effundente, πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν. & *Joh.* XIX. 40. καθὼς ἔθος ἐςὶ τοῖς Ἰȣδαίοις ἐνταφιάζειν. Utrobique vetus Interpres *ſepelire* vertit. Ita etiam *Caſtalio*, *Clarius*, *Druſius*. Beza, Piſcator & alii reddunt *funerare*, rectius omninò. Optimæ Gloſſæ: Ἐνταφιάζω *funero*. *Caſaubonus* in h. locum: Ego, inquit, diſtinguendum eſſe arbitror inter θάπτειν & ἐνταφιάζειν, idemque inter ἐνταφιασμὸν & ταφήν. Θάπτειν enim *ſepelire* ſignificat: at ἐνταφιάζειν *eſt corpus ad funus componere*, & ornamentis, ut ſic dicam, ſepulchralibus ornare: quæ Græcis ἐντάφια vocantur. Ergò quod funditur unguentum in Chriſti caput, id pertinet ad τὸν ἐνταφιασμὸν, non ad τὴν ταφήν. Hactenus ille. Ἐνταφιάζειν ergò eſt *ad ſepulturam parare*, & præcedit, utpote prius ordine, & τὸ θάπτειν *ſepelire* ſequitur ut poſterius. Patet hoc etiam ex *Gen.* L. 2. ubi Hebr. חנט ſignificat aromatibus condire corpora mortuorum: vid. *Nicol. Fuller. Miſcell. Sacr. lib.* VI. *cap.* XVIII. ubi quid Hebr. חנט, quid ἐνταφιάζειν & ἐνταφιασμὸς ſit fuſe exponitur: confer. huc *Dieteric. Antiquit. Bibl. fol. m.* 146. *Suicer. Theſaur. fol. m.* 1124. 1125. *Balduin. Walæ. Comment. in h. l. Quenſted. de Sepultur. veter. cap.* V. *pag. m.* 79.

III. Apud Latinos *Actus* exprimitur verbis *ſepelire*, *humare*, *condere*. Sepultus enim intelligitur quovis modo conditus teſte *Plinio hiſtor. nat.* VII. 54. Humati dicuntur non niſi humo contecti, *Perott. fol.* 831. 52. Sepultura humari dixit *Cicero* 2. *de Legib.* 56. §. 8. Cadaver dicitur aliàs corpus mortuum exanimum, aliàs funus. Cadaver, inquit *Martin. in Lexic. Etymolog. fol. m.* 222. *edit. Brem.* eſt corpus exanime animalis, quia egreſsâ animâ non amplius inſiſtit & ambulat, ſed cadit, ut poſſit dici πεσὸν σῶμα, cadivus truncus. *Scal. l.* 3. *c.* 12. Eodem modo, Græcis πτῶμα à πίπτω; etiam πέσος *Euripidi in Phœniſſ.* 4. & πέσημα. Vocabul. Vet. vult dici *Cadaver*, quod ſit *caro vermibus data*, quæ Etymologia potius alluſiva.

IV. Appoſitè ad hanc rem *Servius in Æneid.* II. *v.* I. *f.* 1589. Conſuetudo, inquit, Romana fuit, ut polluti funere minimè

ſacrificarent: ſi tamen contingeret, ut uno eodemque tempore & funeſtaretur quis, & cogeretur dare operam ſacrificiis, laborabat, ut ante ſacra compleret, quàm funus agnoſceret: Unde etiam Horatius Pulvillus in Capitolii dedicatione, cum ab inimicis ei filius extinctus nunciaretur, ait: Cadaver ſit, nec voluit funus agnoſcere donec templa dedicaret. Sic ille. CADAVER aliquando voce ANIMÆ per Synecdochen partis pro parte ſignificari, vult non nemo, fretus *Virgilio*, qui *Æneid.* III. 62. *ſeqq.* ita canit:

Ergò inſtauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus: ſtant manibus aræ
Cæruleis mœſtæ vittis atraque Cupreſſo:
Et circum Iliades crinem de more ſolutæ,
Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras: animamque Sepulcro
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

Et *Æneid.* XI. *v.* 22. *ſeqq.*

Interea ſocios inhumataque corpora terræ
Mandemus: qui ſolus honos Acheronte ſub imo eſt:
Ite, ait: egregias animas, quæ ſanguine nobis
Hanc patriam.

An autem rectè, quæritur? ad quam quæſtionem *Negando* reſpondemus, quia in neutro Poetæ loco eſt quicquam, quod ad cadaver pertineat, ubi de Anima Poeta loquitur. Non in priore: Hi enim Trojani tumulum non aperuerant, ſed editiorem duntaxat faciunt, ut poſſit poſthac agnoſci Sepulcrum, neve denuo violetur ab imprudenter cæſuro ibi ligna. Ipſi ergò animæ juſta erant facienda, tum ad expiationem Sepulchri, ab Ænea violati, tum ad animam quiete ſua donandam. Cauſam illam *Donatus f.* 683. hanc *Servius f.* 681. in h. l. comprobant. In *poſteriore* Virgilii *loco* ANIMAS pro CADAVERIBUS non ſumi apparet ex toto undique contextu. Ideò Interpretes hîc per *Synecdochen* partis pro toto accipiunt ANIMAS pro VIRIS DEFUNCTIS. Fuit ille tropus huic loco adeò neceſſarius, ut neutiquam ſenſa animi ſatis expreſſiſſet, ſi aliter fuiſſet locutus Poeta. Ad animam enim redundant plurima commoda ab iſtis ſupremis muneribus, de quibus in loc. citat.

confer.

confer. *Muller. dissert. de Sepulcris*, *Kirchman. de funeribus Romanor. lib.* 4. *pag.* 330. *seq.* *Quensted. de Sepult. veter. pag. m.* 164. *seq.*

CAPUT VI.

De Ammah seu Cubito.

I. Allegatur in *Bava Batra* 6. 8. אמה *Ammah* seu Cubitus, quo dimetienda sint Sepulcra; quæritur, quanta sit ejus Cubiti longitudo? Quippe obsservat ex Philippo Aquinate *Buxtorff. in Lexic. Rabbino-Talmudic. Radic.* אמם *fol.* 112. Triplex Cubiti genus fuisse in Sanctuario: Primum v. palmorum. Alterum sex palmorum. Tertium x. palmorum. Tradit verò *Commentat. idem*, quod humanæ staturæ sufficiat dimensum 3. Cubitorum. Monet enim iteratò, quod ipsius *Meth* seu mortui longitudo sit 3. Cubitorum; sed, quod *Koko* assignetur longitudo 4. Cubit. propter loculi tantam longitudinem. Porrò constat ex tract. cl. *Mulleri de statuis* 5. 3. 5. *seqq.* usitatiorem humanæ staturæ modulum subsistere intra 6. pedes. Hinc adeò colligere pronum est, esse ternos Cubitos fere senis pedibus æquales; ac uno Cubito contineri binos pedes. Denique solemus pedi nostro 4. palmos, atque 8. palmos pedi geminato tribuere. At suprà Judæus dedit Cubito suo 6. טפחים *Thophechim*. Erunt itaque palmi 8. octoni ferè æquales 6. senis Thophechim: & 18. Thophechim erunt ferè æquiparanda 24. palmis. Hæc pro modulo Cubiti & Thophechim dicta sunto. Quibus etiam finem libro primo imponimus.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECUNDUS DE SEPULTURA ET SEPULCHRIS VARIARUM GENTIUM.

Argumentum Libri Secundi.

I. Ne longioribus ambagibus Lectores Benevolos detineamus, brevibus argumentum libri hujus referam, quod aget de Sepultura & Sepulchris diversarum gentium ac nationum, quarum mores fuse descripturi sumus, minime dubitantes, quin labor hic maximo usui sit futurus. Hoc tantum precibus flagito ut benè memoriæ imprimantur ea, quæ non sine longo labore congessimus. Non minimum etenim adminiculum esse potest studiosis de Sepultura & Sepulcris sermones habituris nosse variorum populorum mores circa Sepulturas observatos, qui ansam dabunt meliori fructu proponendi ea, quæ ad ædificationem pertinent. Præmittemus itaque quædam summatim de Sepultura, deinde proponemus Sepulcra observata in *Asia*, *Africa*, *Europa* & *America*.

CAPUT I.

De Sepulturæ Jure.

I. Sepultura à sepeliendo, atque hoc vel à sepiendo, quia locus, quo conditur cadaver, lapide vel humo sepitur, vel à Chaldæo שפל *humilem esse*, quia sepulti humili loco conduntur, dicitur. Propriè notat *rem sepultam*, sicut scriptura rem scriptam. Impropriè vel locum conditûs vel actum condendi, quo sensu & nos usurpamus. Respondet vox Hebræa קבורה a

קבר

קבר, quod latiori notione significat terræ reddere, strictiori *terra condere*. Græcos voce θάπτειν eadem notione usos esse liquet tum ex *Photio*, qui inter argumenta librorum Ctesiæ refert caput hoc καὶ περὶ τοῦ θάψαντος τὸν πατέρα διὰ τοῦ πυρὸς παρὰ τὸν νόμον, tum ex *Diogene Laërtio*, qui in prooemio tradit, *magos profanum ducere, igne sepelire*. Sed & Latinis in usu fuisse hanc notionem docet illud:

Nec nudum curo, sepelit natura relictos.

Est autem Sepultura mortuorum, ut paucis finiamus, actio ejusmodi, qua vivi potestatem habentes corpora defunctorum honeste deducta loco idoneo decentibusque ritibus humi recondunt, ad maturandam eorum putrefactionem, ac testandam spem resurrectionis eorum futuræ, & ne corpora, quæ Templa fuerunt, vel esse debuerunt Spiritus Sancti, ludibrio exponantur, vel ab animantibus indignis modis dilanientur.

II. Ex quo fonte jus Sepulturæ deducendum varie disquiritur. Ex jure Gentium derivant *Kirchmann. de funerib. Roman. appendic. c. 3. pag.* 683. *D. Quensted. de Sepultura veter. c.* 11. *p.* 19. *seqq.* Verum nos cum aliis viris doctissimis statuimus, Sepulturam esse *juris naturæ, divini* & *Gentium*. Quod sit juris naturæ *Petr. Gregor. Tholosan. in prælud. optimi Jurisconsulti lib.* 2. *cap.* 44. *edit. Lugdun.* 1583. probat auctoritate *Dionis Prusæensis Sophistæ*, qui jus Sepulturæ juris naturalis esse dixerit in oratione περὶ ἔθους de consuetudine, ubi ita, Τὸ γοῦν μὴ κωλύειν τοὺς νεκροὺς θάπτειν, οὐδαμῇ γέγραπται, πῶς γὰρ ἂν ὑπήκουον οἱ κρατοῦντες τοῖς τῶν ἡττωμένων ἐπιτάγμασιν, ἀλλὰ ἔθος ἐστὶ, τὸ ποιοῦν τῆς φιλανθρωπίας ταύτης τοὺς κατοιχομένους τυγχάνειν, i. e. *Nusquam prohibitum est, mortuos sepelire, quo enim victores obtemperare vellent jussis illorum qui succubuerunt? at consuetudo est, quæ facit, ut defuncti fruantur hac humanitate*, hæc ibi. Neque potui satis mirari aliàs formicarum pietatem, quæ velut istius juris participes sese inter se sepeliunt mortuas, ut & scribit *Plin. lib.* XI. *c.* 30. Quæ vel solæ ad suadendam mortuorum curam sufficere queunt.

III. Corpora defunctorum humi recondenda esse divino jure præceptum est. Ita enim divinum oraculum habet *Gen.* III. 19. *Terra es & in terram reverteris*: quibus verbis Deus Protoplastos docere voluit, quod illud, quod ex terra ortum, terræ

terræ deberi neceſſe ſit: vid. *celeb. Andreæ Adami Hochſtetter. diſſ. de officio erga defunctos ſecundum legem naturæ*, edit. *Tubing.* 1701. conf. *Henric. Ainsworth. Comment. in Gen. fol. m.* 18. *edit. Londin.* Et *Eccleſ.* XII. 7. dicitur: וישב העפר על-הארץ כשהיה *Et revertatur pulvis in terram, quemadmodum erat*. Conferantur huc annotat. *B. Geier. in h. l. p. m.* 467. 468. Quod ſi cadavera inhumata relinquerentur, beſtiis potius in alimentum cederent, quàm in pulverem redigerentur. Quam indecorum hoc ſit, eruditè ſatis oſtendit prælaudatus *Hochſtetterus Fautor noſter venerandus* §. 15. 16. *diſſert. cit.* Neque etiam obſtat, quod ſepulti videantur vermium & ſerpentum eſurialis victima fieri, juxta illud *Syracid. cap.* X. 13. Ἐν γὰρ ἀποθανεῖν ἄνθρωπον, κληρονομήσει ἑρπετὰ καὶ θηρία καὶ σκώληκας. *Cum mortuus fuerit homo, hæreditabit ſerpentes, beſtias & vermes.* Ita vertit Vulgatus. Etenim ſi maximè verum eſſet, corpora humata infra terram à vermibus, ſerpentibus ac beſtiis corrodi & conſumi, tamen haut longo poſt intervallo ἐμμέσως, unà cum vermibus in terram redigerentur. Tum etiam regulariter & ordinarie humata corpora in pulverem reverti, experientia teſtatur, ubi à veſpillonibus ſæpe moventur corpora, in quibus nulla apparent veſtigia corroſionis, nulli vermes reperiuntur, & quæ ſæpius integra videntur, leviter mota in pulverem abeunt & evaneſcunt. Quæ verò de ſerpentibus habent, figmento ſimillima ſunt, inprimis ea, quæ de ſerpentibus ex ſpina dorſi hominis, vel ex ſpinæ medulla oriundis, *Plin. l.* X. *c.* 66. & ex aliis *Philipp. Camerar. Horar. Succiſ. l.* I. *c.* II. memorant. Quamvis enim quibuſdam in cadaveribus reperti eſſent, nihil inde adverſus divinam ſententiam pronuntiare fas eſſet, quia fieri poteſt, ut aliunde advenerint, non ex corpore prognati fuerint. Atque eandem ob cauſam terram *Syracid. cap.* XL. I. vocat μητέρα πάντων *matrem omnium*, quia mortuos ſinu ſuo excipit, & pulverem & oſſa noſtra uſque ad diem reſurrectionis complexu ſuo cuſtodit. Et *Nazianzen.* homines appellat διςαφέας, *bis ſepultos*, quod primum in alvo matris tecti & quaſi ſepulti jaceant, antea quam in vitam hanc naſcantur: deinde in alveo terræ lateant, donec ad æternam vitam reſuſcitentur.

IV. Hinc adeo antiquiſſimus perpetuuſque in Eccleſia uſus obtinuit, ut defunctorum corpora mandarentur terræ. Exem-

pla

pla multa occurrunt in Scriptura Sacra, ut *Genes.* XXIII. 14. 19. XXV. 9. XXXV. 8. 19. 47. *Num.* XX. 1. *Jos.* XXIV. 30. & alia plurima. Quin & ipse Deus morem hunc affirmavit *Deut.* XXXIV. 6. ubi servum suum *Mosen* sepelivisse dicitur in terra *Moab*, è regione *Beth-Peor:* vid. diss. *B. Gerhardi de Sepultura Mosis.* Nam quod verba illa ויקבור אותו inter *Hebræos Aben-Ezra* aliique ad *Mosen*, quasi seipsum sepelivisse diceretur; alii ad Deum quidem, sed ministerio Angelorum utentem referunt, dilutum est. Quippe ad subjectum proximum, nimirum Jehovam referendum esse & series contextus arguit, & Judas vers. 9. insinuat, tribuens id *Michaeli* Archangelo, hoc est, Jehovæ Christo, uti evincit παραλληλία text. *Zachar.* III. 2. ubi is, qui cum Sathana disceptavit, eumque Deo increpandum commisit, vocatur Jehova. Atque ei sententiæ etiam R. *Abarbanel* calculum addit. Audiamus etiam Anglum *Henric. Ainsworth. comment. in h. l. Deut. fol. m.* 167. differentem: *he burried him, that is Jehovah burried him, or Michael (that is Christ, who is Jehovah one with te Father.* Sed & accedit efficacissima ratio, necessitas nimirum putrefactionis corporum, ut postea ad resurrectionem & renovationem sint idonea. Cujus rei specimen quotidie in ipso naturæ cursu apparet, videlicet in proventu fructuum. Fructus enim quos è terra metimus, unde nisi ex putredine nascuntur? Quippe semente facta nisi grana emoriantur & putrescant, nihil proveniet. Cum igitur generationis principium & causa sit corruptio, necessum est, ut ea præcedat. At corruptio omnimoda corporum & putrefactio ubi commodius, quam in utero terræ contingere potest? Qua argumentatione usus est *Paulus* 1. *Cor.* XV. 37. 38. Unde in lingua nostra passim moris est cœmeteria nuncupari *agros Domini* Gottes Acker/ quia in iis corpora piorum veluti quædam grana in spem futuræ resurrectionis seminantur.

V. Neque ex divino tantum mandato, sed etiam ex jure Gentium voluntario corporibus vita defunctis sepultura debetur. Unde *Dio Chrysost.* inter *mores* seu ἔθη, quæ τοῖς ἐγγράφοις seu scripto juri apponit, post legatorum jura commemorat, μὴ κωλύειν τοὺς νεκροὺς θάπτειν, *non prohibere quo minus sepeliantur mortui. Seneca* quoque *l.* 1. *Controv.* inter jura non scripta, sed omnibus scriptis certiora ponit *humum porrigere cada-*

 veri.

veri. Et *Isocrates in Panathen.* ubi *Adrasti Argivorum* Regis memorabilem recitat sententiam, humare mortuos esse morem antiquum & jus patrium, quo omnes inter se homines utuntur, quodque non ab humano proditum ingenio, sed à divina imperatum potentia videatur: confer. *Excell. Dn. Andreæ Adami Hochstetteri Fautoris nostri dissert. moral. de officio erga defunct. secundum leges naturæ* §. 7. *Euripides* jus hoc Sepulchri νόμον βροτῶν *legem hominum*, Lucanus *hominum ritus*, Papinius *Terrarum leges & mundi fœdera*, Tacitus, *Sortis humanæ commercium*, Lysias *Spem communem* vocant. Quique id juris aliis exsolvere detrectant, eos *hominem exuere* Claudianus, *naturæ dedecus* facere Leo Imperator, τὴν ὁσίαν ὑβρίζειν fas violare *Isidorus* Pelusiota, dixere. Plura ex hoc jure Gentium voluntario qui cognoscere avet, adeat licet *Hugonem Grot. de J. B. & P. l.* 11. 19. 1. Sanè etiam apud Athenienses sepulturæ tanta cura fuit, ut dux cæsos sepeliri negligens morte mulctaretur. Sic *Alexander Magnus* milites suos magnifice sepeliebat, ut auctor *Diodor. Sicul. lib.* 17. indicat. Et *Nicias* totum exercitum subsistere jussit, ut duos milites sepeliret. Et hæc de Jure Sepulturæ sufficiant.

CAPUT II.

De Causis finalibus Sepulturæ.

I. Quem porrò in finem & Deus præceperit, & gentes receperint morem sepeliendi, inquirendum. *Moschion* olim censuit, sepulta primò fuisse cadavera, ne giganteæ feritati mandendi homines obnoxia essent. Aliis videtur hoc modo homines velut sponte solvisse debitum, quod alioqui vel ab invitis natura repetit. Quippe homines ex terra ortum habere, non Deus tantum *Adamo* edixit, sed & exotici Auctores passim agnoverunt. Si è terra originem traxerunt principia nostræ mortalitatis, in terram etiam tandem resolvi debent. Et tu quisquis es, laborabis continuo in hoc mundo; donec revertaris in terram, de qua sumtus es: vid. *Job.* x. 9. *Psalm.* 103. 29. *Psalm.* 145. 4. Quod ad Auctores exoticos; *Cicero* ex

Euri-

Euripidis Hypsipyle monuit, *terram terræ reddendam esse.* & *Propertius libr.* 2. de certo quodam defuncto cecinit: — *qui nunc jacet arida pulvis.* Hinc quidam Rex *Galliæ* suam tumbam hoc Epitaphio insigniri voluit:

RISI, PLORO, FUI, NON SUM. STUDUI, REQUIESCO
LUSI, NON LUDO, CECINI, NUNC MUTIO. PAVI
CORPUS, ALO VERMES. VIGILAVI, DORMIO. DIXI
SALVE, DICO VALE. RAPUI, RAPIOR. SUPERAVI
VINCOR. CERTAVI, PACE UTOR. JURE EGO VIXI
JURE IGITUR MORIOR. NON OBSTO, OBSTARE NEQUIREM
TERRA FUI QUONDAM; RURSUS SUM TERRA. NIHIL SUM
TERRA CADUCA VALE, VERMES SALVETE, RECUMBO.

Olim Gentilibus opinio insedit, defunctorum corpora sepelienda esse, ut animabus eorundem melius sit. Hinc *Virgilius lib.* VI. *Æneid. v.* 324.

Hæc omnis quam cernis, inops inhumataque turba est:
Portitor ille, Charon: hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius quàm sedibus ossa quierunt.

Quod autem sepultura juventur, & quod viventes illis opitulentur, subjicit *vers.* 364.

Per genitorem oro, per spem surgentis Jüli,
Eripe me his invicte malis, aut tu mihi terram
Injice, namque potes, portusque require Velinos.

Et postea:

Da dextram misero, & tecum me tolle per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.

Sed certum est, nihil mortuis Sepulturam afferre solatii. Neque enim animæ fidelium uni Deo defixæ corporum defunctorum conditione afficiuntur. Sicut nihil prodest Sepultura animabus infidelium: ita nihil obest negata Sepultura animabus fidelium.

II. Veras igitur causas Sepulturæ in definitione §. I. c. I. expressimus. Prima est *necessitas putrefactionis corporum.* Nam hanc ob causam cadavera terræ mandantur, *ut* scil. *illa visu & odore fœda à viventium medio amoverentur.* Ne ergò ex hujusmodi cadaverum putrefactione aër vitium contrahat, adeo-

que prudentissimè cautum, ut cadavera terræ committerentur: confer. annot. venerand. *Dn. Johannis Faes ad Gyrald. pag. m.* 117. 118. *edit. Helmstad.* Humata verò corpora & defossa profunde in pulverem cineresque abiisse observatum est, quod perpetuæ isti, quam natura amat, ἀνακυκλώσει vehementer congruit, & à *Cicerone* quoque agnitum est, reddi ea ratione terræ corpus, atque ita locatum ac situm quasi operimento matris obduci, ut cum corpus terra sit, quæ dederat, ipsa recipiat: confer. *Excell. Hochstetter. dissert. de offic. erga defunctos secundum legem natur. edit. Tubing.* 1701. §. 18.

III. Secunda est *testificatio spei resurrectionis mortuorum*. Id probat *Calvinus plurib. argument. Instit. l.* 3. *c.* 25. Hinc adeò Spiritus Sanctus in narrandis sepulturis non minus diligenter insistit, quam in præcipuis fidei mysteriis. Quin id ipsum non obscure insinuat Christus *Joh.* XII. 24. & *Paulus* 1. *Cor.* XV. 37. 38. Etiam Christiani veteres sæpe morem honestè condendi corpora ad hanc spem referunt. Imò id ipsum docuisse Democritum, testis est *Plin. lib.* VII. 55. Hinc jam *Apostolorum* ætate defunctos honeste sepelire soliti sunt Christiani, exemplo Stephani, quem viri timorati sepeliverunt, *Act.* VIII. 2. Habuisse etiam Christianos *Cœmeteria*, ad quæ defunctos deduxerint, patet ex 1. *Corinth.* XV. In luctu positos resurrectionis spe consolabantur, 1. *Thess.* IV. confer. *B. Hildebrand. antiq. Ecclesiast.* Bene quoque *Minutius Felix in Octav. pag. m.* 328. loquitur quando ita disserit: *Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturæ timemus*, sed veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus. Vide adeò quàm in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Iisdem argumentis in adstruenda resurrectione utuntur *Theophil. lib.* 2. *Justin. Apol.* 2. *Cydon. de contemn. morte. Athenagor. de resurrect. mort. Tertull. de resurrect. carnis.*

IV. Tertia est, *ne corpora hominum defuncta, vel hominum vel animantium reliquorum ludibriis & injuriis exponantur.* Est enim homo animal nobilissimum Deoque charissimum. Fidelium porrò corpora cum vita animarentur, templa fuerunt Spiritus S. membra Christi, organa servientia justitiæ, atque eundem usum renovata recuperabunt. Indignum itaque foret, si iis alia animantia pascerentur, vel ignominiæ ac injuriis omnium

expo-

expoſita ea paterent. Noſtram hanc ſententiam ſtabilimus verbis *Excell. Dn. Andreæ Adami Hochſtetteri Profeſſoris Moral. Academ. Tubing. celeber. Fautoris noſtri æſtumatiſſimi*; quæ huc transſcribere operæ pretium eſſe putamus. Habentur & leguntur illa §. 16. *diſſ. de officio erga defunct. pag. m.* 15. *Cum homo cæteris animantibus præſtet, indignum fuiſſe judicatum, ſi ejus corpore alia animantia paſcerentur, igitur inventam Sepulturam, ut id quantum poſſet, caveretur. Fundamentum ergò proximum erit humanæ naturæ excellentia atque dignitas & illa naturalis averſatio ne contemnamur. Igitur non ex præſumta ſolum aut ante obitum declarata voluntate hoc quicquid eſt officii præſtatur; cum etiam poſt mortem honeſte tractari velimus.* Conſentientem hic reperimus *Petrum Gregor. Tholoſan. in prælud. optim. Juriſconſult. lib.* 2. *pag. m.* 339. *edit. Lugdun.* 1583.

V. Peccant igitur omnes contra humanitatem & decorum, qui tempore belli Sepulcra diruunt & cadavera condita nuda relinquunt, ut merito cum Athenienſibus querendum apud *Livium lib.* XXXI. Omnia Sepulcra monumentaque diruta eſſe, omnium nudatos manes, nullius oſſa terrâ tegi. Non memorabimus *Cambyſen* vetuſta Sepulcra inſpicientem & recondita in illis corpora vellicantem. Nil dicemus de *Xerxe*, Beli tumulum aperiente; nil de *Philippo* in tumulos æque ac in hoſtes ſævіente: labem iis adſperſit crudele hoc flagitium, quam perennia hiſtoriæ monumenta æternum deteſtabuntur. Placet illos intueri, qui ſana moratiorum gentium monita & approbarunt & obſervarunt, neque cum iis, qui iraſci & inſidiari nequeunt, bella geſſerunt. Prudens Athenienſium decretum eſt, qui hos capite plecti voluerunt, quorum crudelitas ad Sepulcra uſque penetraret. Revocatur ſubinde in memoriam clementia *Caroli* V. quamdiu Sepulchrum B. Lutheri inſpicere licet: Cum enim *Ferdinandus Albanus* & *Epiſcopus Atrebatenſis* A. 1547. flagitarent, ut *Lutheri* tumulus dirueretur & cadaver effoſſum cremaretur, non prudenter minus, quàm clementer reſpondit: Nil ſibi ultra cum *Luthero* eſſe, habere illum alium judicem, ſibi bellum non eſſe cum mortuis, ſed cum ſuperſtitibus & armatis, quod refert *Piccart. Dec.* VI. *c.* 6. *Obſervat. Hiſt. Pol.* nec non *D. Johann. Meiſner. in deſcript. Eccleſ. Colleg. omnium Sanct. Witteb. pag.* 143. De qua re plura in capite de violatione Sepulcrorum.

VI. Quod si tamen casu aliquo θεηλάτῳ aliaque necessitate sontica aliqua culpa non accersita quandoque contingit, ut carendum sit Sepulchro, damnum illud fidelibus moderate ferendum est. Imprimis si id fiat propter nomen Christi & professionem Euangelii. Quomodo Pontificia tyrannide & immanitate factum est, ut sinceris Euangelii confessoribus unà cum luce terra, cœmeterium & Sepultura denegaretur, uti vel ex sola historia *Buceri* & *Fagii* à *Balæo* & *Thuano* descripta, nec non uxoris *P. Martyris* aliorumque constat. Etenim si vita ipsa pro Christi nomine profundenda, multo magis Sepulturæ honos gloriæ Dei & veritatis confessioni postponendus est. Inprimis cum & Deus custodiat omnia ossa piorum, ut unum ex iis non confringatur, *Psalm.* XXXIV. 21. & non solùm terra, sed etiam mare & mors mortuos postliminio sint reddititura, *Apoc.* XX. 11. & Sanctorum mors semper pretiosa in oculis Domini, *Psalm.* CXVI. 15. Præclarè *Augustin. de Civ. Dei lib.* 1. 12. Ista omnia, i. e. curatio funeris, conditio Sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt vivorum solatia, quàm mortuorum subsidia. Si aliquid prodest impio Sepultura pretiosa, oberit pio vilis & nulla. Præclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum, sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium exhibuit Angelorum, qui eum extulerunt non in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium sustulerunt. Et cap. XII. Multa corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam à cœlo & terra separavit, quam tota implet præsentia sui, qui novit, unde resuscitet, quod creavit. Quin *Theodorus Cyrenæus* homo Gentilis *Lysimacho* crucem minitanti respondit apud *Ciceronem Tuscul. Quæst. l.* 1. Terribilis sit hæc purpuratis tuis: Θεοδώρῳ ἐδὲν μέλει, πότερον ὑπὲρ ἢ ὑπὸ γῆς σήπεται, *Theodori non interest, ubi, supra an infra terram putrescat.*

VII. *Lilius Gregor. Gyraldus in libello de Sepultura & vario sepeliendi ritu capit.* 1. *edit. Helmstad.* 1676. *pag.* 2. alias causas haut contemnendas adduxit, quando in hæc erumpit verba: *Si tamen accuratius res ipsa perpendatur*, DUPLICEM *inprimis eam esse videbimus, ut scilicet posteri sibi quoque moriendum esse admoneantur, simul omnibus illuc tendentibus rectè ac sanctè vivendum esse*:

esse: quibus rebus ad benè beateque vivendum naturæ quodammodo jure impellimur. Tritum illud Philosophorum notum omnibus: Unius rei plures possunt esse fines. Ita quoque Sepulturæ. Etsi verò ejus finis non unus sit, uti probavit celeb. *Quensted. de Sepult. cap.* 1. qui ita: In alieno funere velut in quodam speculo conditionis & naturæ nostræ admonemur, unde etiam tumuli defunctorum, monimenta dicuntur: & Sepultura humanæ conditionis memoria, *Modestino in l. quidam in suo ff. de conditione & instit.* Quia memoriam non solùm sitorum illibi, sed & nostræ mortalitatis nobis ingerunt. Qui plura de his legere desiderat, evolvat *celeber. Johannis Faes annotationes eruditas* ad hunc locum, qui *pag.* 100. 101. *seq.* fuse & erudite de his scripsit, cujus verba ob prolixitatem transscribere supersedemus.

CAPUT III.

De variis Sepulturæ generibus, & quidem humatione & crematione.

I. Quamvis olim ut & hodie apud varios populos varia Sepulturæ genera fuerint & sint, attamen nullum antiquius reperimus quàm HUMATIONEM, quæ Patriarchis etiam usitata, uti ex Scriptura Sacra patet. Imò *Cicero lib. 2. de Legib. num.* 56. genus hoc Sepulturæ antiquissimum asserit, qua mortui humantur. Verba ejus hæc sunt: *Mihi quidem antiquissimum Sepulturæ genus fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum & situm quasi operimento matris obducitur.* Ipsi verò Sepulcro *Cyri* hoc inscriptum fuisse ferunt *Epitaphium*:

Vir quicunque es & undecunque advenis:
(Neque enim te adventurum ignoravi) Ego sum
Cyrus, qui Persis imperium constitui: pusillum
Hoc terræ, quo meum tegitur corpus, mihi ne invideas.

Audiamus etiam Minuc. Felicem in *Octav. pag. m.* 327. *edit. Lugd. Batav.* 1672. ita loquentem: *Nec, ut creditis, ullum damnum Sepulturæ timemus, sed veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.* Et plurimæ etiam Nationes hoc sepulturæ genus observarunt. Sic de *Ægyptiis* & *Persis* tradit *Herodot.*

in

in Thalia quod mortuos sepelierint. Quamquam posterioribus seculis cremationem Persis etiam usurpatam fuisse constet ex *Ammiano Marcellin. lib.* 19. *Procopio lib.* 1. *de bello Persico.*

II. Ipsis etiam Græcorum institutis vetustioribus in usu fuisse humationem testatur *Cicero*, qui in *lib.* 2. *de Legib.* ait: Nam & *Athenis* jam illo more à *Cecrope*, ut ajunt, permansit hoc jus terra humandi: *Arnobius* quoque *l.* 6. *pag. m.* 193. ex Antiochi historiarum nono tradit; *Athenis in Minervio Cecropem esse mandatum terræ.* Ita funeratus apud *Thucydidem lib.* IV. *Brasidas*, apud *Homerum Erato*, *Periandri* uxor: vid. *Tr. nostr. de luctu Græc. cap.* XIII. *edit. Marpurgens. pag.* 162. Apud Romanos quoque *humatio* usitata fuit: Nam ut *Plutarchus* in *Numa* refert, testamento cavit *Numa*, ne corpus suum post mortem combureretur. Hoc certè non fecisset *Numa*, nisi jam tum igne cremandi ritus in usu fuisset; atque ideo prohibuit, ne sibi defuncto id fieret. *Plinius l.* VII. *c.* 54. scribit: Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti, terrâ condebantur: confer. *Balthasar. Bonifac. histor. Ludicr. lib.* V. *cap.* XXIV. *pag. m.* 141. *edit. Bruxell.* 1656. videatur quoque *Excell. Hochstetteri disput. de offic. circa defunctos.* Magi inter *Persas* teste *Laërt. lib.* 10. nefas existimarunt, igne sepelire cadavera: vid. *Thom. Bartholin. antiquit. Danic. pag. m.* 300. *edit. Hafn.* 1689. *Johan. Baptist. Ferret. Mus. Lapidar. edit. Veron.* 1672. *fol. m.* 350.

III. Visa humatione antiquissimâ nos conferimus quoque ad cremationem, quæ sequentibus ætatibus frequens nimis apud varios populos fuit. Sunt qui combustionem cadaverum Judæis usitatam probari posse putent exemplis Sacris, tum Saulis & filiorum ejus à *Jabesitis* combustorum, 1. *Sam.* XXXI. 12. quos præterea à *Davide* laudatos arbitrantur, 2. *Sam.* II. 5. tum *Jorami*, cui negatur fecisse populus שרפה *combustionem*, secundum combustionem patrum ejus, 2. *Paralip.* XXI. 19. tum *Asæ*, cui Israelitæ dicuntur combussisse שרפה גדולה עד למאד combustionem magnam admodum, 2. *Paral.* XVI. 14. tum *Zedekiæ*, qui prædicitur moriturus במשרפות *combustionibus patrum suorum*, *Jerem.* XXXIV. 5. Quibus exemplis fretus *Abulensis Quæst.* 18. *in* 1. *Reg.* XXXI. censet, combustionem olim receptam fuisse in funere Regio eatenus, ut non Reges toti cremarentur, sed carnes duntaxat diffluerent, servatis ossibus. Verum haut inducimur,

ducimur, ut de ſancto populo, cui à Deo Creatore diſertis verbis, ut terræ potius quam igni cadavera committerentur, injunctum erat, tale quid credamus. Neque verò id exempla allata evincunt. Nam *Jabeſitas* quod attinet, incertum eſt, an corpora *Saulis* & filiorum ejus, an aromata circa corpora combuſſerint, quod poſterius Chaldæo Paraphraſtæ placet. Quam ſuſpicionem auget, quod 1. *Paralip.* x. 11. 12. combuſtionis hujus nulla omninò mentio extet. Tum ſi ipſa cadavera cremata ſunt, factum id cenſeri poteſt ſingularem ob cauſam, ne *Philiſtæi* iis illuderent. Neque David ipſis laudi dediſſe legitur, quod eos combuſſerint, ſed quod eos ſepeliverint. Denique factum Jabeſitarum, hominum ſic ſatis anomalorum, divinæ inſtitutioni haud præſcribere poteſt. De *Joramo*, *Aſa* & *Zedekia* proclivius judicium. Nuſpiam enim vel de *Joramo* vel de *Aſa* & *Zedekia* legitur, eos combuſtos fuiſſe, ſed de patribus *Jorami*, *Aſa* & *Zedekia* hoc duntaxat legimus, iis eſſe factam שרפה *combuſtionem*. Nempe funeri Regio apud Iſraelitas hoc ſingulare eximiumque fuiſſe Hebræi putant, quod in honorem defuncti ſupellex Regia igni, quem ſelectiſſima myrrha & plurimum thus fovebat, tradita ſit, ſolo excepto ſceptro, quod unà cum cadavere recondi debuit. Vel certe ſoliti ſunt Thymiamata accendere inter ſepeliendum, fragrantiæ cauſa, ne peſtilenti odore inceſtarentur. Plus momenti videtur in loco *Amos.* VI. 10. Et tollet quemque eorum patruus ejus, ומסרפו & *comburet eum.* Ita Vulgatus. Hebræi verò eòſque ſecuti alii vocem eam reddunt *avunculus ejus.* Optimè & ad verbum reddimus, & *cremator ejus*, cremator videlicet non tam cadaveris ejus, quàm Thymiamatum inter ſepeliendum accenſorum. Itaque proximus quivis, ſi non patruus, cui ὅσιον ἐνταφιάσαι τ̀ τεθνηκότα, hîc מסרף *Cremator*, h. e. ἐνταφιαστὴς appellatur.

IV. Efferebatur cadaver ad rogum, ubi *Servius lib.* II. *Æneid.* inquit, quod *pyra ſit exſtructio lignorum; rogum cum jam ardere cœperit, buſtum cum jam exuſtum.* Certi autem ritus ac cæremoniæ in comburendis defunctorum hominum cadaveribus adhibebantur. Nam quando defunctus unà cum lecto, qui unà cum defuncto comburebatur, erat collocatus, tum mortuo oculi aperiebantur, qui tempore mortis erant clauſi.

G Quem

Quem ad morem allusit *Virgil. lib.* IV. *Æneid. v.* 244. *Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.* Illumque confirmat *Plin. lib.* II. *c.* 77. *pag.* 228. *Histor. nat.* In rogum mortuo illato conscendebat propinquior, ultimumque illi ungendi & osculandi officium conferebat, *Valer. Maxim. lib.* 4. I. 6. myrrhata potio in os illius inferebatur, ut ex *legib.* XII. *Tab.* quæ illam vetant, quæ potio tanquam cœna ad cœlum viatica fuit: Rogum incendens aversa facie perficiebat, & ob hanc causam, notante *Cerda fol.* 632. ut ostenderet se invitum esse ad accendendum rogum, seu teste *Servio*, ut demonstraret, id necessitatis non voluntatis esse officium. Ventos præterea precabantur, ut faventes flammas properarent. *Propert. lib.* IV. *eleg.* VII.

Cur ventos non ipse rogis ingrate petisti?

Confer. *Homer. Iliad. p.* 811. Thus, unguenta, pix, resina, & oleum addebatur. De *thure* vide *Lucan. lib.* 8. Oleo, *Homer. Iliad.* ψ. *pag.* 809. Pice & resina, *Johan. Baptist. Casal. fol. m.* 349. *de funeribus Roman.* Porrò dona & munera in rogum conjiciebantur, vid. *Sueton. in vit. Cæsar. c.* 83. Vestimenta, *Virgil. lib.* VI. *Æneid. v.* 221. Non vestimenta solùm, sed & alia, quæ chara fuerunt, vid. *Johann. Kirchman. lib.* 3. *cap.* V. *pag.* 343. *de funer. Rom. Cæsar. lib.* VI. *de bell. Gallic. Eli. Sched. de Diis German. cap.* XLVIII. *pag. m.* 453. Et ea ratione arma cum defunctis cremabantur. *Tacit. de morib. German.* inquit: Sua cuique arma quorundam igni & equus adjicitur: conf. *Ælian. lib.* VII. *c.* 8. *var. histor.* De Lapponibus *Johann. Scheffer. in lib. de moribus Lappon. pag. m.* 315. refert, quod iis etiam arma addantur, verba ejus hæc sunt: *Ignitabulum, arcum & sagittas penes mortui cadaver clam sepeliunt.* Mortuo digitus abscindebatur, *Rosin. lib.* V. *cap.* 39. *pag.* 994.

V. Rogi lustratio, antequam faces subjicerentur, fieri solita à maxima quaque multitudine, quæ circumibat & ambiebat rogum, *Quintil. declam.* 329. *Dio lib.* LVI. *de funere Augusti* loquitur: Iverunt circa pyram. *Virgil. lib.* II. *Æneid. v.* 188. Hæc decursio ter fiebat, quod *Homer. Iliad.* XXIII. *& Apollon. lib.* I. confirmant. Ter sepulchro persolverunt justa. (2) Fiebat ab armatis, *Homerus lib. ult. Odyss. Plato lib.* XII. *de Legib.* loquens hac de re, decursionem fieri debere dicit ab armatis, quasi procederent

ad

ad hostilem pugnam, *Liv. lib.* xxv. *c.* xvii. pag. 268. (3) Fiebat ab Equitibus, uti *Dio lib.* xlvi. in funere Augusti testatur. (4) Fiebat ululatu, *Homer. libr. ultim. Odyss.*

VI. Animalia mactabantur ut & homines ad rogum, Veterum erat superstitio, dum putabant, animas defunctorum sanguine delectari, ideoque multa olim animalia ad rogum mactabantur. Homerus in funere *Patrocli lib.* xxiii. *Iliad. pag.* 809. Multas pingues oves & boves ante pyram excoriarunt & disposuerunt. *Virgil. lib.* xi. *v.* 197. Confirmant hoc sequentes Scriptores: *Quint. Calab.* in *exequiis Achil. lib.* 3. *lib.* 9. *Plin. lib.* iv. *epist.* 2. *Virgil. lib.* x. *v.* 518. *Serv. ad. lib.* v. *Æneid. Cicer. lib.* v. *Tuscul. Diodor. Sicul. lib.* xix. *Pompon. Mela lib.* 2. *c.* 2. *Solin. c.* xvii. *Ludov. de la Cerda ad lib.* x. *Virgil. Æneid. fol.* 488. vid. *Johan. Kirchman. lib.* 3. *cap.* iv. *pag. m.* 332. *de funer. Rom.*

VII. Inter hos populorum ritus merito quis quærere posset, utrum rectius sit, *terrâ obtegi*, quàm *cremari?* Si mortui conditio spectetur, parum videtur referre, num terrâ obruatur vel crémetur, utpote qui nihil persentiscet eorum, quæ corpori fiunt. Interim tamen si quid dicendum, eligimus eorum opinionem, qui judicant, satius esse corpus defuncti terra obruendum, & (1) ob *Antiquitatem*, historiæ siquidem testantur, longè antiquiorem esse ritum *humandi*, quàm *comburendi* defunctorum cadavera. Hinc legimus & antiquos Græcos defunctos humasse, *Cicero lib.* 2. *de legib.* (2) Ob populorum *consensum*: Etenim si quis antiquiorum evolvat monumenta, deprehendet, antiquiorem esse ritum humandi, quàm comburendi mortuos, quod testatur *Desider. Herald.* (3) Ob sapientiorum virorum *auctoritatem*. *Pythagoras*, *Stobæo* teste, dixit: *corpus terra tegendum* ubi requiescat. Hoc etiam docuerunt *Anaximenes Clazomen. Thales*, aliique. (4) Ob analogiam somni & majus amicorum solatium. Mortem somno comparari constat ex profanis Scriptoribus; imò in ipsis Scripturis somnus & dormitio à *Rabbinis* שכיבה *cubatio* appellatur: majorem igitur cum somno habet convenientiam, si corpus defuncti terræ inferatur, ut ibi velut in lecto requiescat, quàm si flammis accensum comburatur, & quæ alia sunt argumenta.

CAPUT IV.

De variorum populorum Sepultura, & quidem Babyloniorum & Persarum.

I. De Babyloniorum Sepultura refert *Strabo Geograph. l.* 16. *pag.* 550. quod lugeant mortuos, ut Ægyptii & alii permulti, quod sepeliant in melle & cerâ cadaver obliniant. *Herodot. lib.* 1. *pag.* 83. & ex eo *Johann. Kirchman. de funer. Rom. p. m.* 41. Quod etiam alii populi fecerunt ex præcepto *Democriti*, qui præcepit, ut in melle servarent; sed quare in melle? quia uti *Plin. lib.* XXII. *c.* 24. *pag. m.* 481. *natur. Histor.* ait: Mellis natura talis est, ut putrescere corpora non sinat: conf. *Johann. Kirchman. de funer. Roman. lib.* 1. *cap.* 8. *pag. m.* 63. Melle condita corpora defuncta *Varro apud Non. c.* 3. *col.* 614. testatur. Lacedæmonii solebant corpora Regum procul à patria defunctorum in melle reponere, & ita domum reportare, cujus rei testis *Xenophon lib.* v. *pag.* 564. *de reb. Græc.* ubi de Rege *Agesipolide* loquitur, qui non procul ab urbe Olyntho mortuus, in melle repositus & domum reportatus regia Sepultura affectus est. Id ipsum de *Agesilao* in *Menelai* portu inter *Cyrenas* & *Ægyptum* mortuo refert *Diodor. Sicul. lib.* 15. *pag.* 401. *Biblioth. conf. Antiquitat. Dieteric. fol. m.* 150.

II. Quod ad *Persarum* Sepulturam attinet, illos cerâ circumlitos mortuos condire solitos ex *Cicerone* asserit *Gyraldus de vario sepeliendi ritu cap.* XXII. ut quam maxime corpora diuturna permanerent. *Ciceronis* locus, quem citat *Gyraldus*, habetur *lib.* 1. *Tuscul. Quæst.* cui addatur *Strabo lib.* XV. *Geograph.* qui ita de *Persis* literis tradit: *Sola sepeliunt corpora Persæ cera oblinentes*: vid. *Herod. lib.* 1. Idipsum *Scythis* quoque tribuit jam dictus *Herodot. lib.* IV. vid. *Magium* in *Necrotaphologia. Cornelius Nepos* aut verius *Æmilius Probus* de *Agesilao* ait, amicos Agesilaum vita defunctum, quo ex portu, qui *Menelai* vocatur, inter *Cyrenas* & *Ægyptum Spartam* facilius perferre possent, cerâ circumfudisse atque ita domum retulisse, uti paulo ante

ante ex *Diodoro Siculo* recensitum: confer. D. Quensted. *de sepultur. veterum pag. m.* 86. *edit. Witteb.* 1660.

III. Alius quoque mos in Sepultura defunctorum à Persis observatur, quem recenset *Hieronymus* apud *Gyraldum pag. m.* 307. *Persas*, ait, *non prius cadavera humare, quam aut ab alite aut à cane traherentur.* Idem & *Procopius lib.* 1. *de bell. Persico.* Hisce adde *Theodoretum Sermone de Legib. Barnab. Brisson. lib.* 1. *de regno Persar.* 283. *Agathius* in secundo historiarum cum de Sepultura ageret *Memertoes Persarum Regis* viri strenuissimi: Tunc, inquit, in destinatum locum solum nudumque cadaver Regis mortui reliquerunt, canibus simul & avibus ejusmodique cæteris carnivoris obscenisque animantibus vorandum: quandoquidem hunc *Persæ* servant sepeliendi ritum, ut nudata à canibus & feris ossa, per campos dispersa maneant: neque enim aut urna condere, aut terra obruere defunctorum corpora fas est Persis. *Lucianus* tamen scribit *Persas sepeliri*, non cremari, uti apud *Græcos* moris, quia ignis Deus illorum, quem colunt, & propterea nefas illis videtur Deum hominum cadavera depasci. Quod autem *Persæ* ignem Deum arbitrati fuerint, testes plurimi Scriptores sunt. *Cornelius à Lapide Commentar. in* 2. *Maccabæor. cap.* 1. de hoc ignis cultu hunc in modum scribit: *Persæ* ignem colebant ut Deum, teste *Barnab. Brisson. lib.* 2. *de regn. Persar.* Erudita quoque de hoc ritu *David Chytræus in regulis vitæ pag.* 135. habet. Unde apud *Plutarchum in vita Arta Xerxis & in vita Alexandri*, *Orimasea* ab אור extat. Adde *Brentium in Comment. in cap.* VI. *Levit. R. Mos. Maimon. in More Nevoch. lib.* 3. *c.* XXX. à Chaldæis Persas hunc ritum accepisse pertendit. Cum eo facit *Johann. Selden. Syntag.* 2. *de Diis Syr. cap.* 8. *vid. annot. Beyer. in h. l.* conf. *Justin. lib.* X. *histor. Curt. lib.* 3. *&* 4. *Strabo lib.* XV. *Geogr. Procop. lib.* 1. *Persic. Balthas. Bonifac. Rhodigini histor. ludic. lib.* XVI. *cap.* XV. *pag. m.* 479. 480. *Edit. Bruxell.* 1656. qui fusè.

CAPUT V.

De Sepultura Ægyptiorum, Sepulturæque ritibus.

I. Varios ſepeliendi ritus apud Ægyptios in uſu fuiſſe teſtantur Scriptores probati. *Diodorus Siculus lib.* 1. *Bibliothec. hiſt.* Regum Sepulturam deſcribens in hæc erumpit verba: Cum Regum Ægyptiorum aliquis vita deceſſit, illum omnes communi luctu deflent---&c. Interea quæ ad pompam faciunt, comparant. Poſtremo verò die cadaver in arca repoſitum, ante Sepulchri aditum collocant, libellumque de Regis rebus geſtis brevem recitant, tum ſi qui ſunt, qui velint, Regem vituperant. Si igitur vitia virtutes ſuperant, indignum Sepultura exiſtimant. Quare factum eſt, ut Ægyptiorum Reges quidam indigni habiti ſunt, ut Sepulturæ honore honeſtarentur. Hæc de Sepultura Regum Ægyptiorum: conf. *Alexander ab Alexandr. lib.* 3. *Genial. Dier. c.* 7.

II. Privatorum verò & popularium Sepulturam Diodorus Siculus quoque deſcribit multis verbis, quæ recenſuit *Gyraldus in libr. de vario ſepel. ritu cap.* XVII. *pag. m.* 368. *edit. Helmſtad.* Compoſito enim cadavere & uncto & bene curato tradebant cognatis, ita ſingulis ejus partibus etiam ſuperciliorum palpebrarumque pilis integrè ſervatis, ut omnis corporis ſpecies, dormientis more integra perduraret. Antequam ſepeliretur corpus, ſcribit ex probatis Auctoribus *Athanaſius Kircher. in Oedip. Ægyptiaco Tom.* 1. *fol. m.* 124. *edit. Rom.* prædicebatur à cognatis tum judicibus, tum defuncti amicis, Sepulturæ dies, aſſerentes, illum mortuum paludem tranſiturum. Conſentit hic *Gyraldus* l. c. aſſerens: Mortuum *Acheruſiam* paludem, quam & Stygem quidam nuncupant, tranſiturum exiſtimant, quam prope *Memphim* eſſe Auctores prodiderunt: vid. *Plato in Phædone fol.* 400. Adde *Robert. Stephan. in Lexic. Alexandrum ab Alexandro lib.* III. *Genial. Dier. cap.* VII. *Suid. in Lexic.* Hanc rem ex *Seneca* aliter *Servius* recitat: ait enim: *Circa Syenem locum eſſe, quem Ægyptii Phylas vocant, apud quem palus*

palus est Styx, quod tristitiam transeuntibus gignat, limosa & papyris referta: ultra quam brevis est insula, quæ Abatos appellata est, quod sit inaccessa, cujus & Poëta *Lucanus* meminit:

Hic Abatos quam nostra vocat veneranda vetustas.

III. Lubet hoc loco Senecæ verba, ex quo Servius sua habet, adducere, quæ *lib.* IV. *Quæst. Natural. pag.* 724. leguntur his expressis verbis: *Philæ* insula est aspera & undique prærupta: duobus in unum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur & ejus nomen ferunt. Urbem totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis, quàm violentus, egressus Æthiopiam, arenasque, per quas iter ad commercia Indici maris est, præterlabitur. Excipiunt eum cataractæ, nobilis insigni spectaculo locus. Ibi per arduas excisasque pluribus locis rupes Nilus insurgit, & vires suas concitat: frangitur enim occurrentibus saxis, & per angusta eluctatus, ubicunque vincit, aut vincitur, fluctuat: & illic excitatis primum aquis, quas sine tumultu leni alveo duxerat violentus & torrens per malignos transitus prosilit, dissimilis sibi: quippe ad id lutosus & turbidus fluit. At ubi scopulos verberavit, spumat: & illi non ex natura sua, sed ex injuria loci color est. Tandemque eluctatus obstantia in vastam altitudinem subito destitutus cadit cum ingenti circumjacentium regionum strepitu. Quem perferre gens ibi à Persis collocata non potuit, obtusis assiduo fragore auribus, & ob hoc sedibus ad quietiora translatis —— Primum incrementum Nili circa insulam, quam modo retuli, Philas nascitur. Exiguo ab hac spatio petra dividitur, ἄβατον Græci vocant: nec illam ulli, nisi antistites calcant: illa primum saxa auctum fluminis sentiunt. Confirmant hoc *Ptol. & Heliodor. Lucanus lib.* x. *Bell. Pharsalic. Plin.* v. 9. *Sen. Nat. Eu.* 4. 2. *conf. Nicol. Lloyd. Dictionar. Geograph. pag. m.* 781. *edit. Genev. Strab. lib.* XVII. *Geograph.*

IV. Notanter etiam à Seneca Insula *Abatos* vocatur, cujus meminit *Nicol. Lloyd. in Diction. Geograph. pag.* 3. inquiens: *Abatos Insula Ægypti*, in palude Memphitica, sic dicta quod *inaccessa*, limi & papyri copia olim celeberrima. *Johannes Sulpicius Verulanus* sic ad *Lucan.* locum commentatur: Abaton insula ad quam ob limi & papyri copiam accessus est difficillimus, & ideò inaccessibilis interpretatur. *Ommbonus Vincentinus*

tinus iis gemina tradit, inquiens: Cum ad Cataduppam perveneris locum haut procul ab Ægypto Abatonaravum locum magno fragore permeans, unde nomen accepit quasi inaccessibilis tum primum te sentire incipit Ægyptus ex Cataduppo. Robert. Stephan. *Abatos insula in palude Memphitica, sic dicta, quod ad illam difficilis sit accessus.*

V. Lectum quoque est, quod cadavera ad alteram regionem transferant. Transmissa verò palude, adstant judices amplius quadraginta in hemicyclo præparato, trahiturque navis, quæ ab illis βάρις dicta est, ad hoc opus ab illis comparata. Eam verò navim nauta, qui ab ipsis Charon nuncupatur, regere dicitur, cui pro naulo *danacen* solvere consueverunt. Βάρις quoque vox ab *Herodoto lib.* II. *c.* 96. *fol.* 124. adducitur: Χωρέει ταχέως, καὶ ἕλκει τὴν βάριν. *Laurentius Valla* transfert, protinus meat & trahit barim. Hoc verò nomen Βάρις non uni inditum reperitur. Mox enim civitatem significat, teste *Strabone lib.* VI. *Geograph. pag.* 176. Mox montem, judicio *Nicol. Damascen. lib.* 96. *Joseph. citante lib.* I. *Antiq. c.* IV. Mox domus in modum turrium ædificatas, *Hieronym. in cap.* VIII. *Oseæ.* Verum hoc loco Ægyptii navem indicant, qua vehunt cadavera Ægyptiaca ad Sepulcrum. Nostri feretrum Bahr appellant inquit *Gesnerus in Mithridate diversarum linguarum pag.* V. *voce Ægyptii.* Hoc sensu usurpatum hoc nomen reperimus apud *Propertium lib.* III. *Eleg.* X. Posset ab hoc forsan Germanicum deduci Todten Bahr/ Cæterum reliquum ritum Gentiles quoque usurparunt, qui putarunt *Charontem* esse nautam animarum, de quo plura diximus *in Tr. nostr. de Theolog. Gentil. ex Sacra Scriptura, & in Tr. de luctu Græcorum*: cui pro portorio naulum dabant, hoc loco *danace* dicitur. Danace enim nummi nomen est, quem olim dabant mortuis, unaque cum iis sepeliebant, quo Acherusiam paludem transire possent naulo portitori dato: vid. celeb. *Joh. Faes in animadversionib. ad Gyrald. pag. m.* 377. *edit. Helmstad.* Qui quoque alios ritus Ægyptiorum in Sepultura observatos adduxit, quos hic adducere supersedemus, ne longiores simus & nauseam Lectori creemus. Evolvatur cit. Auctor *pag.* 369. 370. 378. *seq.* Ægyptii condire mortuos soliti fuerunt, ut domi eos servarent, *Cicer. lib.* 2. *Tusc. Quæst.* testatur: conf. Dieter.

CAPUT

CAPUT VI.

De Sepultura Æthiopum.

I. Varios Sepulturæ ritus Æthiopes habuiſſe ex Scriptoribus ſatis patet, quos in hoc capite in medium proferre operæ pretium eſſe duximus. De Æthiopibus ergò prodiderunt *Diodor. Sicul. Bibliothec.* 3. 1. *f.* 72. & *Strabo lib.* XVII. *Geograph. pag.* 689. quod mortuos alii in flumen præcipitent. *Alii quidem*, ait *Siculus*, *defunctos in fluminibus abjiciunt, id elementum optimum Sepulchrum arbitrantes.* Hos Sextus *Philoſophus lib.* 3. ἰχθυοφάγους vocat, hoc eſt, ut quidam verterunt, *Piſcedulos*, idque ea ratione ab ipſis fieri prodit, ut à piſcibus cadavera vorentur, quod piſcibus ii victitent: vid. *lib.* III. *Pyrrhonic. Hypotheſ. cap.* XIV. Hos *Strabo* lib. cit. ſic deſcribit: *Ichthyophagorum regio mari vicina eſt. Veſcuntur piſcibus tum ipſi, tum eorum pecora & aquas pluvias è puteis foſſis hauſtas potant, pecorum carnes piſcibus præferunt. Domos ex oſſibus cetorum & oſtreorum conchis magna ex parte faciunt: nam trabium & fulcrorum uſum coſtæ præſtant, portas maxillæ, vertebris fiunt mortaria, in quibus piſces tundunt ad Solem aſſatos, poſtea ex his panem conficiunt, frumenti paululum admiſcentes -- piſces partim in furnis aſſant, partim crudos edunt.*

II. Alii ſunt *Æthiopes*, qui vitreis vaſis concluſos mortuos ſuos conſervant, ut nepotibus & poſteris eorum ſint notæ effigies, & idcircò eorum ſæpe ſint memores. *Herodotus* tamen *lib.* III. *Thalia cap.* XXIV. rem ita explicat: Poſteaquam, inquit, Æthiopes, qui Macrobii dicuntur, mortuum arefecerunt, totum gypſo induunt, picturaque exornant, & ejus, quoad fieri poteſt, effigi[illegible] æſentant; dein Sepulcrum ei ex vitro, quod apud illos a[illegible] iat & paſſim effoditur, circumdant, in cujus medio defun[illegible] is interlucet, nihilque fœditatis, vel tetri odoris exhibet, ſed omnia pene vivo aſſimilis. Sepulchrum hoc ipſum propinqui per annum intra ædes ſervant, omniumque illi rerum primitias offerunt; anno verò exacto efferunt, extraque urbem ſtatuunt. Hæc Herodotus:

H con-

confer. *Matth. Zimmerman. Florileg. Philolog. edit. Misn.* 1687. *pag. m.* 717. Ubi tamen notandum, quod *Macrobii* vocentur ob longævam vitam, uti *Seneca lib.* 3. *de Ira* ait: Æthiopes alii ob longiſſimum vitæ ſpatium *Macrobii* appellantur. Hæc verba *Juſtus Lipſius* ita illuſtrat: *Macrobii eſſent Latinis longævi, habitant Africam ad Auſtrale mare.* Laurentius Valla in verſione *Herodoti fol.* CLXX. μακρόβιοι interpretatur *longævi.*

III. Cur autem Æthiopes defunctos in effigie gypſata formarint, ratio reddi poteſt, quoniam gypſus celerrime coit & ſiccatur, prout ait *Plin. lib.* XXVI. *cap.* XXIV. Non negamus quidem ex alia quoque materia effigies compoſitas fuiſſe defunctorum, ut horum intuitu in memoriam ſibi formas majorum revocare poſſint: Teſtatur enim *Diodor. Sicul. lib.* II. *Bibliothec. hiſtor. cap.* V. de Æthiopibus, quod eorum imagines ex argento & fictilibus effingantur; ditiorum quidem ex argento, tenuioris autem fortunæ hominum ex fictilibus, vel ut Gyraldus loquitur *gypſo* & *polline marmoreo.* Apud *Julium Firmic. de errore profanar. religion.* egregius locus reperitur: *Quia dolor*, inquit, *ex orbitate veniens nullis ſolatiis mitigabatur; imaginem ejus ex gypſo plaſtico opere perfecit. Herodotus lib.* 3. citato de Æthiopibus imagines ex gypſo fictas pariter ediſſerit. Quale genus effigierum omnium primus Lyſiſtratus Sicyonius frater Lyſippi invenit, uti *Plin.* tradit *lib.* XXXV. *cap.* XII. & ex eo *Jonſton. in Thaumatograph. claſſ.* IV. *cap.* XVI.

IV. In vaſculis vitreis ſuos ſolitos fuiſſe Æthiopes defunctos condere teſtimonia vetuſtiſſima probant, quæ nobis ſunt obvia. Herodot. loc. citato expreſſis verbis oſtendit, inquiens: Poſt hanc ad extremum inſpexere eorum Sepulcra, quæ dicuntur ex vitro facta & conſtructa, hunc in modum: Poſtquam mortuum ſive Ægyptiorum, ſive aliorum more arefecerunt, totum gypſo inducunt, picturaque exornantes repræſentant, quoad fieri poteſt, effigiem ejus, deinde & cippum ei cavum è vitro, quod apud illos multum eſt, & facile effoditur, circumdant. *Diodor. Sicul.* veſtigia *Herodoti* & fidem ſecutus, eadem de Æthiopibus ad nos transmiſit *lib.* II. *Biblioth. Hiſtor.* his verbis Latine traditis: Sepulturas defunctorum Æthiopes diverſas à reliquis faciunt. Salientes enim corpora, inque vaſis vitreis uda condentes ſupra columnas ponunt, ita per vi-

tra defuncti corpus adſpicitur, quemadmodum ſcribit *Herodotus.* Plura qui deſiderat, evolvat celeb. *Johannis Faes animadverſ.* in h. l. *pag. m.* 232. Addit Frideric. Mullerus, quod alii in fictilibus alveolis eos circum templa defodiant, jusjurandum per eos exigant, & omnes pro diis habeant.

CAPUT VII.

De Indorum Sepultura, & aliorum.

I. *Indorum* varia ſepeliendi conſuetudo. Quidam parentes priuſquam annis aut morbo aliquo in maciem ſeniumque eant, velut Deorum hoſtias mactant, cæſorumque viſceribus epulari fas & maxime pium eſt. Hi ſane adeò hominem exuerunt, & cum ſua natura divortium fecerunt, ut impias manus & edaces ſuos dentes propriis parentibus & conſanguineis immittere atque infigere, eorumque carnem in viſceribus contumulare non abhorruerint, cum aut morbo, aut macie, aut ſenio confecti morti & Sepulchro vicini cenſebantur, ut ab ipſis immolati fuerint. De quibus hunc in modum loquitur & ſcribit *Pompon. Mela lib.* 3. *c.* 16. *pag.* 86. Quidam proximos parenteſque, priuſquam annis aut ægritudine in maciem eant, velut hoſtias cædunt, cæſorumque viſceribus epulari. Hunc morem etiam Scythæ, teſte *Porphyrio lib.* 3. *de Scythis*, obſervarunt, qui proprios parentes comederunt. De *Scythis*, *Maſſagetis*, *Derbicibus*, *Thebarenis*, *Hyrcanis*, *Caſpiis* & *Bactrianis* hominum immolationi etiam aſſuetis idem rurſus teſtatur *Porphyr. lib.* 2. Ideò (Maſſagetæ & Derbices) morbum prævenientes amicos ſenio confectos ſacrificant, atque epulantur. Eodem ferè modo cum ſenibus ſuis agunt *Thebareni*, *Hyrcani*, *Caſpii*, & *Bactriani*, &c. Sic etiam Padæi *Indiæ* populi, auroram verſus habitantes amicos ſuos jam ſenes immolare & devorare conſueverunt, teſte *Herodoto lib.* III. *pag.* 198. Hinc intelligimus, quod *Tibullus* in ſequentibus verſibus per ſæva convivia epulationes illas amicorum intelligat *libr.* IV. *eleg.* 1. *pag. m.* 403. *edit. Traject.* 1659.

Impia nec sævis celebrant convivia mensis
Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus.

Confer. annot. *Simon. Abbes Gabbema* l. c. In hoc *Padæos* imitati fuerunt *Caucasi* habitatores juxta *Strabonem lib.* XV. *pag.* 453. Et in regione Ansico inferioris Æthiopiæ parentes filios, filii parentes, & matres liberos Dæmonibus mactatos Diabolica ingluvie epulando consumere non abhorrent, teste *Dappero in descript. Africæ.* Amicorum ægrotantium & vi suffocatorum carnes cultris discindunt, coquunt, & immanibus faucibus & dentibus devorant incolæ regni *Dragoiam*; teste M. P. *Veneto in descript. Orient. Region. lib.* III. *cap.* 17. *pag.* 83. *Insulani Sumatræ* & *Javæ* juxta fidem *Vinçentii* le Blanc & Barthoma. Et non solùm ita cum amicis vivis, sed etiam defunctis olim agebant. *Petronius Arbiter Satyr. pag.* 148. Apud quasdam gentes scimus adhuc legem servari, ut à propinquis suis consumantur defuncti, adeò quidem ut objurgentur ægri frequenter, quod carnem suam faciant pejorem. *Tertullian. Apologet. advers. Gentes* idem de Scythis affirmat *pag.* 826. Ajunt apud quosdam Gentiles Scytharum defunctum quemque à suis comedi. Sic & *Pompon. Mela lib.* II. *c.* 8. *pag.* 39. de situ orbis: Essedones funera parentum læti, & victimis, ac festo coitu familiarum celebrant. Corpora ipsa laniata, & cæsis pecorum visceribus immixta epulando consumunt. De horum moribus pluribus egit *Gyrald. cap.* XX. de vario sepeliendi ritu.

II. In Sepultura Regum Indorum res ita agitur, uti *Maurus Honoratus Comment. Virgilian.* testatur, ut quoties eorum Reges moriantur, cum his dilectique equi, servi & una de uxoribus, quæ Regi carior fuisset, incendatur: inter quas de hac ipsa re magna erat contentio. *Solinus cap.* LV. *pag.* 47. aliique nonnulli, non modò Regum uxores facere, sed & privatorum, prodiderunt. *Solini* verba adscribemus: *Apud Indos,* inquit, *quibus ad vivendi rationem propensior cura est, multæ uxores in ejusdem viri coëunt matrimonium, & cum maritus homo esse desierit, apud gravissimos Judices suam quæque de meritis agunt causam: & quæ officiosior cæteris sententia vicerit judicantium, hoc primæ refert præmium, ut arbitratu suo adscendat rogum conjugis, & umbris ejus semetipsam det inferias: cæteræ notâ*

vivunt.

vivunt. Teſtes in hunc ritum habemus *Pintonem in itinerar. Indico Nobiliſſ. de Mandeslov. in Itiner. Indico. Eraſm. Franciſc. in Theatro curioſitat. diſcurſ. de funer. Adamus Rogerus* in der offene thur zum verborgene Heidenthumb part I. c. XIX. in Not. da der Konig von Siam verſcheiden/ Sturtzeten/ ſich nicht alleine ſeine Weiber/ ſondere auch unterſcheidliche Edelluthe mit ſeinem Todten Leichnam Frywillig ins feuer Franchoys Caron erzehlet auch in ſeiner Beſchrybung von Japon/ wen ez daſelbſt mit einem Herrn zum ſterben Kompt daz gemeinlich 10. 20. 30. oder auch wohl mehr nach dem die Herrn groſs/ und der unterthanen Viel ſind Jhren Bauch auf ſchneiden und mit ihren Herrn ſterben/ Viel der ienige die ſolches thun haben ſich dar zu Verbunde by ihres Herrn leb zeiten/ Dan wen ſie ſehn daz ſie der Herr lieb hat und ihnen eine ſonderbahre gunſt und Wolthat erzeiget/ ſprechen ſie nach Verrichter Danchſaguug/ Gebiedtende Herr euer getreuen untherthane ſind Viel und was hab ich doch Verdienet ſolcher Eehr zu genieſſen/ dieſen leib wiewohl er meines Herrn iſt ſchenck ich euch wiederumb und ſpreche daz dieſer lieb nicht länger leben ſol als der Eure.

III. Occaſio nobis hoc loco datur diſcurrendi pluribus de hoc ritu, qui apud plurimas gentes & populos viguit, ut uxores in pyram ardentem maritorum fato functorum ſe conjicerent, & ita ſanguine, vita & corpore ſuo conjugum inferiis parentarent, eorumque umbris ſe immolare conſueſcerent. *Servius ad* V. *Æneid.* Fuit hoc majorum conſuetudo, ut quoties Reges moriebantur, cum his dilecti equi, vel ſervi, vel una de uxoribus charior circa rogum occiſi incenderentur. Hic abominabilis mos olim frequentatus fuit, ab *Vrendis*, qui *Slavorum* ſeu *Thuringiorum* genus erant: *Vnefridus* Anglus in Epiſtola ad Eduardum Regem. Thracibus, *Solinus Polyhiſtor. c.* 16. *Pompon. Mela de ſitu Orbis lib.* II. *c.* 2. Gallis, *Pompon. Mela lib.* III. *c.* 2. Indis, *Propert. lib.* III. *eleg.* 10. *pag.* 727. *Ælian. Var. Hiſtor. lib.* VII. *c.* 17. *Diodor. Sicul. lib.* XVII. *pag.* 620. *lib.* XXX. *pag.* 678. 679. 680. 688. Catheis, *Strabo lib.* XV. *pag.* 435. Adde de hoc ritu *Ariſtobulum* apud *Strabon. lib.* XV. *pag.* 460. *Valer. Maxim. lib.* II. *cap.* I. *Euſeb. lib.* VI. *de Præparat. Euangel. cap.* VI. *Philon. Jud. de Abrahamo,* aliosque: conf. *Jacob. Geuſ. de victim. human. pag. m.* 142. 143. *ſeq.*

IV. Alii Indorum vulturibus cadavera lanienda exponunt. Hi enim avidiſſimi ſunt humanorum cadaverum, uti *Plin. lib.* X. *c.* 6. de iis ſcribit, dicens: *Triduo antea ut biduo volare eos tradunt, ubi cadavera futura ſunt.* Aliqui *Taxilis* hoc tribuunt, ut *Hieronym. in epiſt. adverſ. Jovinian.* & ante eum *Ariſtobulus*,

ut est apud *Strabonem lib.* XV. *Geograph.* qui ex Aristobulo ait: *Mortuos vulturibus projiciunt.* Alii *Iberas* factitasse produnt, ut *Sili. Ital. lib.* II. *Punicor.* Alii Indos cadavera cremasse referunt, uti est celeberrima Calani Sophistæ crematio apud Auctores veteres: vid. *Diodor. Sicul. libr.* XVII. *Biblioth. Histor. pag.* 575. *Strabon. lib.* XV. *Geogr. pag.* 468. *Cicer. lib.* I. *de divin. pag.* 90. 94. *Ælian. lib.* V. *c.* VI. Plura cremationis apud Indos observatæ indicia suppeditabunt *Strabo lib.* XV. *Geogr.* & *Cicer.* 5. *Tuscul.* 77. Alii autem cadavera sepeliverunt, & Sepulcris indiderunt, quæ ex *Cedro* facta ad *Nysam Indiæ* urbem, uti *Curt.* 8. 10. 8. refert. Et inde suspicari licet, non omnium Indorum fuisse ritum eundem circa funerum curationem: confer. *Herodot.* 3. 100. vid. Gyrald. quoque *de vario sepeliendi ritu cap.* XX. ubi pluribus de hac materia agitur.

CAPUT VIII.

De aliorum Barbarorum variis sepeliendi ritibus.

I. Quamvis de variis sepeliendi ritibus fusè egerimus in Tr. nostr. *de Theolog. ex Script. Sacr. pag. m.* 108. 109. 110. attamen hîc quædam addere lubet, & quidem de *Parthis* referimus, quod vulgo cadavera aut avibus aut canibus lanianda dederint. Audiamus de his *Justin. lib.* XLI. *cap.* III. *Histor.* scribentem: *Parthos*, inquit, defunctorum cadavera canibus avibusque lanianda proponere, nudaque post ossa terræ condere: conf. *Voss. Instit.* In *Ceo*, vel ut Pompon. Mela in *Co* insula decrepitos & emeritos senes mundo & vitæ & sibi amplius inutiles propinato aconito præsentaneo morti dabant & sacrabant: *Thebareni præcipitio; Sardi fustibus; Eruli ferro.* Quidam *Thraces* & *Indi* aqua & igne: vide Cœlium *Rhodigin. lib.* XVIII. *cap.* 26. *&* 28. ex *Menandro* & *Eusebio Præpar. lib.* I. *c.* 3. *& lib.* XIX. *cap.* 26. & *lib.* XXVIII. *cap.* 22. *Alexandrum ab Alexandr. Genial. Dier. lib.* III. *c.* 2.

II. *Troglodytarum* Sepultura pene ridicula, quibus morem esse ajunt, ut defunctum in aliquem collem adducant; deinde religato ejus capite ad pedes saxis non sine risu petant: cum autem

autem aggere jactorum lapidum operuerint, discedunt, ut scribit *Sextus Philosoph. lib.* 3. *Pyrrhon. Hypothes. cap.* 24. sed magis signate *Strabo lib.* XVI. Ejusdem ritus etiam meminit *Photius Bibliothec. pag.* 738. ex *lib.* 5. *Agatarchid. Histor.* περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θάλασσαν *cap.* 30. conf. quoque *Gyrald. de vario sepeliendi ritu cap.* XXIII. Massagetarum & Derbicum consuetudo hæc fuit, uti de illis *Strabo lib.* 11. refert. Mortis genus optimum censent Massagetæ, si senio confecti, cum carnibus ovillis in frusta concidantur, unaque devorentur. Qui è morbo decedunt, eos abjiciunt tanquam impios & indignos, qui à feris vorentur. *D. Hieronym. advers. Jovian.* Massagetæ & Derbices miserrimos putant, qui ægrotatione moriuntur, & parentes cognatos, propinquos cum ad senectam pervenerint, jugulatos devorant, rectius esse dicentes, ut à se potius, quàm à vermibus comedantur. Strabo amplius annum addit, quem egredi senes suos *Derbices* non permiserunt. Qui, inquit, LXX. annum excesserunt, eos jugulant: carnes genere proximi absumunt, vetulas strangulant, inde sepeliunt: qui intra LXX. annum moritur, non editur, sed humatur: confer. *Ælian. lib.* IV. *var. cap.* 1. De Massagetis vid. *Herodot. lib.* 1. *Theodoret. de legib. Chrysostom. homil.* X. *in Matth. Euseb. Præparat. Euangel. lib.* 1. *c.* 3.

III. Porrò observandum, quosdam fuisse, qui mortuos quidem comederint sed *excepto capite, quod inaurabant:* quem morem *Sidonibus* tribuit *Zenobius cent.* V. *Proverb.* Οἱ Σιδῶνες, inquit, τοὺς γονεῖς ἐσθίουσι, χωρὶς τῆς κεφαλῆς, τὴν δὲ κεφαλὴν χρυσοῦσι. i. e. *Sidones parentes devorant, exceptô, quod inaurare solent, capite.* Et *Essendonibus.* Herodot. *lib.* 4. Issedones vel Essendones talibus moribus uti feruntur: Quoties pater alicui decessit, omnes ejus propinqui pecora adducunt, quæ ubi mactaverunt conciderUntque, concidunt & mortuum patrem illius, à quo in convivium accipiuntur, commixtisque omnibus carnibus convivium exhibent. Caput autem defuncti pilis nudatum purgatumque inaurant, eoque pro sigillo utuntur, agentes illi quotannis majores hostias ceremoniasque: conf. *Pompon. Mela lib.* 2. *&* *Solin. c.* 25. In insulis, quæ *Baleârides* à nostris dicuntur, illud quidem moris est & fuit, ut ejus, qui desiit, lignis quibusdam corpus membratim in frusta conciderent,

derent, & mox concisum in vas componerent, dum demum saxorum & lapidum acervo accumularent, id quod *Diodor. Sicul. Biblioth. hist.* scriptum reliquit.

IV. De *Hyrcanis* & *Caspiis* hæc scripta relicta sunt. De *Caspiis Strabo lib.* 11. in hunc scribit modum: *Caspii* eos, qui septuaginta amplius annos vixerunt, fame enectos in solitudinem ejiciunt, eminusque spectantes, si à feretro detrahi eos ab avibus videant, prædicant beatos: sin à feris aut canibus non item infelices; si omninò non detrahantur, infelices: conf. Porphyr. *lib.* 4. περὶ τ̃ ἐμψύχων ἀποχῆς, qui unà cum *Hieronym.* de *Hyrcanis* idem profert: vid. *Kirchman. de funer. pag.* 450. *Bactriani* etiam parentes & amicos morbo seniove confectos canibus dilacerandos projiciebant, qui ad hunc usum enutriti *Sepulchrales* appellabantur *canes*, ut auctor est *Onesicritus* apud *Strabonem lib.* XI. *pag.* 131. & *Porphyr. lib.* IV. *de non edend. animal.* & ut *Cicero* loquitur *lib.* I. *Tuscul. Quæst. fol.* 69. Magorum mos est non humare corpora suorum, nisi à feris sint antea laniata, in *Hyrcania* plebs publicos alit canes, Optimates domesticos, nobile autem genus canum illud scimus esse: sed pro sua quisque facultate parat, à quibus lanietur: eamque optimam illi esse censent sepulturam: conf. *Geus. de victim. human. pag. m.* 416. Qui de his & aliis ritibus Sepulchralibus Gentilium plura legere desiderat, ille evolvat *Gyrald. lib. de vario sepeliendi ritu cap.* XVII. & *animadvers. celeb. Johannis Faës edit. Helmst. Tr. nostr. de Theolog. Gentil. ex Script. pag.* 108. 109. *Kirchman. de funer. Roman. Quensted. de antiquis ritib. Sepulchral. & Balth. Bonifac. Rhodigin. Histor. ludicr. edit. Bruxell.* 1656.

CAPUT IX.

De Sepultura vivorum quarundam Gentium.

I. Statim hîc in antecessum monemus, quod per vivos intelligamus & eos qui vivi prope Sepulcrum immolantur & simul sepeliuntur, & illos qui *vivi* simul cum defuncto terrâ obteguntur. Ita *Thracum* conjuges admodum olim exsul-

exſultabant, ſi per ſortem illis contigiſſet, UNA CUM VIRIS SEPELIRI, cum illi fato conceſſiſſent. De iis *Pompon. Mela de ſitu orbis lib.* II. *c.* 2. ita loquitur: *Nec fœminis* quidem ſegnis eſt animus ſuper mortuorum virorum corpora interfici, ſimulque ſepeliri votum eximium habent. *Herodotus lib.* v. *pag.* 248. de Thrauſis. Singuli plures uxores habent, quorum ubi quis deceſſit, diſceptatio magna fit inter uxores, acri amicorum circa hanc rem ſtudio, quænam dilecta fuerit à marito præcipuè. Quæ talis judicata eſt, & hunc honorem adepta, ea à viris & mulieribus adornata ad tumulum pro propinquiſſimo mactatur & immolatur, unaque cum viro humatur. De iiſdem forte Thracibus & Thrauſis loquitur *Lucianus de luctu pag.* 789. Sunt, qui equos & concubinas, rurſum alii, qui pincernas etiam in funere mactarint. In Africa hodie etiam populus eſt, qui cum Rex moriatur, ejus uxores, miniſtros, clientes, amicos & etiam equum, omnia corporis membra illis abſcindendo, & in mortario piſtillis contundendo, jugulat, & eodem cum Rege ſepulchro defodit; ſicut docet *Dapperus in deſcript. Africæ pag.* 369. Sed apud Americanos infantem cum defuncta matre vivum ſepelire mos obtinet, teſte *Martyre in deſcript. Novi orbis, decade* I. *cap.* 10. *pag.* 526. Apud Septentrionales gentes amicus amici manibus ſpontanea morte parentare, ſimulque cum eo contumulari non abhorrebat. Nam *Saxo lib.* v. refert, Aſmundum ob amicitiæ jusjurandum vivum ſe cum Aſviti cadavere (quod cum cane & equo terreno mandabatur antro) contumulari ſuſtinuiſſe, cibo quo veſceretur illato. Cum in terra *Nigritiarum* in regno *Beniin* Rex rebus humanis eximatur per mortem, in aula tam profunda effoditur fovea, ut foſſores ipſi, aquis undique ex terra prorumpentibus nonnunquam ſubmergantur: in hanc regium cadaver ab amicis & clientibus præcipitatur. Hi, quos Rex vivus adhuc maximo amore & honore proſecutus fuit (qua de re non exigua inter eos rixa nonnunquam exardeſcit) tunc ſe etiam in foſſam demittunt, ſe ipſos ejus manibus immolant & ita cum Rege moriuntur.

II. Cum jam illi animam exhalaverint omnes, fovea rurſus terra oppletur & obruitur, cui operi intentis foſſoribus,

 magna

magna hominum multitudo ubique per plateas & domos obtruncatur. Quæ cædes repetitur, cum novus Rex memoriam prioris celebrare velit, sed tunc in reos & mortis damnatos sævitur, qui quotannis ad hoc festum servari, numero ferè quingenti crudelissimè immolantur, singulis tamen diebus non ultra viginti quinque occisis. Sed cum tot reorum numerusque facinorosorum deficiat, quidam alta nocte aut obscuris vesperis per plateas ambulantes unumquemque obvium arripiunt, & prædictæ lanienæ devovent. In regno *Lovango* inferioris Æthiopiæ cum Rege defuncto in subterranea spelunca omnis ejus supellex, multique servi necati & immolati collocantur. Hos servos in ora quæ vocatur aurea vulgo in excavatis arboribus vel *vivos* vel *occisos* cum Regis cadavere concludunt.

III. In *Guinea* qui servi huic sacrificio, cum eorum Rex decesserit, sunt destinati, multos dies & noctes funeri assidere debent, & interim tam pretiosis ornamentis, quàm tobaco, oryza, & id genus aliis fructibus & frugibus, & tandem gallina cocta donantur, quam, si lubet, comedere possunt; cum jam verò cadaver Regis sepeliendum effertur, fruges acceptas in ignem conjiciunt. Sed donatis pretiosis vestibus & monilibus, atque armillis fastuose compti & exornati *funus* ad tumulum prosequuntur, ubi statim strangulantur. Antiquis etiam temporibus in regno KONGO duodecim virgines pretiosissimis ornamentis excultæ VIVÆ in Sepulchrum Regis desilire, & unà cum ejus funere contumulari consueverunt. Quos ritus diligenter descripsit *Dapperus* in descriptione Regionum istarum.

IV. Eo modo antiqui *Scythæ* etiam suos hominum defossionibus post mortem honorarunt. *Herodot. lib.* III. *pag.* 241. Quem (Regem defunctum) postquam super torum in loculo (Scythæ) posuerint, hastis hinc atque hinc defixis, desuper ligna disponunt, deinde pallio contegunt. In reliqua loculi spatiositate aliquam ejus pallacam strangulatam sepeliunt, & eum, qui vinum miscebat, & cocum & equisonem & ministrum, & eum, qui erat à nunciis, nec non equos & aliarum rerum omnium primitias, quin etiam phialas aureas. Sed etiam illi captivis ad hanc immolationem usi fuerunt, cum aliquis

aliquis

liquis ex popularibus ſuis mortuus eſſet, & terræ mandaretur. Quo de ritu hoc modo *Nicetas Choniatæ in Annal.* de *Balduini* Imperio ſcribit, cujus verba Græca Latine expreſſa recenſemus: Scythæ qui Orientem vaſtabant, aliquot Romanos VIVOS (neque enim quiſquam erat, qui eos vel redimeret vel conſervaret) cum popularibus ſuis vel naturali morte defunctis, vel bello cæſis terra obruerunt, ſepultis unà equis velocibus, quibus inſederant, corneis arcubus & ancipitibus gladiis.

V. Eodem etiam modò cum Rex regni KAROUS in *Guinea* in prælio occubuiſſet, cum ſex hoſtium captivis humatus eſt, teſte eodem *Dappero* in deſcriptione *Africæ pag.* 423. Quæ omnia facta ſunt tam honoris cauſa, quàm ut his victimis humanis ſupra memoratorum Regum & Principum manes placarentur & quieſcerent, & non ſolùm captivi per defoſſionem mortuorum umbris morte ſua ſatisfecerunt, ſed etiam alium in finem, nempe ut ira divina expiaretur, *Romæ* Græcus & Græca, Gallus & Galla in foro boario VIVI defoſſi ſunt, victimarum inſtar, ſicut teſtantur *Plutarchus in Marcello pag.* 299. *Livius lib.* XXII. *pag.* 474. *M. Felix in Octav.* Virgines etiam Veſtàles apud Romanos, cum corruptæ & vitiatæ deprehenderentur, & ita ſeſe, æternum ignem, Deam Veſtam, ſacrum ejus penetrale, ipſam urbem Romam, totum Romanum imperium, imò terram inceſtaſſe crederentur, VIVÆ pro victimis terra obruebantur, ut hac defoſſione ſcelus hoc expiaretur, & divinæ viæ reatus hoc flagitio contractus ſolveretur; nam ejuſmodi libidinoſa corpora purgari credebant, ut exiſtimant *Jacob. Durantius Caſelius lib.* II. *Variar. Lection, cap.* 2. *Clemens Alexandrin. Pædagog.* III. Has virgines ita temeratas & corruptas IN TERRA DEFODI conſueviſſe teſtatur *C. Plinius libr.* IV. *epiſt.* 13. *Andr. Tiraquell. in Alexandr. ab Alexandro lib.* V. *c.* 12. *Genial. Dier. Euſeb. Chron. Olymp.* LXXIII. *Guiliel. Canter. novar. Lection. lib.* VII. *cap.* 6. *ex Scholiaſt. Sophoclis, Ovid. lib.* VI. *Faſtor. Sil. Ital. lib.* XIII. *Juvenal. Satyr.* IV. *v.* 10. *Propert. lib.* IV. *eleg.* 4. *pag.* 793.

VI. Adjungemus hìc, quod ab aliis obſervatum non reperimus, *totum* ſcil. *puniendi modum* ex *Halicarnaſſeo* & *Plutarcho* erutum. Ita autem *Dionyſius Halicarnaſſ. lib.* II. *cap.* 86. ſcribit:

Delatæque (virgines Veſtales damnatæ) ad Collatinam portam intra muros in ſubterranea cella cum SEPULCHRALIBUS ORNAMENTIS inhumantur, nec monumento dignatæ, nec parentatione, aliiſve ſolennibus defunctorum honoribus. Plutarchi verba per Hermann. Cruſerium & Guilielm. Xilandrum tranſlata hîc adponemus, cum Græcus textus nimis prolixus ſit. Ita autem *Plutarchus* loquitur in *Numa pag.* 67. Stupri verò comperta, juxta portam, quæ dicitur Collina, VIVA defoditur. Tumulus ibi intra muros terreus eſt in longum porrectus (agger Latino ſermone vocatus) in eo ædicula ſubterranea exſtruitur modica, gradus habet, quibus deſcenditur ſuperne. In ea lectus ponitur ſtratus & lucerna accenſa, eorum quoque quæ ad victum ſunt neceſſaria pauca, ut panis, aqua in ampulla, lac, oleum, quaſi corpus abominentur maximis conſecratum cæremoniis fame conficere: damnatam lecticæ indunt, atque undique obnubunt eam, vinciuntque loris, ut ne vocem quidem mittere iſta, quæ valeat exaudiri, queat. Ita eam per forum devehunt. Decedunt autem via omnes taciti, proſequunturque ſine voce atque ingenti cum mœſtitia. Neque eſt ſpectaculum illic ullum magis horrendum, nec triſtior facies civitatis ulla alia eſt die. Ubi ad locum illum eſt lectica delata, apparitores ei vincula demunt, Pontifex Maximus ante ſupplicium preces quaſdam arcanas tenſis ad cœlum manibus peragit. Inde ducit obvolutam, atque in ſcalis qua deſcenſus eſt, in domunculam conſtituit, tum avertit ſe cum aliis Sacerdotibus. Poſtquam illa deſcendit, retrahuntur ſcalæ, & ædicula multa injecta deſuper humo contegitur, donec complanatum ſolum aggeris eſt. Hactenus *Plutarchus*.

VII. De *Dumatis* refert *Porphyr. lib.* 11. aliquid parum diſſimile. *Dumetii* quoque in Arabia ſingulis annis puerum ſacrificabant, quo ſub ara ſepulto utebantur ſimulachri loco. Hodiè etiam *Japoniæ* incolæ ſe VIVOS terræ defodi & obrui curant, & ita Dæmonio ſuo *Xaca* immolantur. Geugues ſecretis ſtimulis incitati Diabolum vocantem illos ſequuntur, qui in profundiſſima antra & ſpeluncas à Dæmonibus præcipitati occumbunt, & quaſi Diabolo immolantur, ſicut recenſet *Arnold. Montan. in deſcript. Legat. Holland. ad Japan. Imp. pag.* 122.

Et

Et *Jesuita Ludovic. Frojus in Epistol. Japan. ex Miaco anno* 1565. scripta. Sic quoque *Canidia* venefica scelerata apud *Horat. Epod.* v. puerum prætextatum furtim raptum necare intendit, ut ex ejus cadavere sua maleficia adimpleret, sicut scribit *Bond ad epod.* v. *pag.* 110. Et hæc de defossione vivorum & sepultura illorum dicta sunto. Plura quidem de Sepultura Gentium dicenda, scil. Arabum, qui Reges defodiunt in sterquilinio, de quibus *Strabo lib.* XVI. *Geogr. p.* 618. §. 14. Scythis apud *Herodot.* IV. *c.* 127. Thracibus, vid. *Mela* 2. *Geogr.* 2. Germanis, vid. *Quensted de sepult. vet. c.* 16. *p.* 355. Hispanis Gallis & Danis, vid. *Quenst. cap.* XIV. *pag.* 331. Sed de his fuse egit *Gyraldus* de vario sepeliendi ritu; quare hîc subsistimus, & Lectorem ad citatos Scriptores remittimus.

CAPUT X.

De Sepulcris in Asia.

I. Hactenus perlustravimus varios Gentilium sepeliendi ritus, de quibus plura adhuc proferenda essent, nî hoc fecisset sæpe citatus *Gyraldus*, ad quem B. L. remittimus. Nos his missis ad *Sepulchra* ipsa progredimur, & ea quæ in *Asia* fuerunt, percontamur, inter quæ *Assyriorum* Regum prima, de quibus *Arrian. lib.* VII. asserit, quod in *palude* non procul à *Babylone*, multa Assyriorum Regum SEPULCHRA exstructa fuerint. Videatur *Matth. Theatr. histor.* III. *pag.* 35. confer. *Gyrald. de vario sepeliendi ritu cap.* XVIII. An autem statim ab initio *Sepulcra Regum Assyriorum* in palude illa exstructa fuerint? meritò dubitatur. Non ante Cyri obsidionem nil quicquam de hac re legitur, qui teste *Herodoto lib.* I. *c.* 190. Euphrate obstructo paludem quasi effecit. Bene ergo Anglus nobil. *Joh. Marsham. in Can. Chron. Secul.* XVIII. *pag. m.* 628. 629. *ex Arriano* refert: *Alexander* per Pallacopam vectus, per lacus navigavit usque in Arabum regionem, rursumque per paludes navigans & Babylonem habens à sinistra, dum ipse esset triremis suæ gubernator, ventus obortus est, qui pileum & diadema ei alligatum abripuit: Diadema adhæsit arundini

ex iis, quæ Sepulcris veterum Regum adnatæ erant. Τῶν βασιλέων τῶν Ἀσσυρίων τοὺς τάφους ἐν ταῖς λίμναις τε εἶναι τοὺς πολλοὺς καὶ ἐν τοῖς ἕλεσι δεδομημένους, *Multa Aſſyriorum Regum Sepulcra in iis* paludibus *exſtructa* eſſe, temerè & fortuito contigit, per infauſtum illud diluvium quod induxit Cyrus: cui nullum unquam repertum eſt remedium.

II. Sepulcrum *Beli* deſcribit *Strabo Geograph. lib.* 16. *in princ.* his ferè verbis: Flumen, inquit, mediam urbem interluit, ejus latitudo ſtadium occupat, horti ſuper flumine (Euphrate) ſunt, ubi etiam Beli Sepultura eſt nunc eruta, quam Xerxes eruit, ut fertur. Ea Pyramis quædam erat quadrata, ex latere coctili ſtructa ſtadii altitudine, cujus quoque latus ſtadium obtinebat, &c. Hæc *Strabo.* Hujus etiam meminit *Herodot. lib.* 1. *c.* 181. 182. 183. Jovis *Beli* templum in altera urbis parte ſitum æneis portis figura quadrata, duorum undecunque ſtadiorum amplitudine; cujus in medio turris ſolida exſtructa longa & lata ſtadium, cui alia turris rurſus impoſita eſt: & huic ſubinde alia, ad octavam uſque: in ultima hac fuit fanum ingens, in quo lectus ſplendidè ſtratus & menſa aurea; ſtatua autem nulla. In inferiore autem fano magnum fuit Jovis ſimulacrum ſedens ex auro & magna menſa aurea, cujus ſcamnum & ſella ex auro ſunt. Confirmat hoc etiam *Arrian. lib.* VII. *de expedit. Alexandr. M. edit. Amſtel.* 1668. *curante Nicolao Blancardo Medic. celeb. pag. m.* 480. *& lib.* III. confer. *Ælian. Var. hiſtor. lib.* XIII. *cap.* III. *pag. m.* 659. *edit. Argentorat.* qui hæc recenſet: *Xerxes Darii filius effoſſo vetuſti Beli monumento vitream urnam reperit, ubi jacebat in oleo cadaver, non tamen plena fuit urna, vacuumque è ſummis labris ferè palmæ ſpatium habuit. Adjacebat urnæ columna exigua, in qua ſcriptum continebatur, eum qui Sepulchrum aperuiſſet, neque repleviſſet urnam, peſſime habiturum. Quo lecto, Xerxes expavit, & oleum celerrimè juſſit infundi, non tamen impletum eſt, &c.* Ex his & aliis teſtimoniis conſtat, quod Beli monumentum ſuperbiſſimum fuerit, quod ex deſcriptione Herodoti patet: conf. *Freinſheim. in Curt.* V. 1. 24. *ad vocem regia.*

III. *Semiramidis* Sepulcrum habes apud *Plutarchum in Apophthegm.* & *Stobæum ſerm.* 10. Deſcribit quoque hoc *Herodot. lib.* 1. *Clio, fol. m.* 77. his verbis: Supra portas urbis celeberrimas,

Pag. 70.



mas, loco edito atque conſpicuo ſepulcrum ſibi exſtruxit, atque his literis inſcripſit: SI CUI REGUM BABYLONIS POST ME FUTURORUM FUERIT PECUNIÆ PENURIA, APERTO SEPULCHRO SUMITO, QUANTUMCUNQUE LIBUERIT PECUNIÆ, NE TAMEN, NISI INDIGUERIT, ALIOQUI APERITO. NON ENIM IN REM EJUS FUERIT. Hoc Sepulcrum tamdiu fuit immotum, dum regnum pervenit ad *Darium*. Is indignum eſſe ratus ſe neque uti quippiam his portis (ideò autem non utebatur, quod ſupra caput ipſius tranſeuntis mortuus ſitus eſſet) neque ſumere pecunias repoſitas, & eas quidem ipſum provocantes, reſeravit monumentum, in quo non quidem pecunias invenit, ſed literas ita dicentes: NISI PECUNIÆ ESSES INEXPLEBILIS ET TURPIS LUCRI CUPIDUS, DEFUNCTORUM SEPULCRA NON APERUISSES.

IV. *Sardanapali* Sepulcrum habes deſcriptum apud *Camerarium Hor. Subciſ. cent.* 1. *c.* 97. *pag.* 450. *ſeq.* quod ad *Anchialen* fuiſſe prodit *Ariſtobulus* apud *Strabonem lib.* XIV. & lapideam imaginem hominis conſerentis dextræ manus digitos acſi crepitum digitis editurus eſſet, hoc modo:  Literis Aſſyriis, ut ibidem tradit *Strabo* hæc Monumento Sardanapali inſcripta ſunt: Σαρδανάπαλος ὁ Ἀνακυνδαράξεω παῖς Ἀγχιάλην καὶ Τάρσον ἔδειμε ἐν ἡμέρῃ μιῇ. Σὺ δ' ὦ ξένε ἔσθιε, πῖνε, παῖζε. ὡς τ' ἄλλα τούτου οὐκ ἄξια ἢ ἀποκροτήματος. i. e. *Sardanapalus Anacyndraxa F. Anchialen & Tarſum unâ die ædificavit. Tu autem hoſpes, ede, bibe, lude: cætera enim ne hujus ſunt digna.* Crepitationem intelligit digitorum. Poſtrema Inſcriptionis verba apud *Suidam* explicantur hoc modo: ὡς τἄγε ἄλλα τὰ ἀνθρώπινα οὐκ ὄντα τούτου ἄξια, τουτέστι, ἢ τῶν δακτύλων ἀποκροτήματος: Nam cætera humana ne hujus quidem (digitorum videlicet crepitationis) ſunt digna. Inſiſtebat enim, ut ibi notat Suidas, monumento ſimulacrum, manibus ſupra caput tenſis velut concrepitantibus digitis. Ita intelligi debet hic geſtus tendentis manus ſupra caput, non ut fieret manuum comploſio, ſed ut tribus digitis erectis crepitatio ederetur, medio in pollicem incumbente & feriente indicem exſtantem, ad ſignificandum contemtum, ut monet *Andreas Schottus.* Eandem Inſcriptionem

nem paulo aliter *Arrianus* recenset verbis his, quæ leguntur *lib. 2. de Expedit. Alexand. pag. m. 91. edit. Amstel.* ΣΑΡΔΑΝΑΠΑΔΟΣ Ο ΑΝΑΚΥΝΔΑΡΑΞΟΥ ΠΑΙΣ, ΑΓΧΙΑΛΟΝ ΚΑΙ ΤΑΡΣΟΝ ΕΝ ΗΜΕΡΑ ΜΙΑ ΕΔΕΙΜΑΤΟ. ΣΥ ΔΕ Ω ΞΕΝΕ ΕΣΘΙΕ, ΚΑΙ ΠΙΝΕ, ΚΑΙ ΠΑΙΖΕ, ΩΣ Τ' ΑΛΛΑ ΤΑ ΑΝΘΡΩΠΙΝΑ ΟΥΚ ΟΝΤΑ ΤΟΥΤΟΥ ΑΞΙΑ. i. e. *Sardanapalus Anacyndaraxæ F. Anchialon & Tarson uno die condidit. Tu verò Hospes ede, bibe, lude, quum ceteræ res humanæ tanti non sint.*

V. Hoc Epicedium *Sardanapalus* ipse sibi composuit, ut ait *Diodorus*, & successoribus SEPULCHRO suo post mortem inscribendum mandavit: quod è lingua Barbarica Græcus aliquis transtulit. *Athen. lib.* XII. hanc Epigraphen ex *Clitarcho* refert. *Chœrilus* Poëta (ut ex *Strabone* colligas) Sardanapali Epitaphium versibus expressit. Apud eundem Geographum hi versus hodiè leguntur, quos ex Chrysippo protulit:

Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, σὸν θυμὸν ἄεξε
Τερπόμενος θαλίῃσι· θανόντι τοι οὔτις ὄνησις.
Καὶ γὰρ ἐγὼ σποδὸς εἰμὶ, Νίνου μεγάλης βασιλεύσας
Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἐρώτων
Τερπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται.

Id est:

Cum te mortalem nôris, præsentibus exple
Deliciis animum: post mortem nulla voluptas:
Namque & ego, cinis ecce, Nini rex maximus olim
Hæc habeo, quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit: at illa jacent multa, & præclara relicta.

Illa Epitaphii verba, Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον, Philosophi tum *Stoici*, tum οἱ ἐκ περιπάτου, deriserunt. *Cicero lib. 2. de Finib.* Corporis autem voluptas, inquit, si etiam præterita delectat, non intelligo cur *Aristoteles Sardanapali* Epigramma tantopere derideat, in quo ille Rex Assyriæ glorietur, se omneis secum libidinum voluptates abstulisse. Idem, *Tuscul. Quæst. lib.* 5. Sardanapali opulentissimi Assyriæ Regis error agnoscitur, qui incidi jussit in busto, Hæc habeo, quæ edi, &c. Quid aliud, inquit, Aristoteles, in bovis, non in Regis SEPULCHRO inscriberes? hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat, quàm fruebatur.

VI. Pro

VI. Pro *Cyri* Sepulcro commendat *Barnab. Briſſon. de regno Perſico Freinſhemius in Curt.* 10. 1. 30. Quo mortis genere diem ſuum obierit Cyrus non convenit inter Auctores, ut prolixe monent *Matth. Theatr. hiſtor.* & *Cluver. Epitom. hiſt. in Cyro.* Cui parti nos addicamus, non ſatis videmus. *Xenophontis* in iſta re auctoritatem elevavit pridem *Joh. Behm Chronol. Manud. dec.* 2. *obſ.* 1. *f.* 236. *ſeq.* Ac *Sepulcri* quanquam manifeſtiſſima veſtigia non præbent tutum argumentum pro morte, ex cauſis naturalibus, contracta. Quia potuit cadaver è Scythia vel furto relatum, vel pecunia redemtum eſſe. Poteſt funus imaginarium factum fuiſſe, ad velandam tantæ cladis turpitudinem, *cl. Frideric. Muller. Profeſſ. quondam Giſſenſ.* aſſerit, cui opinioni non adſtipulamur, quippe ex teſtimoniis claris Scriptorum, Cyrum in Sepulcro conditum fuiſſe. Nam *Alexander Magnus* in *Paſargadas* veniens *Cyri Sepulchrum* in hortis vidit: in quod *Ariſtobulus* juſſu Regis introiit, ſeque vidiſſe ait κλίνην χρυσῆν, καὶ τράπεζαν σὺν ἐκπώμασι, καὶ πύελον χρυσῆν, καὶ ἐσθῆτα πολλὴν, κόσμον τε λιθοκόλλητον, i. e. *lectum aureum & menſam cum poculis aureumque alveum, veſtem plurimam ac mundum gemmis ornatum.* Teſtatur hoc *Arrian. lib.* VI. *de expedit. Alexandr. pag. m.* 435. *ſeq. edit. Amſtel.* 1668. curante *Nicolao Blancardo*: cujus locum ex interpretatione *Bonavent. Vulcan. Brug.* recenſebimus: *Eſſe enim*, inquit, *Arrianus, apud Paſargadas in hortis regiis Cyri Sepulcrum, & circum id*, lucum omnis generis arboribus conſitum, aquiſque irriguum atque alto gramine hortum ipſum refertum eſſe: Sepulcrum ipſum ab ima parte ſaxo quadrato ſtructum, quadrangularem formam præ ſe ferre. In editiore parte ædiculam eſſe lapideo fornice contectam portulamque habere, quæ in eam ducat, ita anguſtam ut ægerrimè unus aliquis, neque is magnæ ſtaturæ, ingredi poſſit. In ædicula ſolium aureum eſſe poſitum, in quo Cyri corpus conditum ſervatur: ubi obſervandum, quod Græci πύελον χρυσῆν præferant, quæ *Curtio* præeunte mutavimus, *ſolium aureum.* Principio decimi: *coronâ aureâ impoſita amiculo, cui adſueverat ipſe, ſolium, in quo corpus jacebat, velavit.* Idem de loculo Alexandri cap. X. *Ægyptii Chaldæique purgavêre corpus, repletumque eſt odoribus aureum ſolium, & capiti adjecta fortunæ ejus inſignia.* Eodem

 ſen-

sensu *Plinius lib.* XXXV. *cap.* XII. *Quin & defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluêre.* Et *Florus* de Cleopatra lib. IV. cap. XI. *In differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium.* Solium arcula erat, aut loculus, ubi defunctorum corpora condebantur. *Arrianus* paulo post, ἐν μέσῳ δὲ τῆς κλίνης ἡ πύελος ἔκειτο, ἡ τὸ σῶμα τοῦ Κύρου ἔχουσα. Unde *Hesychius* τὴν πύελον exponit λάρνακα. Suidas verò θήκην interpretatur. E quibus efficitur, falli interpretem, qui hîc & septenis sequentibus locis τὴν πύελον *urnam* reddit, quasi is genti mos fuerit, ut cineres reliquiæque corporum crematorum in urnis reponerentur. At ea consuetudo *Romanorum*, non *Persarum* fuit, aut *Græcorum*, qui suorum cadavera non comburebant. Unde in funere *Poppææ* velut insolens notat *Tacitus Annal. lib.* XVI. Corpus non igni abolitum ut *Romanus* mos, sed Regum externorum consuetudine, differtum odoribus conditur, tumuloque *Juliorum* infertur. De *Persis* autem & *Ægyptiis Herodot. lib.* III. refert, quod non cremarint, sed melle circumlitos mortuos condierint. Solium igitur *Cyri* ita exstructum, ut quadraret & magnitudini corporis responderet, quod de loculo *Alexandri Diodor. Sicul.* tradit *lib.* XVIII. neque *urnæ* aptari potest.

VII. In descriptione Sepulcri Cyri pergit *Arrianus*: lecticam solio adstare, cujus pedes ex solido auro fabrefacti sint, hanc tapetis Babyloniis stratam, stragulis purpureis substratis: lecticæ candyn regiam aliasque vestes Babylonii operis impositas esse. Quæritur autem num addendum sit *purpurâ insertis*. Non enim dicit τάπητα Βαβυλώνια, sed ἐπιβλημάτων Βαβυλωνίων. At ἐπίβλημα notat insertam in fine vestis purpuram. *Hesychius* λῶμα interpretatur. Quare tapetia illa Babylonica fuêre insertitia sive ἐνεῤῥαμμένα. Nam ut quædam intexi & immitti & insui vestibus dicebantur, ita & inseri decantatissimum est. *Plutarchus Caton. Major.* habet ἐπίβλημα τῶν ποικίλων Βαβυλώνιον quod fuit stragula Babylonico opere acu picta. Quid per καυνάκας *Arrianus* intelligat? docte ostendit *Blancard* in annot. ad h. l. ex *Hesychio*. Notanter addit *Arrianus Candyn*, quæ vox Persica est, quam retinuit interpres, & per *tunicam* reddere licebit. Imperitè autem à quibusdam vertitur per *cidarim*, nam ea capitis tegumentum fuit. Nos *Curtii* verbo *ami-*

culum

culum reddimus, haut nescii vestem superiorem plerumque significare. Pari ratione ut apud Græcos tunica ἐπενδύτης dicebatur, quæ pallio suberat, & supra interulam sumebatur; ita & Persæ CANDYN ex humeris suspendebant, ut medio esset loco inter subuculam & pallam, quæ suprà omnia vestimenta injiciebatur.

VIII. Hæc & alia reperta sunt, quæ ad alium locum differimus, modò hîc addentes, quod in medio lecticæ solium corpus Cyri continens fuerit. Esse præterea intra ambitum in ipso ad Sepulchrum ascensu exiguam quandam ædiculam, Magis exstructam, qui quidem Sepulchrum custodiebant, jam inde à Cambyse Cyri filio custodiæ munere à patribus in filios transmisso. Atque his quidem ovis in singulos dies à rege dabatur vinique & farinæ certus modus: singulis etiam mensibus equus unus, quem Cyro sacrificarent. Titulus Sepulcri Persicis literis inscriptus hoc significabat: Ω ΑΝΘΡΩΠΕ, ΕΓΩ ΚΥΡΟΣ ΕΙΜΙ Ο ΚΑΜΒΥΣΟΥ, Ο ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ ΠΕΡΣΑΙΣ ΚΑΤΑΣΤΗΣΑΜΕΝΟΣ, ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣΑΣ, ΜΗ ΟΥΝ ΦΘΟΝΕΙ ΜΟΙ ΤΟΥ ΜΝΗΜΑΤΟΣ, h. e. O MORTALIS, CYRUS EGO SUM CAMBYSIS F. QUI PERSIS REGNUM CONSTITUI, ASIÆQUE IMPERAVI, ITAQUE NE MEO MONUMENTO INVIDEAS. Confer. huc annotat. *Nicolai Blancardi pag. m.* 438, qui ex *Plutarcho* quoque aliam ἐπιγραφὴν recitavit in vita *Alexandri*, quam *Aristobulus* quoque retulit his verbis: Ω ΑΝΘΡΩΠΕ ΟΣΤΙΣ ΕΙ ΚΑΙ ΠΟΘΕΝ ΗΚΕΙΣ (ΟΤΙ ΜΕΝ ΓΑΡ ΗΞΕΙΣ ΟΙΔΑ) ΕΓΩ ΚΥΡΟΣ ΕΙΜΙ Ο ΠΕΡΣΑΙΣ ΚΤΗΣΑΜΕΝΟΣ ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ, ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ, ΜΗ ΟΥΝ ΦΘΟΝΗΣΗΣ ΜΟΙ ΤΟΥ ΜΝΗΜΑΤΟΣ, h. e. O HOMO, QUISQUIS ES, ET UNDECUMQUE VENISTI (NAM VENTURUM NOVI) EGO CYRUS SUM, QUI PERSIS IMPERIUM ACQUISIVI, ET REX ASIÆ FUI, NE IGITUR MIHI MONUMENTUM INVIDEAS. *Onesicritus* tradidit, *turrim* fuisse δεκάστεγον, in supremo autem tabulato jacuisse *Cyrum* cum hac Græca Inscriptione Persicis literis exarata:

Ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλέων.

Id est:

Cyrus ego Rex olim regum conditus hic sum.

De *Darii* Sepulcro pauca habet *Strabo lib.* XV. *Geograph.*

IX. Celebratur in Asia quoque *Halyattis* patris *Crœsi* Sepulchrum splendidum & superbum à *Crœso* parenti exstructum: vid. Angl. *Johann. Marsham. Can. Chron. pag. m.* 604. *edit. Lips.* 1676. quod ab *Herodoto libr.* I. *Clio, cap.* XCIII. eleganter descriptum reperimus. Verba *Herodoti* ab *Henrico Stephano* recognita *fol. m.* 40. *edit.* 1618. ita sonant: Ibi est *Alyattis* Crœsi parentis Sepulchrum, cujus basis è grandioribus est lapidibus: reliqua Sepulchri pars, aggestio est terræ. Quod Sepulchrum construxisse feruntur homines emptitii atque operarii, & una cum his adjuvantes ancillæ. Ceterum ad nostram usque ætatem in summo tumulo quinque termini stabant, quibus literæ insculptæ indicant, quæ singuli elaborarint: apparebatque ex mensura, ancillarum opus esse maximum. Sepulchri hujus ambitus stadiorum est sex & duorum jugerum, latitudo jugerum tredecim: conf. *Nicol. Lloyd. Dictionar. Geograph. pag. m.* 83. *edit. Genev.* Ex his satis elucet, quàm magnificum fuerit Sepulcrum. Nec minus celebre est Hephæstionis Ecbatanis Sepulcrum, de quo *Justin.* 12. 12. 11. *Freinshem. in Curt.* 10. 4. 13.

X. *Mausoli* Sepulcrum in *Caria* ab *Artemisia* exstructum magnis extollitur laudibus, ita ut inter septem miracula mundi relatum. Defuncto enim marito *Mausolo*, uxor *Artemisia* molita est ingenti impetu operis conservandæ mariti memoriæ causa Sepulchrum illud memoratissimum dignatumque numerari inter VII. miracula vel spectacula omnium terrarum. Videantur Scriptores gravissimi de hoc Sepulchro disserentes, & omnes uno quasi ore profitebuntur, illud stupenda elegantia formatum fuisse. Audiamus *Balthas. Bonifac. Rhodigin. in histor. Ludicra lib.* III. *cap.* XXXVII. *pag. m.* 88. *edit. Bruxell.* 1656. loquentem: *Cæterum ad Artemisiam revertor, quæ carissimo conjugi Sepulchrum mirandum excitavit, de quo quæcunque opere & sumptu magnificentissima censerentur, Mausolea dicta sunt. Erat autem Mausoleum Artemisium quadrata moles è marmore fulgidissimo, in circuitu pedes quadringentos & undecim habens, quæ quinque & viginti cubitis attollebatur in altitudinem, & columnis triginta sex circumcingebatur, undique statuis nobilis-*

simis

ſimis referta, in cujus apice erat quadriga marmorea Regem vehens. Confer. huc *annot. Henric. Salmuth. ad Guidonis Pancirolli rerum memorabilium librum Tit.* XXXII. *pag. m.* 109. *edit. Francof.* 1660. Adſtipulatur his *Nicol. Lloydius in Dictionar. Geograph. pag. m.* 626. *edit. Genev. Eduard Simſon in Chronic. Cathol. part.* IV. *fol. m.* 112. *edit. Oxon. Vitruv.* VII. *archit. pag.* 290. Unde *Martial. epigr.* I. *in amphitheatr. Cæſar.*

Aëre nec vacuo pendentia Mauſolea
Laudibus immodicis Cares in aſtra ferant:

id eſt, Nec *Cares* ſuum Mauſoleum velut in aëre ſuſpenſum ſupra aërem & ætherem extollant. Propter altitudinem operis pendentia Mauſolea dicuntur; quippe hujus, uti paulo ante diximus, altitudo ſublata erat moles, vel quia concamerata erat, vel quia columnis impendebat, vel ob nobilem illam quadrigam marmoream à Pythi ſummo pyramidis cacumini impoſitam, quæ velut in aëre pendere, & ſuſpenſis alis & equis volare videbatur. Copioſius Mauſoleum depinxit *Plin. lib.* XXXVI. *c.* V. plures paſſim mentionem fecere. *Cicer. Tuſcul.* 3. *Strab. lib.* XIV. *Herodot. lib.* VII. *Gell. lib.* X. 18. *Valer. Maxim. lib.* IV. *c.* 6. *Caſſiodor. Antipat. lib.* I. *ep. Græc.* & alii. De Arati Sepulcro in Cilicia, vid. *Mela* I. *Geograph.* 13. *pag.* 38. De incolis *Zeilan*, vid. B. *Geier. de luctu Hebr. cap.* VI. *pag. m.* 101.

CAPUT XI.

De Sepulchris in Africa.

I. Varia etiam celeberrima *Sepulcra* in Africa reperiri extra omnem dubitationis aleam ponimus. In Ægypto apud Memphim SEPULCRA *Cheopis* & *Chephrenis* in Pyramidibus demonſtrantur apud *Herodot. lib.* 2. *fol. m.* 157. *cap.* 124. & 127. qui evolvatur, & ſtatim pyramidum ſplendor & magnificentia, ſub quibus Reges ſepulti, patebit. Has proprio nomine Ægyptii appellabant NſCTȢλλDC ṄΦϮ Erantque moles maximæ, ſive lapideæ ſtrues ita erectæ, ut è lato in acutum mira altitudine tenderent: dictæ ab ipſa figura,

gura, quæ flammam imitatur igneam, πῦρ enim Græcis ignis est; unde & pyramis. Ignem certe pyramidis formam habere, Plato testatur: propterea quod cum in imo latus sit circa materiem & fomentum, quo pascitur, in acutam flammam, quæ cælum spectat, desinit. Nam per basin, materia concreta significatur; per reliquum corpus, materia jam ad formam recipiendam parata & quasi fermentata: per punctum ipsa informis & simplicissima substantia, ut est apud *Pierium lib.* LX. *Hieroglyph.* Tam altæ verò in Ægypto Pyramides fuisse traduntur, ut magna omnium admiratio fuerit, qua ratione in tantam altitudinem subvecta sint cæmenta. Ideoque *Martialis* eas pro miraculis habet: *Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis*, *Epigr.* I. *Herodot. lib.* II. octo plethrorum, h. e. octogenûm ait pedum. *Diodor. Sicul. lib.* I. paulò amplius sexcentorum. *Strabo lib.* XVII. σαδιαίας, ait, singulas, h. e. singulas pyramides singula stadia altas. Stadium autem, ut *Columella* & *Plinius* docent, continet pedes sexcentos viginti quinque. Plinius altitudinem non exprimit. *Mela* ad quatuor jugera in altitudinem erigi affirmat. *Solinus* prodigiosè *Pyramides*, inquit, turres sunt in Ægypto fastigiatæ ultra excelsitatem omnem, quæ fieri manu possit. Itaque mensuram umbrarum egressæ, nullas habent umbras. Epigrammatar. *Græc. lib.* IV. *epigr.* εἰς τὰς ἐν Μέμφει πυραμίδας, ποιητικῶς, ait illas sidera contingere: conf. *Ammian. Marcell. lib.* 22. *Cassiodor. form.* 15. *lib.* VII. *Auson. Edyl.* III.

II. Cur autem Ægyptiorum Reges Pyramides exstruxerint, variæ dantur rationes. *Joseph. lib.* 2. *c.* 5. inter ταλαιπωρίας Israelitarum in Ægypto, dicit illos in exstruendis Pyramidibus laborasse. Israelitæ quidem regnante Nitocre, juxta *Marshamium*, habitabant in *Goshen*; in servitutem autem non sunt redacti ante adventum Pastorum: post tempus illud nullæ exstructæ sunt Pyramides, nisi ævo longe inferiore in Mœridis insula, aut Labyrintho. Alii ineptissime existimarunt, illas fuisse ὡραῖα βασιλικὰ σιτοδόχα, ἃ κατεσκεύασε Ἰωσὴφ, horrea regia frumentaria extructa à Joseph Patriarcha; nomenque ἀπὸ τοῦ πυροῦ, non ἀπὸ τοῦ πυρὸς deducunt, uti *Auctor Etymolog. Stephan.* & *Gregor. Nazianzen.* cujus verba adduxit *Balthas. Bonifac. Rhodigin. lib.* III. *Histor. ludicr. cap.* XXXVI. *pag.* m.

m. 88. *edit. Bruxell.* quam opinionem refutatam habes in notis *Henric. Salmut. ad Guid. Panciroll. pag. m.* 104. Alii alias addunt rationes, inter quas & hæc eſt, quâ aſſeritur, Reges Ægyptios primum excogitaſſe id genus ædificii ad ſtultam oſtentationem in pecuniis erogandis: ſive ne pecuniam ſucceſſoribus præter modum relinquendo, inſidiandi ſibi cauſam præberent: ſive ne plebs ocio torperet. *Plin. lib.* XXXVI. *cap.* 12. *Chaſſan. in catalog. glor. Mund. part.* 12. *conſid.* 74. quamquam & alia hujus rei poſſit dari ratio, ut ſcil. ſub tam regio & admirabili ædificio terrâ conditi, immortalitatis famam conſequerentur. Ægyptii enim primi putantur ſcribente *Herodot. lib.* 2. *c.* 123. qui animam hominis immortalem eſſe dixerint & docuerint ejus tranſmigrationem in alia animalia terreſtria, marina, volucria, rurſuſque in corpus humanum intra 3000. annos fieri. Hinc tantum condiendi cadaveris ſtudium, tantæ in ſtruendis repoſitoriis impenſæ. Unde *Diodor. Sicul. lib.* 1. ſcribit de illis: De ſtructura domuum minus ſunt ſolliciti, in Sepulcris verò omnem ſuperant magnificentiam. Sane Regum Sepulcris Pyramides fuiſſe ſuperpoſitas ex illo *Lucani* colligitur,

Quum Ptolomæorum manes ſeriemque pudendam
Pyramides claudant.

Nec verò ob temporis duntaxat perpetuitatem, aut nominis immortalitatem, ut diximus; ſed vel ideò magnifica Regum Sepulcra Ægyptios ſub ingentibus Pyramidibus feciſſe *Pierius lib.* 60. *Hieroglyph.* exiſtimat, ut teſtarentur, corpore ſoluto & corrupto animam ſupereſſe, &c.

III. De Pyramidibus ſumma magnificentia erectis legatur *Athanaſ. Kircher. claſſ.* VIII. *fol. m.* 292. *ſeq.* qui ex *Herodoto*, *Diodoro*, *Strabone*, *Plinio*, *Petro Bellonio*, *Marco Grimano*, *Petro de Valla* plurima teſtimonia retulit, quæ teſtantur de illarum ſplendore, quæ adducere ſupervacaneum exiſtimamus; ſed in id incumbimus, ut probemus Reges Ægyptiorum ſub his reconditos fuiſſe. Hîc teſtem oculatum ex *Radzevilio* adducimus, qui *fol.* 161. *hiſtor. Itin.* expreſſe ſcribit: *Intrinſecus habet artificioſos & peramplos gradus, quibus æque ac extrinſecus ad ipſam uſque ſummitatem adſcenditur; habet & concamerationes, quarum duæ majores, una ſuper alteram erecta, quæ* SEPULCHRA

CHRA *Regum Ægypti continebant: in inferiori extat etiam hodie* SEPULCHRUM *ſatis magnum, in quo corpus aliquod fuit repoſitum.* Confirmat hoc *Tito Livio Burattini*, referente *Kirchero in Oedip. Ægypt. fol. m.* 305. *edit. Roman.* his verbis: *Da queſti Piramidi ſino a quelle di Giza, che ſono circa dieci miglia Italiane poſte verſo Tramontana, era gia la famoſiſſima Citta di Memfi, & hora ancora ſono li* SEPOLCRI *delli antichi Egiptii, volgarmente chiamati le Mumie. Sei di queſti* SEPOLCRI *qui ſopra hò diſegnato, con l'arena all' intorno, che cavano dalla bocca quando vogliano entrare.* Ichnographiam cryptarum & Pyramidum circa Memphim nobis exhibet *Athanaſ. Kircher. fol. m.* 403. *Syntagm.* XIII. ex delineatione *Burratini Regis Poloniæ architecti*, quam citato loco evolvere licet.

IV. In Labyrintho Ægyptiaco SEPULCRA Regum aliquot reperiuntur, uti *Strabo* XVII. *Geograph. pag.* 662. *ſeq. pag.* 697. *ſeq.* teſtatur. Hunc deſcribit *Herodot. lib.* 2. *Euterp. cap.* CXLVIII. *fol. m.* 147. cujus verba ex *Vallæ* interpretatione hæc ſunt: *Regnantibus in Ægypto duodecim Regibus, placitum eſt eis aliquod relinquere commune omnibus monumentum, ex eoque placito fecerunt Labyrinthum paulo ſupra Mœridis ſtagnum, maxime urbem verſus quæ dicitur Crocodilorum, quam ego aſpexi fama majorem.* Ubi in his verbis *Herodoti* obſervandum eſſe putamus, quo architecto uſi fuerint, quippe probabile non eſt, ipſis Regibus directoribus hoc ingens opus confectum. Architectum ergo hujus Labyrinthi nobis ſiſtit *Pompon. Mela lib.* 1. 9. qui in hæc erumpit verba: *Pſammetichi opus Labyrinthus domos ter mille, & regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore exſtructus ac tectus, unum in ſe deſcenſum habet, intus pene innumerabiles vias,* &c. Porrò eundem Labyrinthum aſſerit paulo ſupra Mœridis ſtagnum fuiſſe, quod *Ptolemæo* palus ingens à *Memphi* 72. *m.* vid. *Nicol. Lloyd. Dictionar. Geograph. pag. m.* 651. *edit. Genev.* Situm optime deſcripſit & exhibuit *Athanaſ. Kircher. in Oedip. Ægypt.* Additur verſus urbem Crocodilorum, quæ in Nomo XV. dicta Crocodipolites. Copticè ⲦⲀⲂⲒⲢⲀ́ⲤⲆȣⲬⲒ, quia in hac urbe Crocodilorum cultus viguit. *Arſionem* hanc quoque civitatem dictam ex Strabone oſtendit citatus *Athanaſ. Kircher. fol. m.* 35. *Syn-*

tag. 1. *Chorograph. Ægypt.* Sed iterum ad *Herodotum* nos conferimus dicentem: Si quis enim ex Græcorum narratione muros & operis ſpeciem ratiocinetur, minus concipiet, quàm pro labore & ſumptu hujus Labyrinthi: tametſi enim Epheſi templum memoratu dignum eſt, & in Samo; tamen pyramides erant narratione majores, quarum ſingulæ multis & magnis operibus Græciæ æquiparandæ ſunt. Sed eas quoque Labyrinthus antecellit. Etenim duodecim ejus aulæ ſunt tecto opertæ, portis oppoſitis altrinſecus: ſex ad Aquilonem contiguæ, totidem ad Auſtrum vergentes, eodem extrinſecus muro concluſæ. Bifaria in eo ſunt domicilia, una ſubterranea, altera ſuperiora illis impoſita; utraque tria millia quingenta: quorum ea, quæ ſuperiora ſunt, ipſi vidimus, & quæ aſpeximus, enarramus; ſubterranea verò auditu percepimus: nam qui Labyrintho præpoſiti Ægyptiorum, nolebant illa ullo pacto monſtrari, quod dicerent illic SEPULCHRA eſſe tum eorum Regum, qui ædificandi Labyrinthi fuerunt Auctores, tum ſacrorum Crocodilorum: ita de inferioribus docti comperimus: ſuperiora ipſi aſpeximus humanis operibus majora, nam anfractus ſeu egreſſus per tecta & regreſſus per aulas, uti erant diverſiſſimi, ita infinita me admiratione afficiebant. Ex aula in conclavia tranſitur, ex conclavibus in cubicula, è cubiculis in ſolaria alia, è conclavibus in aulas alias. Horum omnium lacunar, quemadmodum & parietes, lapideum eſt, ſculptilibus paſſim figuris ornatum: ſingulæ aulæ maxima ex parte digeſtæ albo lapide, columnarum ambitu redimitæ; angulo, quo finitur Labyrinthus, adhæret pyramis quadraginta paſſuum, in qua grandia animalia ſunt inſculpta, ad quam iter ſub terra fit.

V. Hæc eſt deſcriptio ab Herodoto curioſo rerum omnium inſpectore & admiratore obſervata, cujus deſcriptionem ſecuti, libenter hîc totius fabricæ rudem ſaltem quandam & ſuperficialem Ichnographiam exhibuiſſemus, ſi per tempus licuiſſet, ut de præſtantia ingenii talium operum Architecti conjicere poſſet Lector. Audiamus etiam *Athanaſium Kircherum*, qui *fol.* 307. *claſſ.* VIII. §. 3. *Oedip. Ægypt.* ita diſſerit: Situs eſt *Labyrinthus* ad lacum Mœridis verſus Crocodilopolim, teſte *Herodoto* & *Plinio*, quod *Sepulchrum Mœridis* eſſe volunt.

Dividitur id primum in duodecim juxta *Herodotum*, & *sedecim* juxta *Plinium*, domicilia; tot videlicet aulas, seu potius ampla receptacula vastissimaque ædificia, quot olim Ægyptus universa in præfecturas, quas *Nomós* vocant, dividebatur: continebat præterea omnium Ægyptiorum Numinum templa; quibus complures quadragenûm ulnarum pyramides includebantur. Erant autem, teste *Strabone*, singulæ aulæ Nomorum columnis ambitæ, invicem continuæ; viæ vero quæ ad eas tendunt ex adverso sunt muri, qui aulas ordine positas cingunt. Ante ingresiam verò portam Cryptæ sunt multæ ac longæ, quæ inter se tanta & tàm mirifica tortuositate vias implicatas tenent, ut nemo ingredi aulam ullam possit, nec egredi sine duce, inexplicabili illo viarum errore deceptus. Sunt hîc & cœnacula altissima, porticusque nonagenis gradibus singuli exstructi, columnis ex porphyrite lapide fulciti, quos inter Deorum simulacra Regum statuæ, & summa monstrosarum imaginum congeries. Quarundam verò domorum talis est, ab ingeniosa Architecti inventione, situs & dispositio, ut mox atque fores earum aperiuntur, formidabile tonitru audiri videatur. Hæc & alia recenset *Kircher. l. c.*

VI. An autem Labyrinthus ab uno Regum exstructus fuerit, haut probabile videtur, uti benè observavit Anglus *nobil. Johann. Marshamius in Canon. Chron. pag. m.* 426. *edit. Lips.* quando ita disserit: Neque est vero dissimile, opus illud non unius Regis fuisse, non unius seculi, sed hisce inchoatum temporibus, vix ultimis perfectum fuisse. Et *pag.* 415. inquit: *Sesostri* successit *Lachares*, qui Labyrinthum sibi Sepulcrum paravit, *Sync. pag.* 59. *Eusebio* Labaris, *Diodoro Mendes* sive *Marrus* vocatur, qui (aliquanto post Sesostris tempora) Labyrinthum condidit in Nomo *Arsinoite*, postea dicto. Portentosissimum humani ingenii opus durat etiam nunc, ait *Plinius lib.* XXXVI. *c.* XIII. in Ægypto (in Heracleopolite Nomo, qui factus est ante annos (ut tradunt) 3600 à Petesuco, sive Tithoe. Quanquam *Herodotus* totum opus Regum esse dicit, novissimaque Psammetichi. *Plinio* consentit *Strabo lib.* XVII. de *Labyrintho* agens: qui recensitis aulis, tandem ita concludit: In fine hujus ædificii, quod plus stadio occupat, est Sepultura quædam pyramis quadrangula, cujus quodlibet latus

tus quatuor fere jugerum & altitudo par. Sepulti nomen eſt *Simandes*. Dicunt, tot aulas ibi factas eſſe, quot præfecturæ. Eadem fere narrat *Abenephius* de عين شمس Ainſchemes, i. e. *Heliopoli*.

VII. In *Minervæ* templo, quod eſt in urbe *Sai* indicantur non tantum Regum, ſed & alia Sepulcra. Sais autem erat ſexta præfectura Saïtica dicta, Copticè ⲠⲒⲦⲀⲂⲒⲢ ⲚⲦⲈⲤⲰⲆⲞⲨ in qua *Minervam* cultam docet Strabo: Καὶ ἡ Σεβηννητικὴ δὲ πόλις, καὶ ἡ ΣΑΙΣ Μητρόπολις τῆς κάτω χώρας, ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Ἀθηνᾶν· ἐν δὲ τῷ ἱερῷ αὐτῆς ἡ θήκη κεῖται τοῦ Ψαμμητίχου. i. e. *Inde Sebennitica urbs, & Sais inferioris Ægypti Metropolis, in hac Minervam colunt, utpote in cujus templo* PSAMMETICHI SEPULTURA *eſt*. Meminit etiam hujus templi Palladis Clemens *Alexandrinus lib.* IV. *Strom.* conf. Angli *Johann. Marshamii Canon. Chron. Secul.* XVII. *pag. m.* 568. In eodem templo Minervæ *Sepulcrum* Regis qui *Apries* dictus eſt, uti prodit *Herodotus libr.* II. *fol. m.* 155. *ſeq. cap.* CLXIX. cujus verba ex verſione *Vallæ* hæc ſunt: Eum iſti ubi ſtrangulavere, paternis in monumentis ſepeliverunt, quæ ſunt in *templo Minervæ*, proximè cœnaculum ad lævam manum intranti. Nam Saitani cunctos qui tribules eorum fuêre Reges intra templum ſepelierunt. Sunt enim, pergit *Herodot. cap.* LXX. SEPULCRA apud *Sain* in templo *Minervæ* poſt totum delubrum prope parietem, atque in fano ſtant ingentes obeli. In hoc ipſo itidem templo conſpicitur SEPULCHRUM *Amaſis*, uti *Herodot. lib.* III. *Thal. cap.* X. XVI. XXXVII. tradit: *Defunctuſque*, inquit, *& ſale* conditus eſt, & in SEPULCHRIS quæ ipſe ædificaverat ſitus intra Templum (Minervæ) conf. *Kirchman. lib.* 3. *de funer. Rom.* 16. *p.* 447.

VIII. In *Alexandria* locum, ubi Regum Sepulturæ ſint, oſtendit pluribuſque deſcribit *Alexandri Sepulcrum Strabo lib.* XVII. *pag.* 636. De hujus Alexandri ſepultura & ſepulcro vid. *Stat.* 3. *Sylvar.* 2. v. 117. *ſeq. Juſtin.* XIII. 4. 6. *Curt.* X. 10. 20. *Freinsheim. in Curt. l. c.* & in *Curt.* X. 1. 32. *Ælian. lib.* XII. *cap.* LXIV. *pag. m.* 642. 643. *edit. Argentor. & annot. Joh. Scheffer. in h. l.* & *lib.* XIII. *c.* 30. *Diodor. Sicul. Bibliothec.* 18. *f.* 592. *Sueton. in Auguſt.* 18. *Caſaubon. in h. l. Xiphilin. in*

Sever. f. 411. 46. *Herodian.* IV. 98. *f.* 549. *Suid. excerpt. in Severo & Caracalla f.* 870. Breviter omnia comprehendit Anglus *Eduard Simſon in Chronic. Catholic. part.* V. *fol. m.* 5. *edit. Oxonienſ.* cujus verba, quia Auctor in paucorum manibus, hic adſcribemus: *Aridæus*, inquit, *qui Alexandri Regis funus accurabat, poſtquam biennium propemodum* conſumſiſſet in magnifico funeris apparatu, tandem ad iter inſtitutum ſe accingit, corpus *Alexandri*, prout ipſe juſſerat, in templum Jovis Ammonis deportaturus, *Ptolomæus Lagi* Filius in honorem Alexandri, cum exercitu ad Syriam uſque obviam proceſſit, & acceptum corpus maximâ curâ proſecutus eſt. Illud autem in præſenti non ad Hammonem tranſvehere, ſed in condita nuper ab ipſo Alexandro urbe Alexandria ſcil. deponere ſecum conſtituerat. Quapropter ibi fecit delubrum auguſtiſſimum, in quo regium cadaver exſequiarum juſtis & ſacrificiis Heroicis, ludiſque magnificentiſſimis veneratus eſt.

IX. Cleopatra monumentum, cujus janua ita præparata erat, ut ſemel clauſa aperiri denuò nunquam potuerit, diſſerit *Strabo lib.* XV. *fol.* 513. & 515. confer. *Sueton. in Auguſt.* 17. *Flor.* 4. 11. 11. Sepulcra Regum in ſpeluncis circa *Thebas* advertit *Strabo lib.* XVII. *Geogr. pag.* 677. De *Memnonis* tumulo apud *Thebas* conſignavit nonnulla *Plinius Hiſtor. natural. lib.* X. 26. *pag.* 483. *lib.* XXXVI. 7. *p.* 389. & mira de ſepulchro *Memnonis* comminiſcuntur Auctores, *Plin. l. cit.* refert, Memnonidas aves quotannis advolare Ilium ex Æthiopia, & confligere ad *Memnonis* tumulum; & quidem in *Troade* ſupra *Æſopi* oſtia tumulus eſt, inquit *Strabo lib.* XIII. *pag.* 587. in quo oſtenditur ſepulchrum Memnonis, Tithoni filii. Simonides (vel potius Σήμος ὁ Ἠλεῖος vel ὁ Δήλιος teſtib. *Strabone lib.* XV. *p.* 728. & *Caſaubon. in loc.*) ait Memnonem ſepultum eſſe circa Paltum Syriæ, juxta flumen Badam. *Joſephus lib.* 2. *c.* 9. *bell. Judaic.* id magis ad auſtrum collocat: Duobus, inquit, ſtadiis ab urbe Ptolemaide eſt fluvius perexiguus, qui Beltus vocatur, juxta quem eſt Memnonis Sepulchrum.

X. Facetus in ea re nobis videtur *Strabo lib.* XVII. *Geograph.* qui inquit: *Creditur ſemel in die ſonitum quendam ictu haut magno effici à parte, quæ in ſede ac baſi eſt. Atque cum ego ibi cum Ælio Gallo adeſſem & cum reliqua multitudine amicorum ac mili-*

militum, qui cum eo erant, circiter horam primam sonitum audivi, seu à basi, seu à colosso, seu à circumstantibus de industria. Id enim haud quaquam affirmarim, cum propter incertam causam, omnia magis subeant, ut credam, quam ex lapidibus compositis sic crepitum edi. Hujus statuæ meminerunt *Plinius*, *Tacitus*, *Pausanias*, *Lucianus*, *Philostratus*, *Tzetzes*, *Scaliger in Euseb. n.* 400. quorum testimonia & verba citavit nobil. *Angl. Johannes Marsham. in Canon. Chronic. pag. m.* 425. 426. conf. *Eduard Simson Chronic. Cathol. part.* 1. *fol. m.* 29. *edit. Oxon.* Ignoravit ita *Strabo*, beneficio Solis, aëris & aquæ excitari crepitum facile posse. Hujus Statuæ imaginem magica arte elaboratam pluribus descripsit *Athanas. Kircher. in Oedip. Ægypt. Tom.* 2. *fol. m.* 315. *edit. Rom.* Interim tamen *fol. seq.* ostendit, quomodo naturali modo ejusmodi statua confici posset.

XI. De *Apis* Sepulchro videatur *Camerar. Hor. subcisiv. cent.* 1. *c.* LXXII. *pag.* 331. Porro memorabile est *Osimandis Sepulcrum*, quod inter magnifica Regum Thebanorum SEPULCRA refertur. De hoc audiamus Diodorum, qui ex *Hecatæo Abderita* prodit: Sepulcra quoque, inquit, Regum priscorum mirabili opere, & quæ minimè æquari à posteris possint, fuisse ajunt. Referunt Sacerdotes XLVII. Sepulchra regia, quorum usque ad Ptolomæum Lagum XVII. tantum supererant, in eorum libris scripta contineri, eorumque etiam plurima, quo tempore ad ea loca accessimus, absumpta erant, Olympiade 180. Non solum verò ab Ægyptiis Sacerdotibus hæc traduntur, sed Græci complures, & in his Hecatæus, qui Ptolomæi Lagi tempore Thebas profecti, historias Ægyptias scripserunt, nobiscum sentiunt: de prioribus enim Regum SEPULCHRIS, in quibus traditur Jovis pellices conditas fuisse, recensens singula, Regis monumentum, qui Simendius est, tradit fuisse stadiorum decem, &c. & quæ alia sunt, quæ apud *Marshamium l. c. pag. m.* 427. 428. 429. & *Kircher. in Oedip. Ægypt. fol. m.* 309. 310. videnda sunt. Ex quibus omnibus patet, magnificentissima fuisse in Africa Sepulcra.

CAPUT XII.

De Sepulchris in Europa.

I. Hactenus ſatis diu in deſcribendis Sepulcris in *Africa* occupati fuimus; nunc ad *Europam* nos convertimus & Sepulcra illius perluſtramus. Antiquiſſimis temporibus domi defunctos ſepeliviſſe Græciam teſtis eſt *Plato in Minoë* parum à fine *fol.* 45. Poſtea verò, cum certis in locis homines mortuos ſepelirent, plerumque eos locos eligebant, qui ad ſepulchra apti erant. Qui nunc hos ſcire deſiderat, ille evolvat *Platonem lib.* XII. *de Legibus* ſic ſtatuentem, cujus verba Latina è Græco tranſlata ita ſonant: Nullum in loco fœcundo & agro ad culturam apto Sepulchrum fiat. Sed is locus corpora defunctorum recipiat, qui ad cætera inutilis, & ad id tantum commodus viventes minimè lædit. Nec enim à vivis, neque à mortuis, terræ matris fœcunditas impedienda eſt. Habuiſſe autem & totas familias ſua certa Sepulcra conſtat ex *Demoſthenis Orat. adverſ. Eubulid.* ubi ait: Ἔθαψε τέτες εἰς τὰ πατρῷα μνήματα: *Sepeliit eos in patriis monumentis*, quæ quotquot è familia ſunt participant. Hinc Sepulcra familiaria Cajo dicuntur, quæ quis ſibi familiæque ſuæ conſtituit. Ubi itaque apud Græcos corpora integra condere cœperunt, HYPOGÆA fuerunt. Omnes itaque mortui in illis HYPOGÆIS in ſua quiſque arca poſiti jacebant: vid. *Tr. noſt. de Luctu Græcor. pag. m.* 155. *edit. Marpurg.*

II. In Græcia de Megarenſibus & Athenienſibus ſcribit *Plutarchus in Solone* his verbis: Terra autem mortuos Megarenſes condunt ad Orientem obverſos; ad occaſum Athenienſes, cui reclamans Hereas Megarenſis ait, Megarenſes quoque cadavera in occaſum verſa collocare. Sic apud *Ælianum libr.* V. *var. hiſtor. cap.* XIV. *pag. m.* 325. legimus, *ut ad occaſum ſpectet*, *ſepeliat.* Et *lib.* VII. *cap.* XIX. *pag. m.* 389. oſtendit, quomodo *Solon Megarenſes* verbis & ſtratagemate vicerit, nempe, reſeratis antiquis monumentis oſtendit, omnes Athenienſes verſus occaſum patrio more jacere: *Megarenſes* vero teme-

temerè & ſine diſcrimine ſepultos eſſe: vid. plur. *Tr. noſtr. de Luctu Græcor. pag. m.* 160. *edit. Marpurgenſ.* De *Lacedæmoniis Plutarch. Lycurg. & Ageſila. Ælian.* VI. 6. *Heraclid.* de *Republ. Lacedæm.* De Thracibus *Herod. lib.* V. 8. Hi & alii populi Græcorum magnam Sepulcrorum curam habuerunt, impium eſſe putantes non inſepultum relinquere. Imò adeò receptus apud Græcos mos & veluti neceſſarius fuit, ut cadavera quamvis ignota in viis reperta mandarentur Sepulturæ, uti pluribus oſtendit *Petrus Moll. in not. & animadverſ. ad Longi Paſtoral. De Daphnide & Chloe, edit. Franequer.* 1660. *pag. m.* 32.

III. Hinc tot & tanta celeberrima monumenta vel Sepulchra apud ipſos extant. In via quæ *Corinthum* ducit, *Laidis* oſtenditur SEPULCRUM, cui leæna inſculpta eſt, prioribus pedibus arietem tenens: vid. *Gerhard.* van Stöcken *Amœnitat. hiſtor. ſ. rerum ſelectar. Centur.* 2. *pag. m.* 669. *edit. Norimberg.* 1658. In ſuburbano agro urbis Tritææ Achæorum, SEPULCRUM viſitur candido lapide exſtructum. In ſella ſedet eximia ſpecie puella, adſiſtit puellæ ancilla cum galerico, & adoleſcentulus plane impubes, tunica amictus & ſupra tunicam punicea chlamyde: ſequitur eum ſervulus cum jaculo venaticos canes ducens: vid. cit. *Gerhard* van Stöcken *Amœnitat. pag.* 676. Homero Sepulcrum ſplendidum exſtructum fuiſſe teſtantur Scriptorum teſtimonia. Eſt præterea inſignis locus 1. *Corinth.* XV. 29. qui de Corinthiorum Sepulcris loqui videtur non paucis, nec iis ignobilibus Interpretibus. De hujus loci interpretatione videantur cl. *M. Daniel. Grade diſſert. de baptiſmo ſuper mortuis. Henric. Muller. diſſ. de baptiſmo ſuper mortuis. Tarnov. Exerc. Bibl. pag.* 645. *Gerhard. T.* 4. *de Bapt. Frider. Muller.* diſſ. de *Sepulcris edit. Giſſ.* ad quos Scriptores Lectores remittimus.

IV. De Sepulcris *Romanorum*, videantur *Munſter.* IV. *Coſmograph.* 4. *f.* 394. *ſeqq. Annot. Philandr. in Vitruv.* 2. *arch.* 8. *p.* 73. *ſeq. Stat.* V. *Sylvar.* I. V. 225. *ſeq. Virgil.* VI. *Æneid. v.* 175. & 212. *ſeq. Kirchman. de funer. Rom.* 2. 22. *pag.* 273. *lib.* III. 15. *p.* 434. *ſeqq. & cap.* XXVII. *pag.* 540. *Henric. Kipping. antiq. Rom. Gyraldum* de vario ritu ſepeliendi variis in locis. Quare his miſſis ad alios Europæ populos progredimur & Sepulchra illorum conſideramus. De Siculis confer. *Cicer.* 5.

Tu-

Tuſcul. 64. *ſeq.* De Scythis *Herodot.* 4. 71. De *Kiovia* lege *Camerar. Hor. ſubciſiv. cent.* 2. 70. *p.* 283. De his itaque populis, ut eo melius de ipſorum moribus conſtet, fuſius paulò agemus. Europæ enim regiones (1) Hiſpania, cujus partes ſunt Bætica, Luſitania, Provincia Tarraconenſis. (2) Gallia, cujus partes ſunt Gallia Tranſalpina & Ciſalpina. Tranſalpinæ partes ſunt (1) Gallia Comata, cujus partes ſunt Aquitanica, Celtica, Belgica. (2) Braccata. (3) Britannia major & minor. (4) Hibernia. (5) Germania ſuperior & inferior. (6) Dania. (7) Norwegia. (8) Suedia. (9) Italia. (10) Pannonia, (11) Illyricum. (12) Græcia. (13) Thracia. (14) Mœſia. (15) Scythia Europæ & (16) Sarmatia Europæa. Hæ regiones iterum in certas dividebantur partes, quarum quælibet certum Sepulcrorum ritum habebat. Quorundam ergò populorum Sepulcra adducemus.

V. Germani cadaveribus combuſtis Sepulcra non pretioſa erigebant, ſed, teſte Tacito, *Sepulcrum ceſpes erat;* imò Regibus etiam ac Principibus non ſplendida mauſolea ex cavato marmore, aut ſculpto affabre ligno, ſed tumulum tantum nudo ſtratum ceſpite erexerunt. Quales tumulos Regum ac Magnatum cadaveribus excitatos, prope veterem Upſaliam conſpici hodie adhuc, Sueci Scriptores memorant. Interdum etiam tumuli corona lapidum, ſilicumque ingentium rudi incultaque arte ſibi invicem incumbentium præcingebantur: qualia Monumenta in *Weſtphalia* & *Drentia Picardus* reperit ac deſcripſit. De horum & aliorum moribus videatur *Paul. Hachenberg. diſſert.* XII. *de re funebr. veter. German. pag. m.* 416. 417. Cum autem Chriſtianiſmum reciperent, mortui veſtiti in arcis ſive capſulis ligneis, quas poſtea Principes in ſtanneas ſive æneas mutarunt, reponebantur, & terræ mandabantur, qui ritus adhuc viget. De *Kioviorum* Sepulcris evolvendus eſt Herbinius, qui elegantem librum de *cryptis Kievienſibus edidit Regiomont.* 1675. De aliorum populorum Sepulcris plura poſſemus adducere, nî opus nimium creſceret. Remittimus tamen curioſos Lectores ad illos Scriptores, qui de his populis libros ediderunt.

VI. Priuſquam autem huic capiti de *Sepulcris Europæ* colophonem addamus, pauca quædam de SEPULCRIS MAGNA-

GNA-

GNATUM per Europam adjicere. Quemadmodum enim Orientales Reges certa ſua Loca vel civitates Sepulturæ deſtinatas habebant; Ita & Reges & Principes Europæ horum veſtigia preſſerunt, & quilibet horum certum ſibi elegit locum Sepulcris ipſorum aptum. *Caſtellæ Veteris Reges* Legione in Hiſpaniis: *Galliæ* Reges in Cœnobio Dionyſiano: Angliæ, ad Londinum totius Angliæ epitomen, in templo Weſtmonaſterienſi, quod Henrici VII. ſacrario maximè celebre eſt: Scotiæ, Burſiæ: *Suecorum Reges*, *Stockholmiæ*: *Danorum*, *Barsholmiæ* & *Roeſchildiæ*. Apud Danos antiquos locus Sepulcrorum erat *Lethræ* in meditullio Selandiæ, non longè ab oppido Roſchildia ſitæ, ubi hodie ab incolis monſtrantur veſtigia & Sepulcra *Haraldi Hylderan.* & Regis *Olai* oſtenduntur diverſa forma exſtructa. *Poloniæ* Reges, *Cracoviæ*: Electores *Saxoniæ*, *Freibergæ*; Palatini, *Heidelbergæ*; Brandenburgici, *Coloniæ ad Suevum*: Duces Auſtriaci, *Viennæ*: Principes & Duces Wurtenbergici, *Tubingæ*, ubi ſplendidiſſima monumenta conſpectui dantur: Megapolitani, *Sverini*: Pomerani, *Wolgaſti*: Holſati, *Sleſvici*, &c. vid. *Melchiorem Junium quæſt. polit.* CIX. Locum Sepulturæ Imperatoriæ certum deſtinatum non reperio, ſcribit *Limnæ. Tom.* I. *lib.* 2. *de jur. publ. cap.* XII. *in fine.* Quod res ipſa docet. *Carolus* enim cognomento *Magnus* & *Otto III. Aquisgrani* tumulati ſunt. *Arnolphus Imperat. Oetingæ. Cunradus I. Fuldæ.* Henricus Auceps, *Quedlinburgi*, *Lotharius II.* in Ducat. Brunſvic. Konigs-Luttir. Nunc ſepulcra in AMERICA ſequi deberent; verum de his inſpiciendus *Camerar. Hor. ſubciſ. cent.* I. *c.* XCVII. *pag.* 458. *& c.* XIV. *pag.* 87.

CAPUT XIII.

De Ornamentis Sepulchrorum internis.

I. Magnatum & Regum Sepulchra non ſolum erant magnifica & admirandæ artis & operis, uti oſtendunt *Hypogæa*. Tale Regum *Judæ* à *Salomone* exſtructum deſcribit *Drexel. in Salom. c.* 15. *§.* I. *& Eraſm. Franciſc. Acerra Exotic. c.* XXXIII. *p.* 461. ubi hic eadem opera *Ægyptiorum Regum*

 quam-

quamplurimis Scriptoribus collatis recenset. *Henrici VIII.* Regis *Angliæ* sumptuosissimum monumentum idem refert *part.* III. *Ocsaub. fol.* 926. Conditorium Imperatoris *Friederici Viennæ ad* D. *Stephan.* laudat Zeiler un Hanebuch *P.* II. *p.* 496. Duces *Saxoniæ* Conditorium quondam suum *Misenæ* ad templum cathedrale habuerunt, unde hodie locus quoque iste Capella Ducum audit visu maximè digna. Ab *Henrico* tamen *Alberti* filio, qui *Anno M.* D. *XLI.* obiit, *Freiberga* fuit substituta, ubi splendissimum conditorium; ita etiam de aliis; sed etiam variis Epitaphiis exornata erant, uti ostendunt hoc Epitaphia Tubingensia, quæ satis splendorem & magnificentiam declarant, quæ in Tract. nostr. de *Donariis* antiquis dedimus.

II. Inter hæc ornamenta non minimam laudem merentur statuæ & columnæ, quibus defunctorum nomina, facta & beneficia inscribebantur, ut diu post fata illorum memoria remaneret. Nec illud veterum institutum improbamus, quo Sepulcris symbola quædam addebant, quibus defuncti virtus aut studium vitæ indicaretur. Sic *Leonidæ* tumulo *Leonem*, *Diogenis canem*, *Laidis Leænam*, *Aristomenis Messenii* & *Platonis aquilam* imposuerunt. *Archimedis* cippo *Sphæræ* figuram & *cylindri* impressam fuisse, testis est *Cicer. Tom.* IV. *Oper. Quæst. Tusc. L.* V. *p.* 259. De pio monumentorum inter Christianos usu, vid. *Cas. conscient. Dunt. c.* XXII. *quæst.* 21. Confer. *Aringh. Rom. subterran.* Similiter *Statuas* erectas fuisse probant Obelisci & *Pyramides Ægyptiorum*, de quibus *Erasmus Francisc. Acerr. Exot. cap.* 32. fuse egit: confer. *Athanas. Kircheri Obelis. Pamphil. edit. Roman.* de his in sequentibus agemus, hoc capite tantum de ornamentis in Sepulcro & loculo contentis dicemus.

III. Quod igitur ad ornamenta Sepulcrorum attinet, varia consideranda veniunt. Nam in loculis vel ligamentis conspicimus cadavera, quæ apud varios populos varie fuerunt ornata. Ægyptiorum ritum circa cadavera si consideremus, tunc illi non tantum unxerunt cadavera, sed etiam linteo purissimo involuta fasciis certa arte circumligarunt, uti hoc ostendit *Athanasius Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntagm.* XIII. *fol. m.* 396. *cap.* III. Exactis septuaginta diebus cadaver, ubi abluerunt, sindone byssina incisis loris involvunt gummi illinen-

nen-

nentes; quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur. Fasciæ hæ, quibus involvebantur, variis hieroglyphicis ornatæ erant, quibus peculiaria vel singularia significabant: vid. cit. *Kircher. Oedip. fol. m.* 421. 422. *seq.* Ita involucra cadaverum hieroglyphicis notata erant: vid. *fol.* 418. 419. imò & ipsa capsula vel loculus, cui imponebatur, vel quo recondebantur, hieroglyphicis prædita erat, uti Burattinus in epistola quadam Italica testatur, quam *Kircher. fol.* 400. citavit, & sequentia verba retulit: *Tutte le casse di questi cadaveri hanno dal capo un Idolo è da piedi un uccello, che pure adoravano nel muro poi sopra cassa, in alcune di queste cave sono delli gieroglifici, &c.* confirmat hoc *Petr. a Valle in Itinerar. suo fol.* 372. cujus verba Italica recitavit *Kircher. fol. m.* 406. in quibus testatur cadaver vestibus seu pannis lini vestitum, auro & gemmis ornatum caputque opertum fuisse: vid. *fol.* 406. 407. Constat hoc quoque ex Mumia Principis Ægyptiaci ante mille octingentos annos, quam D. *David de Wilm* Ordinibus *Hollandiæ* & *West-Frisiæ* dono dedit inscriptione elegantissima, quæ legitur in Collectionibus *Monumentorum Belgii Fœderati edit. Amstel.* 1684. *pag. m.* 165. sequentibus, super thecam sive capsam, in qua hæc reponitur:

VIR EMINENTISSIMUS
VIRTUTIS NITELA ET DOCTRINÆ EXCELLENTIA CULTISSIMUS
PER ORIENTEM ET ÆGYPTUM INFERIOREM
AC SUPERIOREM LONGA PEREGRINATIONE FULGENTISSIMUS,
AD ERUDITIONIS ET ABDITÆ ANTIQUITATIS DECUS EXORNANDUM
STUDIOSISSIMUS
DEDICAVIT MONUMENTUM HOC
VENERANDÆ ÆGYPTIACÆ ANTIQUITATIS,
CORPUS HUMANUM INTEGRUM
MIRANDA ÆGYPTIORUM ARTIFICIOSA
ENCHEIRESI ANTE ANNOS CIↃ CCC.
ET FORTE CIↃ. CIↃ. CIↃ. CONDITUM
CONTRA OMNEM PUTREDINIS INJURIAM
AROMATIBUS ET MULTIPLICI LINTEAMINUM INVOLUCRO
MUNITUM ET IN MUMIAM SOLIDATUM
IN PECTORE HIEROGLYPHICIS NOTIS INSIGNITUM
AC THECÆ LIGNEÆ INCLUSUM.

Extrinſecus collocatus eſt cippus Iſidis effigie inſignitus, ſive operculum loculi Ægyptiaci Mumiam hanc continentis.

IV. Imprimis autem iis cadaveribus, quæ in Mumiam condienda erant, apponebant aut inſerebant effigiem ligneam vel æneam *Oſiridis* vel *Iſidis* linteis multiplicibus involutam, ut indicarent terræ & materiali cauſæ principioque rerum altero (quod per Iſidem denotabant) & Soli; rerumque altero principio & cauſæ efficienti (quam per Oſiridem deſignabant) corpora deberi, utpote à quibus nutrita vegetata & producta ſunt. Plures autem & magis ſpecioſæ inveniuntur in Mumiarum Sepulcris, Iſidis quàm Oſiridis icunculæ; quia potius terræ quam Soli cadavera debentur: Ideoque teſte Plutarcho libr. de Iſide & Oſiride, conſecrata ſimulacra Oſiridis amiculis induta erant ſplendidis nulla variegatione exornatis, &c. Vel ſolebant Mumiis icunculam æneam Oſiridis apponere Ægyptii ſacerdotes, quia exiſtimabant, mortuis imperari Oſiridem, & quod idem ſit, quem Græci & Romani Plutonem & Ditem nuncupant: vid. *Collect. monumentor. Belgii Fœder. edit. Amſtel.* 1684.

V. Græci quoque linteo tenui involvebant corpus defuncti à muliere vel alio amico comparato. Quod linteum fuerit, teſtis eſt *Homerus Iliad.* 18. *fol.* 338. de *Patrocli* funere,

In lectis vero componentes linteo ſubtili texerunt
Ad pedes à capite, deſuper autem veſte albâ.

Plutarchus in *Arato* ad fin. Continuò, inquit, ex Ægæo cadaver veſte albâ in urbem intulerunt *Sicyonii*. Solebant autem in hunc uſum peculiariter texere, ut ait *Penelope* ſua illa tantopere laudata tela, *Odyſſ.* 2. *Homer.* cujus verba ex verſione *Sebaſtiani Caſtalionis* ita ſonant:

Juvenes mei proci, poſtquam mortuus eſt divinus Ulyſſes,
Suſtinete urgentes meas nuptias, donec textum
Perfecero, ne mihi vana fila pereant,
Laërti Heroi Sepulchrale, quando tandem ipſum
Fatum malum tollet aſpera mortis
Ne aliqua me in populo mulierum Achivarum culpet,
Siquidem abſque tegumento jacuerit multa poſſidens.

Pauſanias in Meſſen. l. IV. aſſerit, quod *Meſſenii* optimates ſuos coronatos & candida veſte obvelatos efferant. Id etiam affir-

firmat *Artemidorus lib.* 2. *c.* 3. Plutarchus *Quæst. Roman.* rationem reddit, cur veſtibus albis involverint ſepeliendos, inquiens: *Solum album ſincerum eſt*, & tinctura non imitabile, ac proinde convenit iis, qui ſepeliuntur. Mortuus enim ſimplex quippiam factus eſt impermixtum ac purum. Interim tamen non negandum apud Græcos, mortuos ſplendide ſepultos fuiſſe i. e. veſtibus pretioſiſſimis. Patet hoc ex *Euripide*, qui de *Alceſte* ita canit, cujus verba ex verſione *Philippi Melanchthon. edit. Francof.* 1562. *pag.* 338. recenſebimus:

Poſtquam ſenſit fatalem diem
Adeſſe, fluviali aqua candidum corpus
Lavit, & accipiens ex cedrinis arcis
Veſtem & ornamenta, decore induebatur.

VI. Similem ritum obſervarunt Romani, qui *togis* involverunt mortuos, uti hoc docet *Juvenal. Satyr.* III.

Pars magna Italiæ, ſi verum admittimus, in qua
Nemo togam ſumit niſi mortuus.

Et *Martial. lib.* IX. *Epigram.* LVIII.

Et pallens toga mortui tribulis.

Apulejus *lib.* I. Florid. Nam illic quoque viderat hominem præſidere, hominem depugnare, togam quoque parari & voto & funeri: item pallio cadavera operiri & philoſophos. Ad quem locum *Colvius*: Toga voto paratur cum virilis ſumitur: *funeri*, cum eâ cadaver involvitur. Hinc lucem capit *Paulus Juris-conſultus in L.* XIX. *D.* de in rem verſo: *Filius familias togam emit, mortuo deinde eo pater ignorans & putans ſuam eſſe, dedicavit eam in funus ejus.* Nam togam in funus alicujus dedicare, nihil aliud eſt, quàm in id eam dare, ut eâ mortuus involvatur: vid. *D. Quenſted.* de rit. antiq. ſepeliendi, pag. 88. ubi ſimul monet, quod non omnes eadem toga amicti fuerint mortui, ſed ditiores pretioſiſſimis veſtibus induti fuerint: vid. *Kirchman. de funeribus Roman. pag. m.* 79. 80. *Kipping. de funer. in antiquit. Roman. Goodwin. Antholog. Roman.*

VII. Apud Germanos varius mortuorum veſtitus fuit. Ablutum conditumque aromatibus corpus *candida veſte* induebatur: vide pluribus diſſerentem *Paul. Hachenbergium Profeſſ. quond. Heidelberg. in diſſert.* XX. *de re funebri German.* ubi quoque adfert teſtimonia, quod veſtis hæc in *veſtimentum Monachale*

chale mutatum *pag.* 421. *Prussi* cadaver ablutum aqua calida VESTIBUS ALBIS & CALCEIS indutum collocabant in sella, & quidem erectum, ipsi propinantes: dicentes, EGO TIBI PROPINO: vid. *dissert.* XIII. *pag.* 189. *de funer. veter. Prussor. Christoph. Hartknoch. edit. Francof.* 1679. *Dani* veteres mortuos vestibus pretiosissimis indutos quas habuerunt in tumulos inferebant, quemadmodum de *Norvegiæ* Rege Haquino memorat *Sturlæsonius*: Sepeliverunt Regem cum armatura plena & optimis vestibus: & de *Egillo Eigla*, eum egregiis vestibus indutum ministerio Grimi, tumulo illatum. His vestimentis conspiciendos se in altera vita credidisse, ex Saxone colligimus, apud quem *Hadingus* in ea loca vivus adductus, quæ morienti petenda essent, prætextatos amictosque ostro proceres conspicatur. Ita etiam alii populi vestibus induti dicuntur à Scriptoribus.

VIII. Cadavera quoque coronis & floribus exornata fuisse testatur Anglus *Francisc. Rous in Archæolog. Attic. lib.* V. *c.* 22. *edit. Oxon.* his verbis: *Having thus clothed him with winding sheet and his πέπλα, next they trim'd him with garlands*. Confirmat hoc *Suidas*. Dabantur autem mortuis coronæ, ut vitæ certamine perfunctis. Hunc ritum respiciens *Eustathius* patrem ob mortem filii his verbis introducit: Quomodo te lacrymis coronabo. Exemplum praxeos hujus in *Euripide* videre licet, ubi *Talthybius Hecubam* alloquitur, ut *Astyanaci* hoc præstet, absente matre. Ita etiam eodem Auctore in *Hecuba Talthybius* loquitur, cujus verba ex versione *Melanchthon. pag. m.* 12. hæc sunt: Sed alii eorum mortuam ex manibus frondibus conspergebant. Et in *Troad. pag. m.* 686. Habet enim coronas quemadmodum inferis convenit. Et in funere filiæ *Virginii*, *Halicarnass. lib.* XI. Quare ædibus exsiliebant & mulieres & virgines, casum illum lugentes, atque aliæ flores & coronas in lectum jaciebant. Valde itaque antiquus mos coronandi mortuos, & videtur hæc consuetudo originem traxisse à Græcis, de quo ritu & coronis Græcorum mortuis datis fuse egimus in *Tr. nostr. de Luctu Græcor. pag. m.* 73. 74. 75. *cap.* VII. *edit. Marpurg.* Unde ritus hic adhuc inter Christianos viget, quo defuncti coronis & floribus, inprimis virgines & juvenes, exornantur. Plura de floribus & coronis defun-

defunctis datis recensere nolumus, sed Lectores ad cit. Tr. *Kirchmann. Quensted.* & alios remittimus.

IX. Multis etiam Gentibus usitatum, ut *armillæ*, *annuli* & *clenodia* simul sepelirentur cum cadaveribus. Apud *Danos* antiquos exornabantur variis cadavera clenodiis. *Armillis* nempe; quomodo *Egillus* fratri *Thorolfo* exequias faciens, illati in tumulum manus aureis exornavit armillis, testante *Eglis* Saga, apud *Thomam Bartholin. in Antiquitat. Danic. edit. Hafniens.* 1689. *lib.* 2. *cap.* x. *pag. m.* 500. his verbis: Egillus ad campum prælii contendit, & fratrem suum *Thorolfum* ibidem reperit cæsum. Cadaver ejus sublatum sepulturæ solito more adornavit. Tunc Sepulchrum effoderunt, & in illo *Thorolfum* cum universa sua armatura atque vestibus posuerunt. Egillus prius quam discederet, utramque manum fratris ARMILLIS AUREIS circumdedit. *Soti* cadaver *aureâ armillâ* spoliasse *Hordum*, eamque rapinam acerbe tulisse defunctum, ita memorat *Holmveria* Saga, testante *Bartholino in Antiquit. Danic.* his verbis: Hordus è manu Soti auream armillam abstraxit, quod tantum clenodium erat, ut tàm insignem armillam in Islandiam nunquam delatam esse, traditum sit. Cumque *Sotus* armilla spoliaretur, carmen cecinit:

Hordus me spoliavit
armilla illa egregia
multo minus volui
eam amittere
quam universum
Grani onus (aurum)
hæc fiet
neci
tibi & omnibus
qui eam possident.

Hordus cecinit:
Quamvis scirem
rata futura
omnia verba
bonorum actum destructoris, (Soti)
non tamen
contemptus senex
diutius frueretur
maris igne (auro).

Certe scias, ait Sotus, hanc armillam tibi neci fore, omnibusque possessoribus, nisi possideant fœminæ.

X. Cum autem apud antiquos *Danos* exequiæ alicujus magni viri insignes ducerentur, armillæ feretro præferebantur, uti colligi potest ex præcepto *Hastingi Dani*, qui simulatis exe-

quiis ſuis Lunam urbem, eventu voto reſpondente, capere diſponens, poſt acceptum baptiſmum, mortem ſubitam fingit, & ab Comite & Epiſcopo civitatis, in urbe eum ſepeliri permiſſum eſt, militibus itaque congregatis ordinem celebrandi funeris ſui exponens, & hoc recenſente Dudone S. Quintini Decano mandavit: *Mihi modo facite feretrum, & ſuperponite me quaſi mortuum. Armillas & baltheos fieri ante feretrum facite.* Neque ille ritus Chriſtianos animos offendebat, cum & ARMILLAM capulo ſimul cum defuncto incluſam, ad pios deinde uſus tranſlatam, celebre ſuppeditet exemplum hiſtoria *Hallfrodi*, uti iterum *Bartholin. in Antiq. Danic. pag. m.* 502. 503. recenſet, qui ita loquitur: Hæc clenodia tibi à me donata accipies, trabeam è panno pretioſo, armillam & galeam. His te unquam privari non patere, tecum enim in Eccleſiam inferentur, cum te mortuo includentur capulo, ſi in itinere navali obieris. Halfrodus (cum ex Suecia in Iſlandiam trajiceret, defunctus) capulo incluſus, unà cum cimeliis ipſius trabea armilla & galea in mare projicitur. Cadaver Halfrodi (ab Hebridenſibus repertum) ad templum deportatum, honorificæ traditum eſt ſepulturæ. Calix facta eſt ex armilla: palla altaris ex trabea: candelabrum ex galea.

XI. Romanos nonnunquam ARMILLAS in Sepulchro ſecum inferri voluiſſe, Auctor Scævola in lege Medico XL. *ff.* de auro & argento legato, citata à celeb. *Thoma Bartholin. in lib. de armillis veter. edit. Amſtel.* 1676. *pag. m.* 84. Funerari me arbitrio viri mei volo, & inferri mihi quæcunque ſepulturæ meæ cauſa feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis & viriolas ex ſmaragdis. Quod ad annulos attinet, ſunt, qui dicunt, ſignatorios detractos fuiſſe, nec tumulo injectos fuiſſe, quibus ſe opponit *Kirchmann. lib.* 2. *c.* 20. qui affirmat, ſignatorium annulum eam ob cauſam detractum, ne in pollinctorum manus perveniret; ſed deinde redditum & cum cadavere combuſtum fuiſſe. Quam opinionem merito rejicit celeb. *Thom. Barthol. in Antiquit. Danic. pag. m.* 504. & probat, annulos, exceptô hôc, tumulo injectos & in illo ſepultos fuiſſe. Antiquitus autem conſueviſſe cadavera cum annulis in digito ſepulcris condi, multæ nos admonent hiſto-

riæ,

riæ. Celebris ea inprimis eſt, quam *Plato lib. 2. de Republ.* propoſuit, inquiens: Gygen fuiſſe ferunt mercenarium paſtorem ejus, qui tunc Lydio imperabat: magna autem imbrium tempeſtate exorta, motaque terra, ferunt, terram hiatum feciſſe in ea regione, ubi ille armenta paſcebat. Quæ cum vidiſſet mirabundus, in hiatum deſcendit, conſpexiſſeque & alia quæ fabulantur miranda, & equum æneum concavum, & per feneſtram cadaver in alvo equi animadverterit, majus quidem humana forma, hoc nihil aliud habebat, præter aureum in digito annulum: quo ſublato abiit. Novimus etiam ex *Egeſippo l. 1. c. ult. Ptolemaum* ex Alexandri mortui digito detraxiſſe annulum, quem in concionem protuliſſe ſcribit cl. *Hieronymus Bardius* ante paucos menſes in literis ad *Fortunat. Licetum* datis, quarum meminit in *libr. de annulis Antiquorum cap.* LXIII. *pag. m.* 243. *edit. Bonon.* 1644. quæ hæc ſunt: Oedipus etiam antiquitatum ſtudioſiſſimus mihi ſis quæſo in tenebricoſo annulo aureo, invento in noſtræ ſepulturæ fundamentis, dum de novo conſtrui, & in ampliorem formam educi curarem. Is habet intus has ſic literas deſcriptas, ✠. D. I. A. ✠. D. I. Z. ✠. S. A. B. ✠. Z. ✠. H. G. F. ✠. B. F. R. S. ✠. Z.

XII. Non ignoramus conſuetudinem antiquitus viguiſſe & adhuc vigere, quod nummi aurei, argentei certis characteribus inſigniti poſiti fuerint cum primo lapide inter fundamenta molium, potiſſimum Sacrarum, cujuſmodi ſunt templa & Sepulchra. Cum ergo conſtet, quod priſca gens Bardiorum crucis fuerit ſtudioſiſſima; hinc notis illis, efformatis in aureo annulo, in ſepulcri fundamentis condito, Sanctæ crucis præſidium imploravit, in hanc ſententiam ſolutis & explicatis: *Crux Domini Janverſium Adjutrix: Crux deſtrue inſidias* (o) *Zabuli: Crux ſalva animas Bardiorum: Crux Zelotis: Crux hanc gentem fore: Crux benedicta fuga rebelles Spiritus: Crux Zelare.* Præterea *Bernardino Scardeonio lib. 2. c.* VI. *de Patavinis Antiquitatibus* agenti, Ludovicus Patavinus Cardinalis creatus ab Eugenio IV. Romæ obiit, quo die ſepultus eſt, noctu effracto ſepulcro, cadaver ejus annulo & veſte ſpoliatum eſt; quod ſcil. cognoviſſent fures annulum pretioſiore gemma, veſtemque pariter conſtare pretioſa materia. Fatetur quoque *Fortuna-*

 na-

tunatus Licetus pag. m. 244. sibi ejusmodi annulum à *Comite Jacobo Zabarella* argenteum ostensum fuisse in Sepulcro repertum, quando in hæc erumpit verba: *Dum hæc exararem, ostendit mihi Comes Jacobus Zabarella Patavinus annulum argenteum, inventum anno M. DC. XI. in antiquissima Urna marmorea cineribus plena*, tunc effossa Ateste, municipio Patavino in vico Casalis appellato: cujus annuli superficies interior orbicularis est: in pala fuit imaguncula, propter vetustatem nunc ignorabilis: non ita procul à funda superficies exterior extuberat in duas eminentias triangulares; à quibus ad palam usque characteres vetustate pariter nobis ignobiles visuntur adhuc obscuro vestigio, nempe characterum apparent adhuc tenuia quædam rudimenta. Ex his allatis elucet, quod antiquissimus mos annulos recondendi cum cadaveribus in sepulcris vel urnis.

XIII. Confirmant hoc quoque Scriptores Romanenses. *Romæ* enim in vinea *Santarelli S. Mariam Majorem* inventum est *Cor* alabastrite, diu servatum apud *Hieronymum Brunum de Gualdo Nobilem Vicetinum*, Antiquarum rerum cultorem eximium; apud quem est inventa *Lucerna* vetus unà cum *annulo*, in quo descriptum erat MESSALINA. *Sebastianus Munsterus* etiam in sua descriptione Italiæ *pag.* 148. literis tradit in Sepulcro Mariæ Honorii Imperatoris conjuge reperta fuisse monilia aliaque muliebria ornamenta. Testimoniis probant hoc multi Scriptorum asserentium quod annuli in Sepulcris & Sepulcralibus urnis reperti, quæ adducta leguntur apud *Fortunatum Licetum libr. de annulis Antiq. edit. Bonon. pag. m.* 245. 246. Confirmat hoc quoque de *Danis* antiquis *Bartholinus* in *Antiquitat. Danic. pag m.* 505. *edit. Hafniens.* His & aliis pretiosis clenodiis cadavera in sepulchris ornata fuisse evidentissimum; quare his missis ad alia nos conferimus, & nostra perlustramus tempora, in quibus ferè simile offendimus, ubi sæpissimè pretiosa clenodia cum cadaveribus Principum Sepulcris adduntur, de qua re experientia loquitur.

CAPUT XIV.

De pecunia, armis aliisque rebus consepultis.

I. Non solùm *armillæ* & *annuli* consepeliebantur, sed etiam *aliæ res plurimæ*, quæ Sepulcris injiciebantur, hoc loco considerandæ veniunt. Adeò tenax & pertinax hæret humanis cordibus habendi cupiditas, atque flagrans & vehemens urget mortalium animos rerum suarum amor, ut eas vel post obitum possidere nitantur, secum pretiosissima quæque sepelientes. Hinc Principum consuetudinem eam fuisse legimus, ut vim auri maximam, gemmasque & cimelia, thesaurumque omnem in Sepulchris suis collocarent. Videantur *Balthasar. Bonifac. Rhodigin. Histor. ludicr. lib.* XX. *cap.* III. *pag. m.* 569. 570. *seq. edit. Bruxell.* & *celeb. D. Quensted. in Tract. de sepultura Veter. pag. m.* 333. seq. *edit. Witteberg.* 1660. Romanis quoque hunc ritum usitatum fuisse patet ex *Ulpiani* responso, quod prohibet, quod pecunia cum defunctis non sit condenda. Et vix gentem reperire datur Gentilismi tenebris obcæcatam, quæ non defunctis pecuniarum vim apposuerit, neque de Turcis minus attestatur *Petrus Tudebodus lib.* 3. *de Hierosolymit. itin.* BYSANTIOS AUREOS cum mortuis sepelivisse. Id moris apud Majores inolevisse indicat etiam arguta & perquam faceta Pseudoli impostura apud *Plautum* in *sc.* IV. Is enim servus senem divitem ac tenacem Sepulchrum vetus Metaphoricos appellans, corrasurus ex eo per sycophantiam quampiam argentum, quo scortillum herili filio conciliaret. *Ex hoc*, inquit, *Sepulchro vetere viginti minas effodiam ego hodie.*

II. Testatur hoc quoque *Nicolaus Oresmius Episcop. Tr. de mutation. monet. cap.* 11. inquiens: *Theodoricus Rex Italiæ aurum & argentum, quod more gentium in Sepulchris mortuorum erat reconditum, jussit deponi; & usui monetæ ad utilitatem publicam fecit afferri; dicens, culpæ genus esse inutiliter in abditis relinquere mortuorum, unde sic vita potest sustentari viventium.* Inde ob cupiditatem opum passim fracta Sepulchra, indicat *Isidor. Pelusiot. epist.* 146. *lib.* 2. Effossa etiam è Sepulcris mortuorum orna-

menta docet *D. Hieronym.* inquiens: Solebant juxta antiquum morem aurum & quædam ornamenta vel mulierum vel virorum in Sepulchris condere: hæc quoque frangebat & effodiebat avaritia, ut cœlo & luci proderentur. Verum hanc consuetudinem prohibuerunt *Spartani*, quorum lex fuit: NIHIL CUM MORTUO INHUMETUR. Et apud Athenienses etiam aurum addi mortuis lege vetitum fuit, ut scribit *Cicero 2. de Legib.* conf. *Barthol. Keckerman.* de *Republ. Spartan. fol. m.* 1650. *cap.* XII. *Canon.* 3.

III. Ut autem hæc quarundam Gentium exemplis & testimoniis probemus, Prussos veteres producimus, qui hunc ritum tenacissime exercuerunt, referente *Hartknochio in differt.* XIII. *pag. m.* 193. qui in hæc erumpit verba: Cum denique defunctus erat tumulo inferendus, primo pyræ impositus comburebatur, deinde optimæ quoque vestes rogo injiciebantur, ut & canes venatici, equi, &c. Post hæc omnes, qui funus illud efferebant, NUMMOS injiciebant SEPULCHRO, tanquam viatico mortuum donantes: videatur *Waisfelius fol.* 26. Hæc quæ de Prussis diximus, *Gothis* etiam aliisque *Germanis* fuerunt in usu. Quod enim primo de pretiosis rebus combustis aut Sepulchro illatis diximus, illud *Suecos* itidem factitasse comprobat *Johannes Schefferus*, qui in *Upsalia cap.* XVIII. *pag.* 306. scribit, tempore *Gustavi Adolphi* Regis maximè prope *Upsaliam* cum pretiosis rebus multis, aurea quoque vasa cum NUMMIS fodientes accolæ invenerint. Plura etiam fortassis erui potuisse, nisi Rex religiosissimus spe lucelli cujuscunque quietem defunctorum interpellare vetasset.

IV. Apud Danos hic mos usitatus & frequens fuit, usque dum Christiana religione invecta ille abolitus, docente Saga *Bua*, referente cl. *Bartholino in Antiquit. Danic. pag. m.* 432. *edit. Hafn.* qui ita: *Quoniam Boo baptizatus fuerat, neque idolis unquam sacrificaverat, Helya eum ad australe templi latus sepeliri fecit, nullâ ipsi appositâ pecuniâ.* Antea prodiga erat præpostera hæc in defunctos liberalitas. In rogum, quo *Haraldus Hyldetand Daniæ* Rex crematus, proceres *aurum* & *quodcunque opimum* esset, liberaliter in nutrimentum conjecerunt, *Saxone* scribente. Pecuniæ vim in *Soti* tumulo deprehendit & abstulit *Hordus*, ut in historia ab ipso conscripta legitur. Huc refero, differit

Bar-

Bartholin. pag. 432. *Antiq. Danic.* quod in Sogu af Droplaugar ſonum offendi: *Arneida Ketillum ſalutavit , & indicavit ſe illic carbones inveniſſe. Illi junctim terram effodientes, ſcrinium argento plenum invenerunt.* Sagaciter enim conjecerant , carbones ex pyra fuiſſe , qua mortui cujuſdam cadaver crematum , non ſine *theſauri* adjectione.

V. *Biamenſes* etiam , egentiſſima aliàs natio credita , tumulis honoratiorum in ſylvis exſtructis opum partem inferebant, quæ *Carolo* ejuſque fratri *Gunſteinio* atque TORO *Hundio* ditandis ſuffecerunt , à quibus tumulos dites exſpoliatos hiſtoria *S. Olai* narrat , cujus verba Latina à *Bartholin.* reddita recenſemus: *Cum vero Thorerus , Gunſtenius & Carolus in altum devecti eſſent , concilium nauticum habuerunt. Thorerus tunc interrogavit, an pecuniam acquirere deſiderarent? reſpondebant ſinguli , ſe ad hoc* paratos eſſe , ſi opes facilè acquiri poſſent. Regeſſit Thorerus , pecuniam fortunæ adjumento acquiri quidem poſſe , ſed vix citra periculum. Omnes verò dixerunt, ſe ad ſubeundum periculum paratos eſſe , ſi ſpes prædæ aliqua eſſet. Dixit Thorerus, conſuetudinem ibi eſſe, ut morientibus viris opulentis , relictæ mobiles opes inter mortuum & hæredes ejus dividerentur, adeo ut interdum dimidia pars , vel magis, interdum tertia pars, vel minus, mortuo cederet; hancque pecuniam in ſylvas remotas efferri ; aut quandoque tumulo vel domo operiri debere , argentumque cum pulvere terræ miſcendum eſſe. Juſſit itaque Thorerus , ut ſero diei huic itineri ſe accingerent, ut & quod nemo alterum deſereret , nec quiſquam jubente gubernatore regredi differret. Deinde viris aliquot ad cuſtodiam navium relictis , terram ingreſſi ſunt; ubi primo campus planus, ac deinde ingens ſylva occurrebat, Thorerus primus incedebat , fratres verò (Gunſtenius & Carolus) ultimi. Thorerus juſſit , ut ſine ſtrepitu progrederentur , arboreſque decorticarent , non longius à ſe invicem diſſitas , quàm ut una apud alteram videri poſſet, ut eo facilius eandem viam remetirentur. Deinde in locum quendam ſpatioſum , arboribus vacuum venerunt , in quo ſepimentum quoddam ligneum altitudinis magnæ erectum erat, januam, quæ tum clauſa erat, habens. Sepimentum hoc ligneum quavis nocte ſex è terræ incolis cuſtodire debebant ,

duo quavis tertiâ parte noctis. Cumque *Thorerus* cum suis ad sepimentum veniret, vigiles domum redierant, nec advenerant iis successuri. Thorerus ad sepimentum accedens, cacumini ejus securim impingit, ejusque adjumento adscendens, ad summum tandem pervenit, sepimentumque hoc modo transscendit. Carolus similiter sepimentum ab altero latere transscendit, adeò ut uterque ad portam simul venirent. Claustris deinde ac vectibus remotis, apertâque januâ, socii sepimentum intrarunt, tum Thorerus dixit: Intra hoc sepimentum tumulus extat, auro argento & pulvere terræ sibi invicem admixtis constans, eum accedite, nolite tamen vos ita onerare, ut celerem reditum præda impediat. Deinde tumulum adscendebant & pecuniâ, quantum regere poterant, vestes replebant, comitante simul non exigua pulveris parte, cum pecunia raptim auferretur.

VI. Non absimilis erat *Holgi* tumulus, quem *Edda Mytholog.* LXV. depingit, quam nunc versione *Bartholini* sæpe laudati integram dabimus: *Dicitur Regem quendam Holgum fuisse, à quo Halogia denominata est. Ille pater erat Thorgerdæ Holgabrudæ Holgi filiæ, uterque religiose colebatur. Holgi defuncti tumuli unum stratum erat ex argento, vel auro ipsi oblato: alterum ex terra & lapide. Sic cecinit Skulo Thorsteinii filius:*

Cum gladium
rorarem ante Svoldam acquirendæ pecuniæ
bellacis congessi Holgi
tumuli tectum, annulis.

Porrò cum integra cadavera sepelirentur, sub humeris præsertim & genubus thesauros hujusmodi deponere cura fuit, observante *Stephanio in Saxon. lib.* 3. quam observationem *Grettis* Saga confirmat de Grettero tumulum *Kari* animose intrante tractans: *Sub pedibus*, inquit, *terricolæ arculam invenit argento repletam.* Eò autem id factum conjecturat *Stephanius*, quò tutior esset thesaurus à malis Harpyiarum manibus. Verum hæc *Stephanii* ratio non tanti ponderis est, ut assensum præbeamus. Potius hæc fuit *Septentrionalium*, ut cum his Valhallam opibus introirent, ibi enim se accepturos iterum thesauros, quos injecissent tumulo, putabant. Verum hæc de his dixisse sufficiant. Plura qui legere desiderat, evolvat *Edda* & *Bartholin. Antiquit.*

VII.

VII. Ad arma nos conferimus, quæ ſimul tumulo injecta, qui ritus multis frequens fuit Gentibus, inter quas paucas recenſebimus, ſi prius hanc quæſtionem reſolverimus; an res pretioſas cum defunctis cremandi ſepeliendive conſuetudo ſit probanda? Cui *negando* reſpondemus ob rationes, quas colligere eſt ex *Caſſiodori Epiſt.* IV. 34. in qua Theod. Rex Dudæ Saioni mandat, theſauros in ſepulcris repertos uſui publico deputare. Sic autem ille: Prudentiæ mos eſt, in humanos uſus terris abolita talenta revocare commerciumque viventium non dicere mortuorum: quia & nobis in foſſà pereunt, & illis in nulla parte profutura locantur. Metallorum quippe ambitus ſolatia ſunt hominum. Nam divitis auri vena ſimilis eſt reliquæ terræ, ſi jaceat: uſu creſcit ad pretium: quando & apud vivos ſepulta ſunt, quæ tenacium manibus includuntur. Atque ideò moderata juſſione decernimus, ut illum locum, in quo latere plurima ſuggeruntur, ſub publica teſtificatione convenias: & ſi aurum, ut dicitur, vel argentum fuerit tua indagatione detectum, compendio publico fideliter vindicabis, ita tamen ut abſtineatis manus à cineribus mortuorum. Ædificia tegant cineres, columnæ vel marmora ornent ſepulcra: talenta non teneant, qui commercia vivorum reliquerunt. Aurum enim Sepulcris juſte detrahitur, ubi dominus non habetur: imò culpæ genus eſt, inutiliter abdita relinquere mortuorum, unde ſe vita poteſt ſuſtentare viventium. Non eſt enim cupiditas eripere, quæ nullus ſe Dominus ingemiſcat amiſiſſe. Hæc ille.

VIII. Quid proficit Sepulchrorum ſuperbia? damna ſunt potius viventium, quam ſubſidia mortuorum. Culpandus itaque ritus illorum populorum, qui aurum argentumve cum cadaveribus terræ mandant, uti hodierno adhuc tempore Reges regni *Bene* regionis *Nigritarum* in *Africa* poſt mortem cum auro & argento in flumen immittuntur, ut à nemine inveniri poſſint, teſte *Dappero in deſcript. Africæ pag.* 372. & *Serræ Leonæ* incolæ unà cum aureis ſuis ornamentis ſepeliuntur. Quem ritum è contrario multi nihili habuerunt. *Perſis* certe morem defunctos pretioſe condendi haut uſitatum fuiſſe oſtendit Cyri ſepulcrum ab Alexandro apertum, *Curt.* X. 1. 30. Nec obſtat, quod interdum teſtamento talia fieri juben-

bentur. Cum enim ſanitas mentis vel præcipuè requiratur in teſtatore, ſi teſtamentum facere parat, *l. 2. & 17. ff. de his qui teſt. fac. poſſ.* tales ineptas defunctorum voluntates circa ſepulturam ſervandas *Papinianus* recte negat *l. 113. §. ult. ff. de legat. 1.* Adde *l. 14. §. impenſa. ff. de religioſ. & ſumpt. fun. l. ult. ff. de auro & argent. leg. 4. §. non ſit locus ff. ad L. Jul. pecul.* Quare injuſtum eſſe putamus, ſi aurum & argentum Sepulcris injiciatur, quod aliàs ad conſervandam vitam inſervire potuiſſet. Huic etiam quæſtioni lucem dare poterunt *Kirchman. de funer. & Beſold. claſſ. 2. diſp. 4. th 44. not. 2.* Sed ad alia progrediendum.

IX. Arma quoque & clypeos tumulo injectos fuiſſe *Silius Italicus lib.* x. exhibet, quando ita canit:

Huic citus ad tumulum donataque funera Paulo
Ibat, & hoſtilis lethi jactabat honorem,
Sublimem eduxere pyram, moleſque virenti
Stramine compoſuere toros ſuperaddita dona
Funereum decus expertis, inviſus & enſis
Et clypeus, terrorque modo, atque inſigne ſuperbum
Tum lateri faſces, captæque in Marte ſecures.

Germanis hoc frequens fuiſſe teſtatur *Tacitus cap.* XXVII. 2. inquiens: Struem rogi, nec veſtibus, nec odoribus cumulant. Sua cuique arma, quorundam igni & equus adjicitur. Hos imitati ſunt veteres *Dani*, de quibus multa teſtimonia apud Scriptores Septentrionales occurrunt. Audiamus quæ habeant *Stephani Johannis Stephanii notæ in Saxon. lib.* III. *Hiſtor. Dan. fol. m.* 91. Tumulis verò ſuis non ſolùm cadavera aut cineres inferebant veteres, ſed ARMA, HASTAS, EQUOS, AURUM, ARGENTUM, aliaque defunctis chariſſima Κειμήλια. Nec planè abludit ab eo funerandi ritu, quem deſcribit *Virgil. 2. Æneid.* Et apud *Homerum Elpenoris* umbra Ulyſſem rogat, ut ſe cum armis comburat, *Odyſſ.* λ.

X. Ornamenta verò & varia Κειμήλια tumulis Regum una cum cadaveribus illata fuiſſe, teſtatur hiſtoria Olai Tryggonis Norvegiæ Regis, qui multa Anteceſſorum ſuorum demoliri curavit buſta ac tumulos, ut incluſos theſauros in meliores converteret uſus. Ex quibus grandem ipſum corraſiſſe auri argentique ſummam, relicta loquuntur monumenta. Et

ante

ante annos haut ita multos in tumulo prope *Lethram Selandiæ* magna denariorum argenteorum copia *Urnæ* cum aliis pretiosis inclusa, à rustico quodam reperta est. Ex quibus nonnulli hanc ostendunt ἐπιγραφήν: CNUT REX ANGLOR. Item: ETHELRED REX ANGL. Quem ritum aliis quoque populis frequentem fuisse testantur urnæ inventæ argenteis nummis repletæ. Imò apud Septentrionales moris fuisse refert celeb. *Bartholini in Antiquit. Danic. cap.* VIII. *lib.* 2. *pag. m.* 412. *edit. Hafni.* ut non solum equi, sed etiam calcei lethales consepelirentur. De his & aliis testimoniis legatur *doct. D. Quensted. in lib. de ritu sepeliendi.*

XI. Alii quoque instrumenta, quibus usus in hac vita, tumulo injiciunt, arbitrantes, illis opus habere in altera vita ad sustentationem vitæ. Quem ritum observasse legimus veteres *Prussos*, uti refert celeb. *Hartknoch. diss.* XIII. *de funeribus veterum Prussor. pag. m.* 193. inquiens: Si fœmina erat igne cremanda, COLUS insigne sexus fœminei solebat simul comburi. Si vir Nobilis moritur, arma, equi, servi & ancillæ, vestes, canes venatici, aves rapaces & alia, quæ spectant ad militiam: Si ignobilis, comburebatur id, quod ad officium suum spectabat. Credebant, quod res exustæ cum eis resurgerent & servirent eis sicut prius. Imò panem & lagenam cerevisia plenam ad caput cadaveris in sepulcrum illatum ostendit Johannes Meletius, & ex eo *Hartknoch. pag.* 194. qui evolvatur. Rutheni autem alia signa Sepulchris addebant, ex quibus facile conjicere poterant, qualem professionem vel artem exercuissent in hac vita. Nemo enim ex nudis cadaveribus cognoscere poterat, an nobilis, an ignobilis, an Metropolita, an Episcopus fuisset, nisi signa addita fuissent. Ejusmodi signa nobis exhibet Auctor *Cryptarum Kioviensium Herbinus in elegant. libell. de religios. Kioviens. Crypt. edit. Regiomont.* 1675.

hoc modo: Episcopus hâc notâ significabatur . Erosch. Monach. ⊕. Diaconus A. Clausus . Heros . Konarchister K. Jejunus Π. Thaumaturgus O

gus Ч. Senex C. Laboriosus T. Vel Metropolita ☼. Episcopus ☾. Ihumen 🗡. Sacerdos ❦ ✶. Diacon. Δ. Martyr ✠. Princeps ♁. Pistor Prosphor ㊉. Pictor inaurans З. Afflictus M. Medicus У.

XII. Russos quoque literas commendatitias defuncto dare, ut citissime in cœlum intromittatur, patet ex epistola *D. Conradi Lagi Dantis. Legati* ad illos, quam *mense Febr. Ann.* 1542. *ex Wilda* retulit, & Germanicè versa ita sonat: Daz Reussische Pasport ins Himmelreich/ welches die Reussiche Pfaffen/ einen Jeden Reussen der reich ist und viel gutes darumb gibt/ in das grab fur einen Pasport zu geben Pflegen / auf das er als bald / soo er fur die Pforten des Himmels kompt von St. Peter als den Pfortner eingelassen werde.

Macaria von Gottes gnaden Ertz Bisschof zu Kiofa und Kalitz/ und in gantzen Reussen Lande/ unsern Herrn und Fruind / St. Petre/ einem Pfortner Gottes des Almachtigen.

Wier gebieten dier und zeigen dier an daz in dieser zeit verschieden ist ein diener Gottes / ein Furst Sedor Solodor Mißsckt/ daz du ihn rechtschaffen ohn alle verhinderung und verzug gerecht einlassest in daz reich Gottes wier haben Jhm entlediget von allen sunden/ und Jhm geben die Benedeyung/ und das du in dem entlichen nichts ubertretest auf das Jhm nichts anders geschehe/ haben wier Jhm geben diesen unseren Brief der Absolvierung/ Gegeben in unseren Hogsten Closter Kiofa im Jahr 1541. den 30. Juny. Confer Olearium in der Beschrybung der Muscovitische und Persische Reise *Lib.* III. *Cap.* XXXI. Von bestatigung der Leichen bey den Reussen. Hanc epistolam Latinis verbis expressam reperies quoque apud *D. Quensted. in lib. de Sepultura Veter. pag m.* 367. Quam Episcopus ex singulari privilegio Papæ cuivis sed pecuniis redimenti communicare solet, quamque deinde velut commeatum quendam in Sepulcrum mortuo apponunt. Miramur itaque arrogantiam Papæ, qui non solùm Petro imperare conatur; sed etiam Angelis, uti ex diplomate quodam, quod in Bibliotheca Helmstadiensi reservatur, constat, ubi his verbis sententia exprimitur: Mandamus Angelis, ut hujus animam, quamprimum corpus reliquerit, deportent in sinum

Abra-

Abrahæ: quod MSum sæpe mihi communicatum à *B. Christophoro Schradero Præceptore & Fautore meo post fata etiam venerando.* Verum ne ob prolixitatem molesti simus, finem huic capiti imponimus, & ad externa ornamenta nos conferimus.

CAPUT XV.

De Ornamentis Sepulcrorum externis.

I. Varia quoque externa Sepulcrorum ornamenta apud alios reperimus populos, quorum pauca hîc adducere operæ pretium esse putamus. Inter hæc igitur (1) referimus *statuas*, quas erigere licebat ex *leg.* VII. *Cod. Just. de religios. & sumpt. Funer.* cujus hæc sunt verba: *Statuas sepulcro superimponere, vel monumento, quod a te exstructum profiteris, ornamenta quæ putas superaddere non prohiberis, cum jure suo eorum, quæ minus prohibita sunt, unicuique facultas libera non denegetur.* Hoc itaque Edictum non prohibebat unicuique ponere statuas. Ita parentes liberis, liberi parentibus, discipuli Præceptoribus, Clientes patronis, Liberti & interdum Servi Dominis erigebant, uti ex Inscriptionibus vetustis probare possemus, nisi *Gruterus* in vasto volumine & *Johan. Baptista Ferretio in Musis Lapidar.* hoc fecissent. Id communiter observatum reperimus, ut hæredes quicunque id officium præstarent, nec semper sponte, sed sæpe jussi testamento coacti fuerint, ut statuas cum aliis, tum sibi ponerent, *Paul. l. c. leg. inter* §. *ult. ff. famil. hercisc.* Testamentum Græcis verbis ex tabula marmorea *Venetiis* descriptum, quod hanc rem optime illustrat, exhibet *Gruter. Inscript. p.* CCXVI. Latina hic tantum compendii causa afferemus, prout ibi adjuncta sunt: *Ephoris existentibus Phœbotele, & collegis ejus testamento hæc constituit sciens & intelligens Epicteta Crinni, una cum Domino Hyperide Thrasyleontis F. assentiente quoque filia Epicteta Phœnicis. Utinam mihi liceat salvæ sanæque de bonis meis disponere. Quod si verò humani quidpiam mihi acciderit, relinquo ea juxta præceptum mariti mei Phœnicis, qui & Musejum construxit pro defuncto filio nostro Cratesilocho, & animalia ac statuas, suam ipsius & Cratesilochi, & Heroia intulit, qui-*

que etiam me rogavit, ut Musejum exornem, inque eo collocem tum Musas, tum etiam statuas & Heroia. Exactis verò annis duobus, cum reliquus mihi adhuc filius Andragoras, vitam hanc morte commutaret, præcepit mihi, ut perficerem mandata patris sui Phœnicis, poneremque & pro ipso & pro patre ac fratre suo, tum statuam, tum Heroium. Hoc sufficienter probat *Emundi Figrelii* elegans liber de *statuis illustr. Roman. edit. Holm.* 1656. *cap.* x. *pag. m.* 81. ubi quædam Inscriptiones afferuntur, quæ luculenter hoc ostendunt.

II. Notandum autem hoc loco, quod interdum non proprias tantum statuas posuerint, sed etiam amicorum in Sepulcris, singularis affectus causa. Legitur enim *Ennii* statuam in *Scipionis* monumento positam fuisse ex mandato & jussu P. *Scipionis*, uti *Plin. lib.* VII. 30. refert his verbis: Prior Africanus Q. Ennii statuam suo Sepulcro imponi jussit, &c. vid. *Cic. pro Arch. Plut. Scip. cap.* LI. & *Valer. Max.* VIII. 14. Non solum autem *statua*, sed cum ipsius defuncti effigie ponebatur, uti *Festus* de statua *Ludii* testatur. Quæ verò Sepulcra Statuas ejusmodi non haberent, PAGAS appellabant, uti est in *Glossar. Isidori*: *Pagæ memoriæ sine Idolis.* Cum autem positæ erant, non licebat magis eas revellere, quàm ipsum sepulcrum, quia videlicet erat res religiosa. *Vlpian. Jurisconf. l.* 2. *ff. de sepulc. violat. & Paul. lib.* 1. *sentent. de Sepultur. & lugend.* Qui monumento inscriptos titulos eraserit, vel statuam everterit, vel quid ex eodem traxerit, &c. Sepulcrum violasse dicitur. Sæpe etiam non *hominum* solùm, sed & alia signa imponebantur, eaque vel *Deorum*: de Herm. test. *Cic.* 2. *de LL.* ubi de Sepulcris Atheniensium: *Nec Hermas hos, quos vocant, licebat imponi.* Vel *aliarum rerum* cum *inanimatarum*, tum *animatarum*, puta quæ vitam cujusque studia & mores denotarent. Sic in *Archimed.* Sepulcro posita erat *Sphæra* cum *Cylindro*, teste *Cic.* v. *Tusc.* In *Philagri lapideus corvus* collocatus erat: vid. *Plutarch. in Cic. c.* 36. consule de his *Meursium de funere cap.* XXXI. & *Kirchman. de funer. Rom.*

III. Si verò privatim hoc est domi suæ & intra privatas possessiones statuas ponere vellent privati, id propria & nulla interveniente aliena auctoritate facere poterant. Solenne enim antiquis fuit, ut eos, cum quibus arctior aliqua vitæ

san-

sanguinis aut beneficiorum officiorumque necessitudo intercesserat, sic exprimerent, ut semper eos, quantumvis mortuos aut peregre agentes, in oculis haberent. *Plin. Jun. Epist. lib.* II. Defunctorum imagines domi positæ dolorem nostrum levant. Quemadmodum & hodie moris est, ut pictis imaginibus vultus asservemus eorum, quorum memoriam veneramur & diligimus. De his & speciatim viris doctis Seneca *Epist.* LXXIV. id prodit. Sic itaque conjuges sibi invicem ponebant, Maritus uxori, *Stat. Sylv.* V. uxor Marito, *idem* II. *Sylv. Genethliac. Lucan.* de ejus effigie, quam Polla uxor coluit ipso mortuo: confer. *Hygin. Fabul.* CIV. *Ovid. epist. Heroid. Sil. Ital. lib.* VIII. Ponebant etiam *parentes liberis*, *Plin. Nepos l.* IV. *ep.* 7. & liberi parentibus apud *Statium* III. *Sylv. in lachrym.* Hetrusci, filius statuas patri destinat. Plura qui legere desiderat, evolvat *Figrel. pag.* 85. 86. Hæ statuæ Diis Manibus dedicabantur, uti fuse ostendit citatus *Figrel. pag. m.* 251.

IV. Veteres quoque Sepulcra (II.) *columnis* ornasse constat. Id observatum est à *Servio ad lib.* XI. *Æneid. Virgil.* cujus verba talia sunt: Apud Majores nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur, unde natum est, ut super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnæ. Et huc trahere solent interpretes illud quod *lib.* XI. habetur:

——— fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis opacaque ilice tectum.

Ubi *Ilex* per metonymiam materiæ pro materiato accipitur loco columnæ ex ilice factæ. Sic populus Romanus in honorem Julii Cæsaris Sepulcrum ejus columna lapidis Numidici ornavit: vid. *Sueton. in. vit. Jul. Cæsar. cap.* LXXXV. confer. huc doct. *Faes annot. ad Gyrald. pag.* 204. edit. *Helmst.* Græcis etiam hunc ritum usitatum fuisse ex Lycophrone Poëta constat, qui ita canit:

Ἄγαλμα στήλας τῶν Ἀμυκλαίων τάφων.
Columnas imposuit ornamentum Sepulcrorum Amyclæorum.

Ita etiam *Pindarus od* X. *Nemeonic.* columnam ornamentum Sepulcri appellat. Ex his allatis testimoniis clare elucet, quod non minimum fuerit Sepulcri ornamentum, quando su-

per illo columnæ erigebantur, quæ interdum tam altæ, ut merito mirari liceat. Jesuita Jacobus *Masen. in Palæstra styli Rom. lib.* IV. *cap.* XIX. §. XIII. tradit, columnas *Severi* tanta altitudine eminuisse, ut in Africam navigantes, unde ipse oriundus erat, demortui illic cineres in apice collocatos intueri sua in urna atque adorare potuerint.

V. Ornamentum (III.) fuerunt pyramides, de quibus in hoc libro pluribus egimus. Plura qui legere desiderat, evolvat celeb. *Johann. Faës animadvers. in Gyrald. pag. m.* 206. 207. seq. Non solum autem pyramides, sed etiam (IV.) *Obelisci* erigebantur, quos *Watsonius in Excerptis Tit.* XXXI. *pag.* 37. ita describit: Obelisci sunt columnæ hieroglyphicæ quadriliteræ, sensim versus apicem gracilescentes, & deinde in parvam pyramidem truncatæ. Originem horum cognoscere qui vult, adeat *Athanas. Kircherum*, qui totum de Obeliscis volumen composuit *lib.* I. *c.* VII. *Polydor. Virgil. lib.* III. *de invent. rerum cap.* XI. Ægyptiis originem tribuit *Diodor. Sicul. lib.* I. *Biblioth. histor.* Conf. sæpe laudatus *Faes* in animadvers. qui ex pluribus probatis Scriptoribus plurima testimonia in lucem protulit *pag. m.* 211. 212. Nondum autem in hisce ornamentis Sepulcrorum acquiescebant veteres; sed (V.) etiam *Colossos* Sepulchris imponebant. Hunc Scholiastes Juvenalis ad *Satyr.* VIII. describit, quod sit statua ultra mensuram. Hujusmodi *Colossi* in honorem Imperatorum sunt erecti. Ita *Josephus lib.* I. *Halos. cap.* XVI. colossi ab Herode *Augusto Cæsari* positi mentionem facit.

VI. Ne aliquid omittamus, quæ ad ornamenta externa Sepulcrorum pertinent, observandum, quod (VI.) *Sacella* tumulis imposuerint, qua re singularem pietatem & religionem significare volebant. Sic juxta *Ophelti* Sepulcrum ædicula quædam & ara conspicua fuere, *Pausan. lib.* II. refert: & *Statius lib.* VI. *Thebaid.* idem quoque testatum facit, sic enim ille canit:

Mirum opus accelerasse manus, stat saxea moles
Templum ingens, cineri, rerumque effectus in illa
Ordo docet casus.

Advertit hoc ipsum *Caspar Barthius* in animadvers. ad *Stat. p.* 341. ubi sic ait: Templum seu fanum inædificatum. *Valerii* Sepulcrum similiter erat juxta templum Æsculapii, quemadmodum testatur inscriptio Hispanensis:

Os-

OSSA NOSTRA POSSE MELIUS ADQUIESCERE
QUAM PROPE TEMPLUM ÆSCULAPII.

Sepulchra (VII.) Altaribus ornata fuisse, argumento huic quamplurima loca esse possunt, in quibus hujus rei fides invenitur. Apud *Virgil. lib.* 3. *Æneid.*

——— *stant manibus aræ*
Cæruleis mœstæ vittis atraque cupresso, &c.

Et quibusdam interjectis hæc de ara Sepulchrali occurrunt:

Et geminas causam lacrymis sacraverat aras.

Germanus *Comment. ad Æneid.* VI. *Virgil.* sic advertit: *Aram* Sepulcri dixit, quod non solùm secundum ipsa Sepulchra, sed & in ipsis Sepulcris aras antiqui sternerent, in quibus Diis Manibus Sacra fierent. Ejusmodi aram exhibet *Boissard. Antiquit. Rom. part.* 3. *tab.* LIX. de hac canit *Ovid. lib.* VIII. *Metam.* vid. *Sil. Ital. lib.* XVI. Sic de Sepulcro Scipionis Africani *Seneca Epist.* LXXXVI. refert, quod ara ipsi imposita fuerit. Certum enim est, veteres hujusmodi aras inædificasse Sepulcris, ex hac adducti causa, quia ad aras somnum capiebant, iisdemque velut fanis religiosum cultum deferebant, ex somniis futura ominantes: vid. plur. *Faës in animadvers. ad Gyrald. p.* 202.

VII. Addebant porrò (VIII.) *Epitaphia*, quæ vel prosa vel ligata oratione concipiebantur: vid. D. *Quensted. de Sepultura veter. pag.* 305. *Kirchman. de funer. Roman.* Hunc ritum observarunt tam Græci, quàm Romani. De Græcorum Epitaphiis egimus *in Tract. nostr. de Luctu Græcorum*, qui evolvatur. De Romanorum Epitaphiis evolvantur *Gruter.* in vastissimo *Inscriptionum libro*, *Johann. Baptista Ferretio in Mus. Lapidar. Antiquor. edit. Veron.* 1672. conferantur huc etiam animadvers. celeb. *Johan. Faës ad Gyrald.* qui & Græca & Latina Epitaphia recensuit. Nostra si perlustramus tempora omnibus constat, quod adhuc hodiè in usu sint Epitaphia, uti testantur monumenta in Templis & Cœmiteriis erecta; quare cum omnibus notum hoc, non operæ pretium esse duximus, illorum copiam recensere. Quibus & finem huic secundo imponimus libro.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBRI TERTII
CAPUT I.
De Sepulcris Hebræorum ante diluvium.

I. CUM de Hebræorum Sepulcris occupati ſumus illorumque deſcriptione, ante omnia diſtinguenda eſſe tempora, judicamus. Nam quædam ante-diluviana, quædam poſt-diluviana fuiſſe deprehendimus. Arduum quidem eſt de rebus incertis aliquid certi ſtatuere; jam autem omnia incerta ſunt ante-diluviana, niſi ea, quæ Deus in verbo ſuo revelare voluit; quis igitur audebit aliquid certi ex iis eruere. Quo minus tamen hæc omitterentur, effecit pridem cum animi curioſitas, tum Interpretum quorundam nimia propenſio in allegorias. Elegans eſt de Abelis ſepultura conſultatio in *Mich. Johanſen Tragœd. de Caini fratricidio.* Tragœdia ea eſt omnium Chriſtianorum oculis & auribus digniſſima. Ita verò *Adam* hîc *pag.* 59. loquitur:

Vo iſt min wohl ein raum / dem ich dich an vertraue?
Hier hab ich abermahl zu leid und ſorgen fug.
Soll ich dich liebſter Sohn in laub und gras bedecken?
Da laßen dir viel leicht die Schlangen keine ruh.
Soll ich dich etwan den in einem wald verſtecken?
Da Furcht ich wilde thier. Ich weis nichk was ich thu.
Auf hohe baum und berg iſt rab und geyr zu ſcheuen.
Wo laß ich dich dem wol / da du am beſten ſeyſt?
Wie zeitich Fallt mir ein / des Hochſten billige drawen
Das mier bequemen ohrt zu deiner leichen weiſt
Du wareſt / ſprach er / Erd / und ſolt zur Erden werden:
Wol an ſo kom ich dan des harten zweiffels ab /
Wo kan men beßer Erd / als in den Grabe werden.

II. A primo itaque Satore generis humani *Adamo* initium facimus & quærimus, ubi illius ſepulcrum fuerit? Et ſi veterum opiniones examinemus, dicunt, Sepulcrum Adami in civitate *Arba* fuiſſe, uti non pauci interpretes volunt. Audiamus verba *excerpt. Gemaræ capit.* 1. verſione Latina & commentario nobis data à *Magnific. D. Chriſtophoro Wagenſeilio Hebrai-*

braicarum literarum facile Principe pag. m. 289. אמר רבי יצחק קרית ארבע ארבע זוגות הין אדם והוה אברהם ושרה יצחק ורבקה יעקב ולאה i. e. Uti R. *Isaac* explicat: *Civitatem Arba dici, quia quatuor paria ibidem fuere sepulta, Adam & Eva, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Jacob & Lea.* Quibus verbis prælaudatus celeberrimus Auctor addit *pag. m.* 293. locus desumtus est ex *Erubin fol.* 53. *a.* Fere consonat istis *S. Hieron. in Tradit. in Genes.* scribens: *Dicitur Civitas Arbe, hoc est quatuor, quia ibi Abram & Isac & Jacob conditus est & ipse Princeps humani generis Adam.* Eadem repetit in *libro de Locis Hebraicis & in Paulæ epitaphio.* Aliter *Menasse ben Israel in Concil. Josuæ quæst.* 11. ex *Bereschit Rabba*: *Esta ciudad sellamó* קרית ארבע *Ciudad de quatro, por aver caydo a quatro en suerte.* Hæc doctissimus *Wagenseilius* ex veterum Rabbinorum scriptis recenset, non ut fidem his habeat, sed ostendat, quàm male interdum Rabbini & Hebræorum Doctores sentiant de re aliqua.

III. Paria refert celebr. *Johan. Andreas Quensted. in Tract. de Sepultura veterum edit. Witteberg.* 1660. *pag.* 2. 3. *seq.* cujus verba licet prolixiora recensere non pigebit: Existimat *Hieronymus*, inquit, Hebronem per anticipationem ארבע Arba quatuor, seu civitatem τῶ τεσσαρῶν dictam esse *Gen.* XXIII. 2. à quatuor Patriarchis, *Adamo*, *Abrahamo*, *Isaac* & *Jacobo* ibidem sepultis. Verba ejus in *libro de Locis Hebraic. in Arbah* hæc sunt: *Corruptè in nostris Codicibus Arbah scribitur, cum in Hebræo legatur Arbee i. e. quatuor, eò quod ibi quatuor Patriarchæ, Abraham, Isaac & Jacob sepulti sunt* & *Adam magnus*, ut in *Jesu libro* scriptum est, licet eum quidam in monte *Calvariæ* conditum suspicentur. *Nicolaus Lyranus* eandem fovet sententiam, scil. vocatam esse illam civitatem *Arbæ* propter quatuor jam dictos Patriarchas ibi sepultos cum conjugibus suis, *Eva, Sara, Rebecca & Lea.* Eadem habet statuitque *Alphonsus Tostatus Episc. Abulens. in c.* XXIII. *Genes.* Sententiam hanc confirmat ex *Josuæ c.* XVI. ubi Vulgata habet: *Adam maximus ibi* (Hebrone ceu civitate Arba) *inter Enakim situs est.* Unde *quæst.* X. *ad* h. l. ait *Abulensis*: *Adam maximus i. e. primus homo, qui est maximus, cum sit pater & origo totius speciei, est situs inter Enakim i. e. sepultus fuit in urbe Hebron in terra gigantum. Et iste est verior & communior sensus, quem ferè omnes Catholici tenent*: confer.

Nicol. Lloyd in dictionar. Geograph. in voce Arbe, edit. Genev.

IV. Eadem quoque protulit cl. *Johan. Henric. Heideg. in histor. Patriarch. Exercit.* IV. *pag. m.* 160. cujus verba ita ſonant: *Egeſippus in deſcriptione Terræ Sanctæ*, *Jarchius* & alii commemorarunt, ſepultum eſſe *Adamum* Hebrone, quæ alio nomine vocata fuerit קרית ארבע Kiriath-Arbe, civitas quatuor virorum ibi ſepultorum, *Adami*, *Abrahami*, *Iſaaci*, *Jacobi.* Quod cum de tribus poſterioribus verè dicatur, de *Adamo* etiam conantur probare ex *Joſuæ* XIV. 15. Et Doctores Cabbaliſtici in nomine ישראל *Iſraëlis* obſervant contineri omnes *Hebrone* ſepultos, *Iſaacum*, *Jacobum*, *Saram*, *Rebeccam*, *Adamum*, *Abrahamum*, *Leam.* Verum enim vero hanc ſententiam ut erroneam merito rejicit *celebr. D. Quenſtedius in Tract. de Sepultura veterum edit. Witteberg.* 1660. *pag. m.* 4. his verbis: Verum ſententia illa, *Adamum Ciriath-Arbe* ſepultum fuiſſe, licet propter quorundam Veterum auctoritatem temere rejicienda non ſit, ex adducto tamen loco *Joſuæ* probari nullo modo poteſt. Nam nec in *Hebræo*, nec in *Chaldæo*, nec apud *LXX. Interpp.* verba illa (ibi ſitus eſt) habentur. Et per *Adam* non neceſſario intelligitur hominum primus, ſed homo quidam, & quidem ille, de quo ſermo fuerat, nempe *Arba.* Hæc & alia plura citatus *Quenſtedius* recenſet, ex quibus clare elucet, graviter *Vulgatum* Interpretem erraſſe: vid *pag.* 5.

V. Conſentientes hîc plures adhuc habemus Scriptores, qui hac in re optime cum *Quenſtedio* conveniunt, inter quos cl. *Johannem Chriſtianum Iſingium in exercitat. hiſtorico-Chronolog-Geograph.* & *Philologicis edit. Francofurt. ad Mœn.* 1683. *pag. m.* 36. erudite diſſerentem citamus, cujus verba §. 3. *quæſt.* XXV. hæc ſunt: qui cum de Hebrone verba feciſſet, in hæc erumpit: Obiter hîc, non inconvenienter tamen, notare lubet, circa antiquiorem Hebronis appellationem, quæ exprimitur *Joſ.* XIV. *verſ. ult.* ubi dicitur, eam antea vocatam eſſe קרית ארבע, quod Rabbini in ſuo *Breſchit Rabbah* & cum iis ex parte *Hieronym. in Loc. Hebr.* denominationem hanc magis *Appellativè* explicantes, eam *Kiriath-Arba* i. e. *Urbem quatuor* ſcil. *virorum* nuncupatam velint, quod olim IV. inſignes viri *Aner*, *Eſchle*, *Mamre* & *Abraham* ibi habitarint, quatuor etiam Patriarchæ ibi ſepulti jaceant, utpote *Adam*, *Abraham*, *Iſaac* &

Jacob

Jacob cum IV. ſuis uxoribus. Verum Rabbinicam hanc Etymologiam nos non magni æſtimamus. Cæterum quod ad *Hieronymum* attinet, duo ejus aſſumere placet effata de *Hebrone* urbe, quæ ad minimum dubitationem pariunt rem deterius conſideranti. *Prius* quod in citat. loc. Hebr. dicit, eſt: Hebronem urbem nomen ſortitam eſſe ab uno filiorum *Caleb*, ut legere eſt 1. *Paral.* 2. v. 42. cum contra conſtet, diu ante *Hebronem* hunc *Calebi* nepotem, ita nuncupatam eſſe urbem, ab ipſo Moſe in *Geneſ.* loco, niſi quis effatum hoc ſalvare velit ex uſitata Scripturæ prolepſi & recapitulatione. Deinde illum *Calebi* pronepotem non impoſuiſſe de ſe Hebroni appellationem, argumento eſſe poteſt, quod dicto in loco *verſ.* 21. *Machir* vocetur pater *Gilead*, qui tamen terræ Gilead nomen non impoſuit. *Poſterius Hieronymi* effatum valde dubiæ fidei eſt, quo *Hebrone Adami* conſtituit monumentum, malè reddens verba *Joſ.* XIV. *Adam maximus ibi inter Enakim ſitus eſt.* Quo ipſo uni atque alteri imperitiori anſam dedit opinandi, Adamum monſtroſa & gigantea proceritate à Deo eſſe creatum. Contra fons fluit longe aliter: homo magnus inter Enakim ipſe (Arba) atque ſic vox *Adam* accipienda eſt, non ut nomen proprium, denotans protoplaſtum noſtrum, ſed ut Appellativum, ut ita Kiriath-Arba dicta ſit à quodam homine Enacino Arba dicto.

VI. Ita etiam cl. *Joh. Henric. Hottinger. in notis ad libellum de Cippis Hebraicis edit. Heidelberg.* 1659. ubi auctor ejuſdem libri ita diſſerit: חברון בארץ כנען והיא קרית ארבע שם מערת המכפלה בה קבורים אבות העולם אדם והוה אברהם ושרה יצחק ורבקה יעקוב ולאה i. e. *Chebron, in terra Canaan eſt Kiriath Arba, ubi ſpelunca duplicata, in qua ſepulti Patres Mundi Adam & Eva, Abraham & Sara, Iſaac & Rebecca, Jacob & Lea.* Ad quæ verba citatus *Hottinger. pag. m.* 5. ſequentia (cum prioribus noſtris ſimilia) refert: Sic vulgò, inquit, Auctores veteres, recentiores, Chriſtiani, Judæi. Exiſtimant autem plerique natam eſſe opinionem ex *Joſ.* 14. ubi juxta Vulgatum: Nomen Hebron autem vocabatur Kiriath Arba, Adam maximus inter Enakim ibi ſitus eſt, pro; Nomen autem Hebronis olim erat Kiriath Arbe (i. e. civitas Arbe) homo ille magnus inter Enakim ibi erat. Hinc, inquam, natum errorem inter ipſos

Pontificios quidam asserunt. Vid. *Antibarb. Sixtin. Amam. pag.* 615. &c. Quare etiam *Thomas Fuller. in Pisgah sight of Palestine edit. Londin.* 1650. *fol. m.* 273. *cap.* 13. in hæc prorumpit verba: *But i wonder any should delight in their own wild conjectures, when the text tendereth us a certainty herein assuring us that this Arba (from whon Kiriath-Arba or Hebron was named) was a great man among the Anakims.* Confer. *Henric. Ainsworth. Comment. in Gen.* XIII. *fol. m.* 54. *edit. Londin.* qui eadem confirmat.

VII. Alii tamen reperiuntur, qui Sepulcrum *Adami* in alio quærunt loco, nempe in Golgatha seu Calvariæ monte. Audiamus iterum prælaudatum *Quenstedium pag.* 3. de Sepultura veterum ita disserentem: Alii, inquit, humani generis parentem circa *Calvariæ* montem, in quo Salus nostra crucem passa est, non sine ingenti mysterio reconditum esse arbitrantur, ut *Augustin. serm.* 71. *de tempore.* Spectant huc etiam verba illius in *quæst. super Genes.* ubi inquit: Ubi sepelienda erant cadavera Patriarcharum significantia peccatum, nisi in ea terra, ubi ille postea crucifixus est, cujus sanguine facta est remissio peccatorum. *Cyprian. serm. de resurrect. Christi, Athanas. de passione Salvatoris, Ambros. lib.* 5. *Epist.* 19. *Origenes tract.* 35. *in Matth. Theophylact. in Joh. c.* 19. *Chrysost. hom.* 84. *in Johann. Epiphan. hæres.* 46. *Basil. in Esai. c.* V. *& ipse Hieronymus in Paulæ ad Marcell. epist. qui tamen* in *Matth. c.* 27. Favorabilis, inquit, opinio (scil. de *Calvaria Adami in Golgatha* sepulti) & mulciens aurem populi, nec tamen vera. Prolixe etiam ex Patribus hanc opinionem illustrat *Hispanus Johannes de Carthagena lib.* X. *homil.* XXI. *de acerbissima passione Christi pag. m.* 577. 578. ubi quidem multa more Pontificiorum absurda profert, testimonia tamen Patrum sincere recenset. Dicit enim Calvariam montem dictum à calvaria *Adami*, quod falsum esse deprehendimus. Sed audiamus Patrum testimonia, quæ citatus Auctor in medium profert, asserens: ita *Athanas. sermone de cruce domini*, cujus verba hæc sunt: Non alibi patitur, neque in alio loco crucifigitur, quàm in Calvariæ loco, quem Magister Hebræorum dicit esse sedem sepulchri Adæ, ibi enim post maledictionem eum humatum esse asseverat. Deinde S. Basilius in *c.* V. *Esaiæ:* Obtinuit fama quædam in Ecclesia memo-

riam

riam conservans, non quidem scripto proditam, quæ talis est, quod prima utique Judæa hominem habebat accolam, nimirum Adam simul atque excidit deliciis Paradisi in hac terra collocatum ad mitigandam jacturam bonorum, quibus fuerat exutus. Prima igitur etiam mortuum hominem excepit, qui & illic eam, cui addictus erat, sententiam condemnationis plene est executus. Itaque insolens ac novum videbatur illius ætatis hominibus spectaculum, os capitis defluente carne nudum: ac illi recondentes cranium, loco illi indiderunt Cranium, i. e. Calvariam. Addit Origenes *tract.* 35. *in Matth.* Locus Calvariæ dicitur non qualemcunque dispensationem habere, ut illic, qui pro hominibus fuerat moriturus, moreretur. Venit ad me traditio quædam talis, quod corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, ubi crucifixus est Christus. Adjicit *Origenes* causam hujus: Ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur, & in loco illo, qui dicitur Calvariæ locus, i. e. locus capitis, caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Salvatoris, qui ibi passus. Unde *Tertullianus lib*. 2. *contr. Marc.* loquens de Golgatha:

Os magnum hic veteres nostri docuere repertum,
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.

Accedit ad hæc insigne testimon. D. *Augustin. serm.* 71. *de temp.* Idem habet *Augustin. sermon. de Oblat. Isaac. serm.* 71. *in fi. tom.* 10. *Cyprian. serm. de resurrect. Dom. in initio.* Eidem sententiæ adstipulantur *Anastasius Sionita l.* 7. *contemp. in Hexam. Theophylact. in cap.* XXII. *Matth. German. in Theoria veter. Ecclesf. Chrysostom. hom.* 14. *Baronius*, aliique. Hæc ex Patribus hactenus bene recensuit prædictus Hispanus Johannes de Carthagena.

VIII. Verum in sequentibus illorum sententiam apprehendit, quam in §. VI. rejecimus, asserens, Adamum illum esse, qui inter filios *Enakim* sepultus, confirmatque Adamum ibi nomen esse personale non commune, quod etiam asseruimus, quando scil. de homine quodam magno ibi sepulto intelligitur, non autem si de Adamo primo satore intelligatur, in quo fallitur Auctor, licet plurima testimonia coacervaverit, quæ nihil probant, uti pluribus demonstravit cl. *Johan. Christoph.*

Ising. loco ſupra citato. Non ſolum autem Patres ex pia intentione ſtatuerunt, Adamum in monte Golgatha ſepultum; ſed etiam multi Noſtratium. Sufficiat unum tantum teſtimonium adduxiſſe, quod nobis ſubminiſtrat Anglus doctiſſimus *Gr. Williams* in libro vocato *the beſt Religion, ubi fol. m.* 912. *edit. Londin.* ita literis tradit: *And then placing the ſame in Golgatha, which was the place where Adam was buried (as S. Ambroſe thinketh l. 5. ep. 19.) they nayled and faſtened Chriſt unto it, upon that very day of the weeke that Adam was created; and (ar is thought) he was hanged upon this Three, upon the ſame very houre of the day as Adam did eate of the for bidden tree.* Imò quidam ſunt, qui aſſerunt, *Adamum* in duobus locis ſepultum eſſe, uti in *Chronicis* ſcribit *Honorius Auguſtodunenſis.* Et primo quidem *Cariath-Arbæ*, deinde verò in monte *Calvariæ.* Memoriæ enim tradidit *Jacobus Edeſſenus* Sancti *Ephrem* præceptor (referente *Maſio Comment. in ult. cap. Joſuæ*) Noemum primi patris oſſa religioſè in arcam intuliſſe, & poſt ſiccatum ex aquarum eluvione terrarum orbem, cum ipſo terrarum orbe oſſa quoque illa filiis diviſiſſe, & quem præ cæteris diligebat; *Semo* calvariam dediſſe, cumque calvaria, terrarum partem, quam poſtea Judæam nuncuparunt. Affirmat hoc quoque *Richard. Montacutius in Annal. Eccleſ. Tom. 2. fol. m.* 392. *edit. Londin.* ita ſcribens: *Et certe ſi Sethum ſepultum fuiſſe in valle Joſaphat verum ſit, cujus ſepulchrum ibi inventum ſcribit Johannes à Leydis, veriſimile eſſe poteſt Adamum in vicino Calvariæ ſepultum.* Et paucis interjectis lineis, aſſerit: *Si vera ſunt, quæ narrantur, Adamum bis ſepultum, ut & Joſephum, primo apud Hebron: deinde tranſlatum per Noachum in montem Calvariæ, cum propheticè prævideret Chriſtum Dominum ibi olim crucifigendum. Ibi & Jacobum obdormiviſſe volunt, ſuppoſito capiti lapide, & volunt locum* λιθόστρωτον *appellatum.* Explicant & exornant hanc opinionem *Delrius* in *B. Virginis panegyric.* 7. & *Villalpand. in Hieroſolym. Urb. apparat. lib.* 1. *c.* 9. Ex his iterum pateret, Calvariam montem dici à calvaria Adami, id quod doctus Angl. *Thomas Fuller. in Piſgah-ſight of Paleſtin. fol. m.* 344. *in the deſcription of Jeruſalem cap.* 12. refellit his verbis: *The mount Calvary that is a place of a ſkil is called either from the faſhion thereof, becauſe that hill was rounded up in the form of a mans head,*

head, *or because mens bones were scattered therea bouts*. Conf. *Suicer. Thesaur. Tom. 2. fol.* 155.

IX. Quamvis igitur SS. Patrum auctoritas magna, qua nixi plurimi Doctores asserentes, *Calvariam* montem à calvaria *Adami* dictum, quod ibi sepultum, imo ipse Adam ibi conditus fuerit; attamen vix huic sententiæ calculum adjicimus, sed asserimus, quod quidam sepulcrum Adami frustra in Kiriath-Arba quæsiverint, de qua re evolvatur D. *Quensted. de Sepultura veterum c.* 1. *pag.* 2. seq. confer. *Hotting. annot. ad tract. de Cippis Hebr. Johan. Lightfoot Chorograph. c.* 49. *pag.* 93. *edit. Lips.* 1684. *Drusius annot. ad h. locum*, nimiam & facilem credulitatem miratur Sanctorum Patrum. Nec in *Golgatha* quærendum *Adami* Sepulchrum, uti ad oculum monstrarunt B. *Gerhard. Harm. Evangelist. c.* 197. *f.* 197. confer. *Torniell. annal. ad A. M.* 930. *n.* 4. *Salian. Annal. ad A. M. cit. n.* 7. *B. Gerhard. in Genes.* XXIII. 2. *q.* 3. *pag.* 456. Si igitur conjecturare licet ex situ Paradisi, quem bene descripsit *Huetius in lib. de Paradiso*, dicimus Adami Sepulcrum nec in *Kiriath-Arba*, nec in *Golgatha*, sed eo in loco fuisse, ubi post ejectionem è Paradiso habitavit. Probabile autem est, quod non procul ab ipso sepultus fuerit. Jam autem si aliquid probabiliter dicendum foret, statueremus cum *Pelargo*, *Gesnero* & aliis, tractum illum Orientalem fuisse circa *Babylonem* urbem, quod etiam vult *Huetius*, ita ut *Cain* habitaret versus orientem, Adamus versus occidentem Paradiso existente in eorum medio. *Seldenus in prolegom. c.* 3. *de Diis Syris pag. m.* 45. ex MSo Arabico refert quod Sepulcrum *Adami* fuerit in monte, ubi familia *Sethi* habitaverit. A quo autem sepultus fuit variant Hebræorum Scriptores. Funus curatum à *Setho* in *Juchasin*, ab *Enocho* in *Seder Olam* scriptum reperimus. Ab ipso verò Deo censuit *Rabbi Rachumai* terræ matri corpus mandatum. Penes quos fides esto.

CAPUT

CAPUT II.

De Sepulcrorum Hebræorum discrimine, & quidem inventorum & nocentium.

I. Cum vero Sepulcra Judæorum non unius generis fuerint, hinc ante omnia dispiciendum erit, quomodo illa distinguamus. Doctissimus Anglus *Johannes Lightfoot in Chorograph. cap. c. pag. m.* 170. *edit. Lips.* observat, Sepulchra quædam extraordinaria fuisse i. e. quoad locum situs ut (1.) קבר הנמצא *Sepulcrum inventum*: *Babyl. Sanhedr. fol.* 47. 2. & *Hieros. Nedarim fol.* 57. 4. i. e. cum sepeliretur in agro cujusvis, eo nesciente; at tandem detegitur sepulcrum. Vel uti interpretatur *Fridericus Muller. in diss. de sepulcr. lib.* 3. *c.* 2. cum cadaver in agro detegitur ibi inscio Domino defossum. (2.) קבר מזיק את הרבים *Sepulcrum publicè nocens* i. e. effossum juxta locum publicæ ambulationis aut itinerationis; à cujus vicinitate contrahitur pollutio à prætereuntibus; vel ut cl. Muller. loquitur: cum cadaver propter viam publicam defossum, polluit transeuntes. Tenendum itaque hoc loco est, Sepulcra locumque omnem, ubi defuncti hominis cadaver jacebat, apud Hebræos polluisse, idque ex instituto Legis divinæ, quam consignatam literis exhibet Moses *Num.* XIX. 16. כל אשר יגע על פני השדה בחלל חרב או במת או בעצם אדם בקבר יטמא שבעת ימים i. e. *Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus.*

II. Ut igitur discrimen horum Sepulcrorum recte intelligamus, prius sepulcrum dicitur קבר הנמצא à radice מָצָא unde נמצא invenit, quod casu seu fortuito fit: vid. *Buxtorff. Lexic. Rabbino-Talmudic. fol.* 1239. & dicitur de iis, circa quæ diu occupamur, ut inveniamus, uti venator feras invenit: vid B. *Geir. comment. in Psal.* XXXVI. *pag. m.* 632. *edit.* 4to. Hinc usurpatur etiam de iis, qui magno labore agrum fodiunt, & nesciunt, an Sepulcrum lateat. Cum autem invenerint præter opinionem, Sepulcrum inventum appellatur. Et hoc extraordinarium

rium erat, quia Judæi Sepulcra ſua ſigno ſignabant, ne aliquis imprudens accederet, & ſe pollueret. In hujuſmodi ſpeluncis abdita plerumque latebant privatorum hominum Sepulcra, quæ primo intuitu ab omnibus cognoſci non poterant; unde accidebat, ut ejuſmodi Sepulcra in agris vel aliis locis invenirentur. Ad hujus generis Sepulcra, ut & ad quævis loca, quæ ὕπȣλόν τι ex cadavere hominis demortui fovere credebantur, deſignatio requirebatur, uti colligitur ex *Gemariſtarum* in *Codic. Moed Katon fol.* ח. 2. *edit. Amſtel.* verbis: cujus verba Latina ex verſione cl. *Johann. Chriſtoph. Roſteuſcheri* recitabimus ſequentibus verbis: *Non ſignabant, quæ manifeſta erant (cum perſpectiſſimum eſſet latere ibi immundum, & in confeſſo non deferre illuc locorum res mundas, Gloſſa) ſignabant verò dubia.*

III. Licet autem nullum ſepulcrum in agro vel alio loco lateret, & tamen adeſſent ſigna dubia, quæ ſepulcrum indicare credebant, ſibi valde cavebant, ne ex improviſo accederent & ſepulcrum invenirent. Inter hæc dubia referebantur (1.) arbor ſuper terram expanſa, quæ juxta viam ad cœmeterium tendentem ſita eſt, uti *Gemariſtæ ad Codic. Niddah* aſſerunt. (2.) lapides grandiores in pariete prominentes, ſub quibus ſepulcrum latet, uti *in Miſch. Cod. Oholot cap.* 8. §. 2. *fol.* נג. *col.* 2. habetur. (3.) locus expanſionis, ſive ager immundus, cujus ſæpe fit mentio in *Talmud. Codd. Ketubbot f.* כח. *Erubin fol.* ל. *Peſachim fol.* צב. *& alibi* paſſim. Unde neceſſe erat, ut duo priora ſigno notarentur, quandoquidem dubitandum erat utrum immunditieſ ſub illis eſſet, an verò non. Si autem accideret, quod ſepulcrum ſub his ſignis inveniretur, non *inventum ſepulcrum* putabatur, quia ex ſigno conjecturare poterant, immunditiem latere; ſed illud demum *ſepulcrum inventum* æſtimabatur, cum cadaver in agro defoſſum inſcio Domino, nec ſigno dubio addito, detegeretur.

IV. Quod ad alterum nempe *ſepulcrum publice nocens* attinet, quod prope viam effoſſum erat, tunc illud prætereuntes polluebat & immundos reddebat juxta legem §. 1. citatam Scripturæ: *Si quis in agro tetigerit cadaver occiſi hominis*, h. e. teſte *Ainſworthio Comment. in Num.* XIX. *fol. m.* 122. *in the open field where nottent is, there pollution is by touching alone.* In agro vel cam-

po, ubi viatores ambulabant & iter faciebant, & extra tentoria ultro citroque commeabant. Si itaque hic tetigerit cadaver hominis *occiſi* vel gladio vel alio inſtrumento, immundus eſt. Imò Targum Jonathan addit; ſi tetigerit gladium, quo occiſus eſt, pollutus eſt, quia juxta Canones Hebræorum gladius ut cadaver occiſi hominis æſtimatur, *Maimon. in Tumath meth c.* 5. *ſ.* 3. Cum autem pollutionis ex defuncti hominis cadavere oriundæ triplex daretur modus, & immundities iſta contraheretur במגע באהל ובמשא *attactu*, in *tentorio* & denique *portatione*; hinc ſola *attactione* homo ſe polluebat.

V. Cum ergo cadaver hominis mortui pollueret, merito cauſam quærimus, quam reddere dubii ſunt Hebræorum Doctores, & ſibimet ipſis non conſtant ex quo fonte deducere rationem velint. Omnes quidem dicunt, omnium pollutionum graviſſimam eam eſſe, quæ ob mortuum hominem fieret; ſed rationem variam fingunt. R. *Abarbanel in Levit. fol.* רנט. ſcribit עקר הטומאה eſſe המת בגוף הנפש ערוב. R. *Becchai in Legem fol.* קפו. *col.* 2. eam proficiſci ait è virtute mortifera. *R. Moſes Alſchech in Torath Moſcheh fol.* קצח. 2. ad inquinamentum ſerpentis reſpiciens ad locum in *Cod. Jom. fol.* כח. 2. provocat, à quo ut mortem ipſam ita etiam immunditiem ex mortui hominis cadavere reſultantem oriri tradit. Alii hanc immunditiem רוחות הטומאה *Spiritibus immundis* attribuunt, è quorum numero *Tobias Levi* in Commentario, quem חן טוב vocat, *fol.* רנט. 3. ſequentem in modum diſſerens, cujus verba prolixiora ex verſione cl. *Joh. Chriſtophor. Roſteuſcher. in diſſert. de Sepulcris calce notatis* recitabimus: *Modus pollutionis*, ait, provenit è viribus exterorum קליפות (quo nomine Cabbaliſtas notare Spiritus impuros, & omnia quæ extra ſanctitatem ſunt, obſervat *Auctor Kabbalæ denudatæ part.* 1. *p.* 674.) uti *D. n. l. m.* ajunt: Unde ſunt genua Doctorum defeſſa? à fricatione illorum (ita enim explicantur verba in Gloſſà ordinaria ad Gemaram, è qua hæc deprompta *Cod. Beracot fol.* ו. 1. *lin.* 10. כאין המזיקים וישבין אצלם ומתחככים בהם) Unde etiam attritæ Doctorum veſtes? (vid. *itiner. Raſchi*) à fricatione eorundem. Cum enim non poſſint attingere corpora illorum, veſtimentis eorum adhærent, ut voluptatem inde percipiant. Ecce, quamdiu homo vivit, nihil quicquam in corpore ejus poſſunt

att in-

attingere perſtringente oculos eorum luce animæ...... à cujus diſceſſu gaudent adhærere inſtrumento quo ante (anima) uſa fuit ſanctiſſime, è cujus lumine remanſerunt ſcintillæ quædam, propter quas accedunt & in cadavere reſident: Ex quo deinde conſequitur illa pollutio ob hominem mortuum.

VI. Aliam rationem vel cauſam profert R. *Menachem* in *Num.* XIX. qui immunditiem hanc *Angelo mortis* adſcribit, cujus verba ab *Ainſworthio Comment. in Num. fol. m.* 122. *edit. Londin.* Anglicè tradita ita ſonant: *The cauſe of the uncleanes of the dead is by meanes of the Angel of death (the devill) that brought poiſon into men.* Et hæc ſententia propius accedit ad genuinam interpretationem Scripturæ N. Teſtamenti. Nonne hæc pollutio fructum & effectum peccati oſtendit, mortem cauſantis, *Rom.* VI. 23. Præfigurabatur hac re ſtatus horum, qui mortui ſunt in peccatis, qui mortui, cum adhuc vivunt, *Coloſſ.* 2. 13. 1. *Tim.* 5. 6. Sepulcrum patens enim eſt guttur eorum, *Pſal.* V. 10. ita ut eorum verba corrupta & opera mala & peccaminoſa alios infectent, 2. *Tim.* 2. 17. 18. 1. *Cor.* V. 6. Ita etiam explicat *Martin. de Roa in ſingular. lib.* VI. *pag. m.* 527. Tu vero ejuſmodi homines non minus tetros atque horribiles, quam ſunt mortui, diligenter fugito, ne tetri aliquid haurias, aut corruptus te circumfuſus aër inficiat. Hinc tu intelligas illud Regii Vatis, cum de ejuſmodi loquitur hominibus *Pſalm.* V. quia iſti ſunt, qui mortuorum oſſa effodiunt: dum ne mortuis parcunt. Hanc ob cauſam Plutarchus de his: Velut urbes portas quaſdam habent infeſtas & ſiniſtri ominis.

VII. Viſâ cauſâ pollutionis, quæ à corporibus defunctorum hominum attrahitur, ulterius quærimus, utrum omnia cadavera hominum defunctorum polluant, de quibus Scriptura nullum diſcrimen facit *Num.* XIX. abſolute & in genere dicit: Si quis cadaver hominis mortui tetigerit. Nullum hîc cadaver excipitur ſive ſit Gentilis ſive Judæi, quamvis aliquod diſcrimen Hebræorum Doctores ſibi contra Scripturam fingant, aſſerentes, Gentilium cadavera hîc excipi: de quibus paulo poſt acturi ſumus, ſi prius quædam de Sepulcris dixiſſe licuerit, de quibus Scriptura: ſi quis tetigerit Sepulcrum, in quo ſitus defunctus conditus fuerit, ſive Judæus ſive Gentilis.

Hîc iterum Scriptura de omnibus loquitur, nullaque ſepulcra excipit, ſed omnia polluere aſſerit. Audiamus hîc *Maimonidem in Tumath meth c. 2. ſ. 15. 16.* loquentem, cujus verba ab *Ainſworthio Comment. in Num.* XIX. *fol. m.* 122. Anglice referuntur & hæc ſunt: *A grave all the while that uncleanes is within it, defileth by touching and by tent, as doth the dead perſon, by the ſentence of the law, Num.* 19. 16. *And whether one touch the top of a grave is plowed up, and the bones of the dead are conſumed into duſt, that duſt defileth by touching and by bearing.* i. e. *Sepulcrum cui immunditie adhuc ineſt, polluit per attactum & per tentorium, uti etiam cadaver defuncti hominis juxta ſententiam legis Num.* 19. 16. *Sive quis nunc tangat ſummum ſeu verticem ſepulcri, quod arando diſperſum, & oſſa & cadavera in pulverem redacta, attamen pulvis polluit per attactum & portationem.*

VIII. Et licet hæc clarè in Scriptura extent, attamen Rabbini hîc nimis ſcrupuloſi ſunt, dicentes diſcrimen aliquod eſſe inter ſepulcra & cadavera Gentilium, & inter ſepulcra & cadavera Judæorum. Gentilium enim cadavera uti non niſi *attactu* & *portatione* polluere aſſerunt: ita etiam ſepulcra à pollutione tentorii excipiunt Hebræi. Luculenta ſunt verba *Maimonid. in Hilc. Ebel. c.* 3. *fol.* רעו. 2. *Tom.* 4. אין הגוים מטמאין באוהל לפי כך קברותיהם טהורים ומותר לכהן ליסנס לשם ולדרוך על קברותיהם וא יגו אסור אלא שיגע בטומאה או שישאנה *Gentiles non polluebant per tentorium, propterea etiam ſepulcra eorum judicabantur munda, licitumque erat Sacerdoti illuc accedere, & ſuper ſepulcra ipſorum ingredi, nec prohibebatur, niſi ut ne immundum contingeret portaretve.* Quam anxie Sacerdotes immunditiem & pollutionem à ſepulcris vel cadaveribus contractam vitarint, patet ex illo: Cum enim vacca rufa comburi deberet, via ex templo ad montem Olivarum curanda & paranda erat; comburebatur quippe extra caſtra & Hieroſolyma in loco excelſo ab oſſibus, cadaveribus & ſepulcris quantum fieri poterat remotiori. Non via ordinaria ad locum iſtum pergebatur, ne in via iſta, *Sepulchra* occurrerent, quæ ſacram ceremoniam & totum cultum iſtum polluerent & contaminarent. Via nova peculiaris ſternebatur, agger novus denſabatur & attollebatur, arcus & fornices ſternebantur,

bantur, fornicibus & arcubus iſtis alii arcus & fornices ſuperædificabantur, ut tranſeunte vacca, & comitantibus Summo Sacerdote & aliis Sacri iſtius miniſtris, ne vel minima ſuſpicio ſubeſſe poſſet, *cadaveris*, vel *ſepulchri*, vel *minimi oſſis mortui* contacti vel alliſi. Ex quibus ſatis elucet Sacerdotes cadavera & ſepulcra fugiſſe Judæorum, quia polluebant; ſed cur non etiam Gentilium?

IX. Rationem cur hoc faciant excogitarunt hanc, ſed imbecillem, uti patet ex *Sohar* antiquiſſimo Hebræorum libro, in quo *fol.* ג. *col.* קצט. Edit. Lublin. ſequentia leguntur, cujus Hebraica Latino ſtylo ita ſonant: Accede & vide, quidnam interſit inter Iſraëlitam & Idololatram (per hunc omnes Gentiles intelligunt). Iſraëlita, cum quis mortuus deprehenditur, contaminatur in quavis domo, & corpus (defuncti ſcil. Iſraëlitæ) polluit. At Idololatra non contaminatur alio, neque ipſe, cum vita functus eſt, polluit. Quodnam hujus rei fundamentum eſt? Ab Iſraëlita ea hora, quâ fatis conceſſit, tolluntur omnes ſanctitates luminis ejus, ſeparatur ab eo imago ſancta, ſecedit ab eo Spiritus S. Quando autem ſanctitates luminis ejus ab eo ſublatæ ſunt, cadaver polluit. At Idololatra non item. Ipſe in vita ſua polluit, omnibus immunditiei lateribus, imago enim ejus polluit Spiritus ejus, &, quandoquidem immundities in corpore ejus reſidet, polluit ipſe in totum, vetitumque eſt appropinquare ad eum. Simulac autem vita exceſſit, ſecedit quoque ab eo omnis iſthæc immundities, deprehenditurque cadaver expers immunditiei, neque contaminat. Etiamſi enim corpus eorum tam vitale, quàm mortuum polluat, quandoquidem tamen, cum adhuc in vivis ſunt, omne immunditiei genus apud eos reperitur, contaminant eum, qui ad eos propius accedit, at mortui, quoniam quæ polluebant ab eis omnia diſceſſerunt, nequeunt inquinare alium. Sed quàm imbellis hæc ſit ratio, quivis facile videre poterit. Nam quale diſcrimen inter Judæum & Gentilem? nullum. Omnes peccatores ſunt & immunditie pleni: Hinc ratio, qua ex Scriptura huic aſſerto colorem addere conantur, nullius eſt momenti, cum ex *Ezech.* xxxiv. probare velint, Judæos tantum homines, extraneos non dici homines. Sed quiſquiliæ Hebræorum ſunt, & diſtinctio hæc nihili æſtimanda.

CAPUT III.

De Sepulchris Hebræorum Vulgaribus.

I. Ad aliud diſcrimen Sepulchrorum Hebræorum nos conferimus, quo illi illa diſtinguunt in *Vulgaria* & *Nobiliora*. Quod ad *Vulgaria* attinet Sepulcra, (quæ *Ciceroni* in *Verr.* VI. loci communes dicuntur) in quibus promiſcuè cuilibet è plebe jus erat tumulari, probare ea multi conantur cum *Menochio lib.* VIII. *Reipubl. Ebræor. cap.* IV. *quæſt* III. & *Sanctio ad Act.* I. 9. ex 2. *Reg.* XXIII. 6. ubi *Joſia* dicitur pulverem combuſti luci projeciſſe ſuper *Sepulcra* בְּנֵי אָדָם *filiorum populi*, hoc eſt, juxta *Sanctium* ubi *vulgares homines tumulari ſoliti.* Alii ex *Jerem.* XIX. 11. Sed quam benè & congruè oſtendit *B. D. Geierus in Tract. de luctu Hebr. cap.* VI. §. 10. *pag. m.* 124. *ſeq. edit. Lipſ.* 1656. ita ſcribens: Verum non incongruè *Kimchi* complenda hæcce monet ex 2. *Paral.* XXXIV. 4. ubi dicitur ſparſiſſe ſuper ſepulcra הזבחים עלי״ו ſacrificantium in iis, i. e. juxta eundem Rabbinum, ſuper ſepulcra iſtius populi, qui ſervierat illis, dum viveret, & quidem in ignominiam ipſorum, q. d. videte, quid colueritis in vita veſtra? hinc etiam in loco *Paralip.* ſubſtantivum prius *Sepulcra* in fontibus habet præfixum ה emphat. contra morem, nimirum quia inter hæc duo ſubſtantiva ſupplendum ex textu 1. *Reg.* קברי בני א *Sepulcra filiorum populi ſacrificantium* &c. *Chaldæus* reddit: *in ſepulcra filiorum* גַלְיָא, quod *Kimchi* ait eſſe nomen idololatricum, quomodo in Rabbinorum Scriptis ביתגליא vocetur ביתכריא i. e. Eccleſia vel templum, de quo prolixius agentem vide *Buxtorff. Lexic. Talmud. fol.* 1086. *ſeq.* Quis vero opinabitur, (pergit) ſolos plebejos in locis illis Idololatricis olim ſacrificaſſe, & non una etiam Magnates? adeoque pro ſepulcris publicis vix faciet aliquid citatus textus. Ita de altero adducto loco nil certi concludi poſſe judicat.

II. Majus robur autem videtur locus habere apud *Jerem. capit.* XXVI. 23. ubi *Uriæ* gladio interfecti cadaver, dicitur projectum *ad ſepulchra filiorum populi*: ut ſc. h. m. cum ignobili obſcu-

obſcuraque plebe ejus ſimul periret nomen, nihilque honoris aliàs conſueti Prophetæ huic obtingeret poſt mortem. Ita etiam *Munſterus* in annotat. ad hunc locum Jeremiæ transfert ex *Jonathane* & dicit, quod per ſepulcra filiorum populi, *ſepulcra publica* ſint intelligenda. Ita *Vatablus Filiorum populi* בני העם ſepulcra exponit ſepulcra vulgi ignobilis. Chald. *ſepulcra publica.* *Grotius* aſſerit Prophetam gladio percuſſum jactum fuiſſe *in ſepulchris vulgi ignobilis.* Hæc vulgaria Sepulcra teſte *Johanne Lightfoot in Chorograph. pag. m.* 170. plerumque erant in cœmeteriis publicis, ſicut apud nos adhuc moris eſt, & *Francofurti Judæi* proprium Cœmeterium poſſident; aſt ea erant extra urbem in illis locis, ubi non publica via, nec paſcua, nec aqua, uti ex *Maſſech. Semabboth cap.* 14. adduxit *Lightfoot* l. c. qui ita: *Ac per iſtum locum non derivandus erat canalis aquarum, non ducenda per eum via publica, non paſcenda illic pecora, nec colligenda illic ligna. Nec erat inter ſepulcra ambulandum cum phylacteriis capiti affixis, nec libro Legis brachio appenſo. Babyl. Berac. fol.* 18. 1.

III. Tale autem Cœmeterium ubi vulgus & inopes ſepeliebantur, Hieroſolymis *vallem Cedron* fuiſſe, quæ contigua civitati Sanctæ eam totam ab Oriente cingebat, quidam aſſerunt. Ita *Cornelius à Lapide Comment. in Jerem. cap.* XIX. v. 6. ſentit, hæc proferens: *Commune Judæorum Sepulcrum erat in valle Cedron, in ea parte, quæ Gehenna ſeu Tophet appellatur, ut patet ex* 4. *Reg.* 23. 6. *Indeque hæc vallis dicta eſt Cadaverum, Cineris, Calvaria & regio mortis.* Ita etiam ſentire videtur Anglus *Johann. Lightfoot pag. m.* 77. *cap.* 39. *Chorog.* quando ſic diſſerit: *Erat* (vallis Hinnon גי הנום pars vallis Kidronis) *commune urbis Sepulchretum* (ſi modo intra tantillam ab urbe diſtantiam jam ſepelirent.) Teſtimonio ſuo approbat hanc ſententiam celeb. D. *Quenſted. pag. m.* 192. *lib. de Sepultura veterum edit. Witteberg.* 1660. ibique jam Turcas ſepeliri ex *Adrichomio in deſcriptione Jeruſalem n.* 204. recenſet. Verùm hac in re à Cornelio à Lapide & iis qui cum eo faciunt, divortium facimus. Nam ſepulchreta non erant prope urbes: vid. *Othon. Lexic. Rabbin-Philolog. pag. m.* 598. ubi ex *Gloſſ. in Kidduſchim fol.* 80. 2. A civitatibus Leviticis cœmeteria diſtabant bis mille cubitis: ab omnibus civitatibus ſi non eodem ſpatio,

ſal-

ſaltem non multo minori. Id quod de Sepulcris vulgaribus intelligendum. Repugnat etiam hoc locis ſepulcretis aptis, vid. §. 2. Probabile tamen eſt, quamvis civitatem habuiſſe Sepulchretum commune, ubi cadavera condebantur, patet hoc ex *Matth.* VIII. 28. & *Luc.* VII. 12. Hoc Sepulchretum, inquit *Druſius Præter. lib.* 1. *ad cap. Matth.* XXVII. Hebraicè dicitur *Domus ſepulchrorum.*

IV. *Vulgaria* itaque *Sepulcra* erant, in quibus promiſcuè plebeji condebantur, quibus ſepulchrum proprium non erat. Bene *Adrian. Turneb. lib.* V. *Adverſ. cap.* XVI. Cum olim, inquit, qui locupletes erant, in ſuis fundis aliquid loci ſepulturæ ponerent, & privata haberent ibi ſepulcra ſibi familiæque ſuæ, aut hæredibus, plebs, quæ agris fundiſque carebat in loco aliquo communi ſepulturæ deſtinato humabatur: SEPULCHRUMQUE COMMUNE vocabatur, ubi ſepeliebatur. Ex quo ſcripſit *Horat. lib.* 1. *Satyr.* 8.

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulcrum.

Sic *Lucretius* Terram, mortuos omnes gremio ſuo reptantem, COMMUNE SEPULCRUM appellat *lib.* V. Et *Catullus Trojam* commune ſepulcrum Europæ Aſiæque i. e. heroum belli Trojani tempore ex Europa & Aſia occumbentium vocat. Breviter. In Sepulchreto vulgari & communi omnes condebantur è civibus & hominibus, quibus proprium Sepulcrum non erat.

CAPUT IV.

De diſcrimine Sepulcrorum vulgarium ſcil. hominum bonæ famæ.

I. Vulgaria Sepulcra non erant apud Hebræos ejuſdem cenſus: Nam alia deſtinata erant *hominibus bonæ famæ, cum indigenis* tum *peregrinis*: Alia *homuncionibus ultima ſupplicia paſſis.* Honeſtorum ordini hominum accenſent Scriptores illud quod à LXX. vocatur πολυάνδρειον. Πολυάνδρειον verò vel πολυάνδρειος uti *Heſychio* in Lexico *fol.* CCCCCCXI. effertur, eſt τάφος, πολυχώρητος, μνῆμα. Suidas autem in Lexico ea

uti-

utitur terminatione, qua *Gyraldus in lib. de vario ſepeliendi ritu cap.* IX. Nobiliſſimus *Caſpar. Barth. lib.* XLIII. *cap.* XIII. *Adverſ.* illud ita exponens ait, Polyandrum eſt cœmeterium, locus ubi Sepulcra ſunt. *Gyraldus* autem dicit POLYANDRION dici, quod nos Chriſtiani Cœmeterium vocamus. Quæ plane conveniunt cum illis, quibus *Antonius Nebriſſenſis in Quinquagena cap.* XII. *pag.* CII. utitur: *Locus in quo mortui ſepeliuntur.* Angl. Thom. de S. Quercu Polyandrium uſurpat de Sepulchreto, ubi multi ſepulti, quia πλείονες Græc. ſepulti: *a place where many common Sepulchres are.* Quod Latine tum *Sepulcretum*, tum *Conditorium* adpellatur, à Græc. πολυάνδριον, ut eſt in Ezechiele, & noſtra in religione κοιμητήριον. Inde verò adpellationem habere videtur, quod multos, i. e. mortuos habeat. Hujus nominis enim πολὺς comparativus πλείονες mortuos ſignificat. *Heſychius* πλείονες, οἱ τετελευτηκότες. Quo ſenſu accipitur ab Oraculo Tarentino, Ἄμεινον καὶ λώϊον ἔσεσθαι σφίσι ποιουμένους τὴν οἴκησιν μετὰ τῶν πλειόνων. *Petrus Victor. lib.* II. *Var. Lect. c.* VII. Ariſtides Sophiſta idem ſignificatum ſuum facit. Verba ejus ſunt hæc Latine reddita: Hæc eos locutos arbitror facile ad plures, mortuos, ſi modò etiam illo cum pluribus jacere exiſtimandi ſunt, quod mihi ſanè non videtur. Eodem modo loqui *Johannem Catacuzenum in hiſtor. Matth. cap.* IX. & XVI. *Johannes Lorinus ad cap.* VII. *Sapientiæ fol.* 100. animadvertit.

II. Quo ſenſu Latini quoque nomine plures ſimiliter utuntur. Liquidum id ipſum eſſe putamus ex *Plauti Trinumo Act.* II. *ſc.* I.

Lacrumas hæc mihi cum video
Ejiciunt, quia ego ad hoc genus hominum duravi,
Quin prius me ad plures *penetravi.*

Hoc ſenſu LXX. Interpretes locum *Ezechiel.* XXXIX. 15. גיא המון גוג πολυάνδριον τοῦ Γώγ: Targum verò חליח אתר נושת גוג *vallem multitudinis* efferunt. *Johannes Piſcator* Gogs Hauffenthal, ad eundem modum quo *Lutherus* eum extulit. *Lactant. de opific. Dei c.* II. de poſterioribus temporibus loquens: Tunc, inquit, fient terræ motus & ſcindent ſe montes & ſubſident in latitudine vallis profundæ, & congregabuntur in ea corpora mortuorum, & vocabitur nomen ejus πολυάνδριον. Obſervat

ſervat quoque Philologus celebris Johannes Druſius in *Ezech.* המונה Hamona *multitudinem* ſignificare; nam deſcendit à radice הָמַם, quæ turmatim coire & congregari ſignificat: vid. *Buxtorff. Lexic. Rabbino-Talmud. fol. m.* 620. המונה Græci vertunt *πολυάνδρειον. Hieron.* Nomen autem civitatis appellari Amona, quæ Græcè dicitur *πολυάνδρειον* h. e. multitudo hominum ſepultorum. Rurſum Hieronym. Sepulcrum Gog non erit in montibus, ſed in depreſſis vallibus. Denique *Druſius* addit: Et nos, Nomen autem civitatis ubi ſermonum Domini victoria eſt, & jacent adverſarii & omnis inimicorum ejus multitudo proſtrata eſt, appellabitur AMONA ſive POLYANDRION.

III. Hoc nomine Polyandrion etiam priſci Eccleſiæ primitivæ Patres utuntur. Ex iis *Gyraldus cap.* IX. *Hieronymum* laudat: ejus verba, ad quæ collimat, in Commentario ejuſdem in *Ezechielem* comparent. *Dorotheus*, qui vitas Prophetarum & Apoſtolorum brevi ſtylo perſecutus eſt, id nomen in *Michea* ſimili pacto uſurpat: *Sepultus eſt*, inquit, *in terra ſua prope Polyandrum Enakim.* Sequior ætas relicto *Polyandrion* in uſum accepit *Polyandrum*, ceu ex *Gloſſario Copiæ* videre eſt, qua voce *Gregor. Nazianzen.* uſus eſt. Cœmeteria hinc POLYANDRIA dicebantur à multitudine ſitorum. Erant enim publica monumenta apud Romanos, in quibus ii locabantur, qui honoris ergò de publico ſepeliebantur: *Meurſ. lib.* III. *c.* XX. Erant & alia peregrinis vel in bello cæſis ſtructa, eaque *πολυάνδρεια* dicebantur, qualia Athenienſes illis, qui in bello pro patria occubuiſſent in Ceramico extra urbem publico ſumptu conſtituebant: vid. *Meurſ. cap.* XXXV. *Kirchman. de funer. Rom. lib.* II. *cap.* XXV. Ex his ſatis elucet, neminem huc conditum fuiſſe, niſi bonæ famæ fuerit. Huic honeſtorum hominum ordini accenſet cl. *Mullerus* illud *Jerem.* XIX. 6. & *Ezech.* XXXIX. 11. quam ſententiam *B. Geier. in Tr. de luctu Hebr. pag. m.* 125. meritò in dubium vocat, ita diſſerens: De hoc loco itidem dubito, num *Topheth* idololatrarum locus propterea polyandrium ſit vel communia Sepulchra.

IV. Aliter ſentiendum eſt & alia res eſt, quæ *Matth.* XXVII. 7. de *peregrinorum* traditur *Sepulchreto*, quod Summi Sacerdotes in *peregrinorum* uſum emerunt, ad ſepelienda illorum cadavera. Corpora defunctorum humi recondenda eſſe

divi-

divino jure præceptum eſt. Ita enim divinum Oraculum habet *Geneſ.* III. 19. *Terra es, & in terram reverteris.* Et *Eccleſ.* XII. 7. dicitur, *homo pulvis reverti in* terram, quemadmodum erat. Videatur de hac re cl. *Johan. Henric. Heidegger. diſſert. de Sepultura mortuor. edit. Tigur.* 1670. qui fuſe de his egit. Neque verò ex divino tantum mandato, ſed etiam ex jure gentium voluntario corporibus vita defunctis ſepultura debetur. Unde Dio Chryſoſtom. inter mores ſive ἔθη, quæ ſcripto juri apponit, poſt legatorum jura commemorat μὴ κωλύειν τοὺς νεκροὺς θάπτειν, *non prohibere quò minus ſepeliantur mortui. Seneca quoque l.* 1. *Controv.* inter jura non ſcripta, ſed omnibus ſcriptis certiora ponit, *humum porrigere cadaveri*, Lucanus *hominum ritus*, Papinius *Terrarum leges* & mundi fœdera, Tacitus *Sortis humani commercium*, Lyſias *ſpem* communem vocant. Quique id juris aliis exſolvere detrectant, eos *hominem exuere* Claudianus, *naturæ dedecus facere* Leo Imperator, *fas violare* Iſidorus Peluſiota, dixere. Plura ex hoc jure gentium voluntario qui cognoſcere avet, adeat licet *Hugonem Grot. de J. B. & P. l.* II. 19. I. Sane etiam apud *Athenienſes* ſepulturæ tanta cura fuit, ut Dux cæſos ſepeliri negligens morte mulctaretur.

V. Hebræi igitur & mandato divino & jure Gentium impulſi magnam curam gerebant de *Sepulcris* peregrinorum procurandis: Hinc agrum cujuſdam figuli *ad Sepulturam peregrinorum* emebant, i. e. eorum, qui ex variis Orbis terrarum partibus annuatim ad ſolennia Hebræorum feſta venirent, adoraturi Dominum. Si itaque quidam ex his mortem obirent, neceſſe erat, ut ſepelirentur; quare hunc agrum ut *peregrinis* proprium ad illorum ſepulcra deſtinabant. Per *peregrinos* autem hoc loco non intelligunt ἀλλοφύλους, quorum cura minime tangebat Sacerdotes & Hebræos alios; ſed ξένους *hoſpites Judæos*, qui ex longinquis regionibus Hieroſolyma adventabant religionis ergò, ac morte occupati non habebant, ubi ſepelirentur. Credibile tamen eſt & ante proſpectum fuiſſe eorum ſepulturæ. Sed ingens confluentium & ſubinde morientium multitudo plus loci deſiderabat. Peccabant hinc Judæi & contra mandatum divinum & jus gentium, cum hunc agrum emerent, tantum ut peregrini Judæi ibi conderentur excluſis aliis, qui ſepulchri beneficio haud fraudandi. Hu-

manitatis enim officium eſt ſepelire, negare ſepulturam inhumanum. Ut igitur humanitatem oſtenderent Sacerdotes erga Judæos peregrinos, locum hunc eligebant *to the buriall of ſtrangers* ſcribit Angl. *Thomas Fuller.* in *Piſgah-ſight of Paleſtin. lib.* 3. *cap.* 13. *edit. Londin. fol. m.* 348. *Here their dead corps,* inquit, *had an Hoſpitall, wherein their lodging and cloathing was freely beſtowed upon them.* Rationem addit citatus *Fullerus* ex *Sands his Tra. pag.* 187. cur cadavera huc ſepulta? *As for the confident report, that the earth in this field will in forty eight hours conſume the fleſh that is laid therein,* quia cadavera ibi condita intra quadraginta octo horas conſumerentur.

VI. Quod autem Sepulcretum iſtud tantum adventantibus Judæis commune fuerit patet ex *cap.* 11. *Actor. verſ.* 10. ubi advenarum Romanorum mentio fit. Græcus ἐπιδημȣ̃ντες Ῥωμαίȣς vocat, ortos ex יון addit *Grotius ad h. l. Gualperius Proſelytos* appellat, quos Latine *advenas* vel *peregrinos* dixeris, qui ſcil. ex Paganiſmo ad Judaiſmum erant converſi: ſeu qui ex Ethnicis legibus Moſis & ceremoniis initiati Judaiſmum profitebantur, non illi quidem gente, ſed adoptione Judæi. Apud Syr. eſt vox ܓܝܘܪܐ *peregrinus*, ex radice גור peregrinatus eſt. De Proſelytis multa tradiderunt B. *Clodius Orient. LL. in Alma Giſſ. quondam Profeſſ. in diſſert. de Proſelyt. vid. Godwin. Moſ. & Aaron, & annot. noſtr. ad c. Auctor. Alting. de Proſelyt.* qui fuſe de hac materia diſſeruit. *Druſ. in loc. Act.* 11. 10. Unde facile patet, ἐπιδημȣ̃ντες *advenas* non *incolas* fuiſſe. Hi propter feſtum, vel alterius negotii cauſa Hieruſalem venerant, tantiſper in urbe manſuri, donec id, cujus rei gratia advenerant, peregiſſent: videatur de his *Balduin. Walæus Comment. in Act. Apoſt. pag. m.* 1053. 1054. His conſtitutus erat locus ſepulturæ ſeu ſepulcri in agro figuli emto. Et hæc de Sepulcris peregrinorum ſufficiant.

CAPUT V.

De Sepulcris vulgaribus datis ultima supplicia passis.

I. Maxima fuit apud Judæos habita sepulturæ cura atque ratio, quare etiam hostes suos sepeliebant, ut constat ex *Josepho lib.* III. *ἁλωσ.* Unde fiebat, ut affectos supplicio eodem die terræ mandarent, & cruci suffixos ad occasum Solis deposuerint atque sepelierint, uti testis est *Joseph.* 4. *bell. Jud.* 16. *f.* 882. conf. *Balduin.Walæ. Comment. ad Matth.* V. *pag. m.* 47. *Quensted. de Sepult. Veter. c.* 3. *pag.* 47. Ex mandato Dei Judæi obstringebantur ut suspensos tollerent de cruce vel patibulo. Illud mandatum habetur *Deut.* XXI. 22. *&* 23. Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit (sive juxta Hebraicam veritatem pernoctabit, LXX. οὐκ ἐπικοιμηθήσεται non indormiscet) cadaver ejus super ligno, sed sepeliendo sepelies eum in die ipsa. Quamvis hæc lex de non relinquendo cadavere in cruce aut patibulo satis quidem clara sit; attamen multas quæstiones peperit apud Interpretes, quarum non postrema est: An inter Hebræos supplicii crucis locum habuerit, cum in lege expresse mentio fiat suspensionis? Unde quidam hanc sententiam & quæstionem affirmant: ut *Baron.* in *Annal. ad ann.* XXXIV. *n.* 92. *Just. Lips. lib.* I. *de cruc. c.* XI. *Jacob. Gretser. lib.* I. *de cruc. c.* XIX. *Menoch. lib.* VIII. *de Republ. Hebr. c.* II. *q.* III. Negant vero *Casaubon. in Exercit. Anti-Baron. Exercit.* XVI. §. LXXVII. *Bonfrer. Comment. in Deut.* XXI. *Joseph. Scaliger*, aliique, de quibus videantur *annot. nostr. ad Carol. Sigon. de Republ. Hebr.* Altera difficultas est circa Legis rationem, quam alii aliter referunt. Illud fabulam putidissimam olet, & à prudentibus Rabbinis negligitur, quod quidam *Darschanim* ad deliniendos plebejorum animos finxerunt, quasi ante cadaveris suspensi sepulturam, anima ad quietem suam venire nequeat, nec possit ab Angelis duci in Dei thalamum, sed interim à turmis dæmonum vexetur & affligatur, quam fabulam ipsis Judæorum verbis narrat *Munster. ad Deut.* XXI. *fol.* 184. quam

rejectam videbis à *B. Carpzov. in not. ad Schickard.* משפט המלך *pag. m.* 245. *&* *D. Quensted. de Sepultura Vet. pag. m.* 47.

II. Alii alias rationes ex Rabbinis & Scriptoribus Christianis adducunt, & dicunt, de his tantum legem loqui facinorosis, qui lapidibus seu lapidatione necati fuerint vel suspensi, ita Anglus *Henric. Ainsworth ex Maimon. Sanhedrin fol. m.* 88. edit. Londin. vult, sed hanc rejecit prælaudatus *Carpzov. pag. m.* 246. Alii ob imaginem Dei factum esse asserunt, quod de cruce suspensus tolleretur, ita ex Rabbinis plures statuunt, *R. Bechai fol.* CCXXVII. *col.* 4. *R. Simeon in Jalkut. part.* 1. *fol.* CCXCI. *col* 3. *Zennorenna fol.* CXXI. *col.* 2. atque hinc *Coccej. in Excerp. Gemar. Sanhedr. pag.* 252. *Raymund. Martin. part.* 3. *Pug. fid. dist.* III. *c.* XVI. §. XXV. *fol.* 667. *Wilhelm. Schickard. in* משפט המלך *pag.* 246. 247. *Alphons. Tostat. Comm. in Deut.* XXI. *Hugo Grot. lib.* II. *de Jure bell. & pac. cap.* XIX. §. IV. Verum rectè *R. Abarbanel* huic opinioni objicit *fol.* CCCLXXVII. *col.* 2. cujus Latinam versionem ex *B. Carpzovii* annotatis referimus: *En!* inquit, *si quæ alia, hæc admodum debilis est ratio. Nam juxta hac nullus omninò hominum suspendendus esset neque uno die, neque biduo: siquidem transgressio non est mala per sui continuationem, sed propter patrationem omni tempore quo existit.* Addit igitur rationem ex lege de קללת אלהים maledictione Dei, quorum verborum sensus hic est, *quod maledictio & pœna, quam Deus in hujusmodi peccatorem ac reum decrevit, neque perpetua esse debeat, neque certi & determinati temporis, sed simpliciter suspensio tantum. Postquam ergo Deus ipse suspensionis pœnam ita suspendit, ut non decerneret longo illam tempore futuram, quare tu prolongabis & addes pœnæ illius, diutius eum in patibulo relinquendo.* Altera ratio est ob *pollutionem terræ*, de qua *pag.* 248. *in not. cit.*

III. Et licet hæc *Abarbanelis* ratio fundamentum habeat juxta leges Hebræorum *forenses* & *ceremoniales*, attamen aliquid mysterii sub hac latere asserimus. Nam quemadmodum quævis lex ceremonialis umbram habuit futurorum; ita hæc typicè præfiguravit Christum in cruce aliquando pendentem, qui revera maledictio pro nobis fieri, & eodem, quo in crucem agebatur, die sepeliri, suaque hac sepultura omnem terræ peccatis pollutæ immundiciem auferre debebat. Quem typum allegavit Apostol. ad *Galat.* III. 13. Id quod eleganter exposuit *Anglus Henricus*

Ains-

Ainſworth Comment. in Deut. XXI.*fol. m.* 89. *edit. Londin.* ita diſſerens; *And herein the ut moſt rigour and ſeverity of the Law God fore . . . ſignified the riches of his grace towards ſinners in Chriſt, who redeemed us from the curſe of Law, being made a curſe for us, as appeareth in that he was hanged on the tree.* Et paulo poſt ad verba: *And the land ſhall not be defiled, which might be by the monument of Gods curſe remaining upon it viſibly. So the buriall was to aboliſh the curſe from appearing in the Lords land. A figure of the fruit and effect of our Saviours buriall, where by the rigour of the Law was declared to be ſatisfied, and all our ſinnes defaced and removed out of Gods ſight, that they ſhall never be imputed unto us.* Ex his ſatis patet ſepulturam ſuſpenſi reſpexiſſe Chriſtum, qui in cruce non pernoctaturus foret.

IV. Interim tamen Hebræi affirmant, duo ſepulcreta à Synedrio parata fuiſſe, unum occiſis gladio & ſtrangulatis; alterum lapidatis & combuſtis. Ne autem hæc ſine teſtimoniis dicta videantur, operæ pretium duximus quædam in medium proferre. Audiamus Anglum doct. *Johannem Lightfoot. in hor. Hebraic. ad Matth. cap.* XXVII. *pag. m.* 499. *edit. Lipſ.* Suſpenſo, inquit, non permiſſa eſt pernoctatio in ligno, *Deut.* XXI. imo nec pernoctatio abſque ſepultura. *Sanhedr. c.* VI. *halac.* 5. כל המלין את מתו עיבר בלא תעש *Quicunque mortuum pernoctare facit inſepultum, violat præceptum prohibitivum. Atque humatio interfecti a Synedrio non fuit in Sepulcris patrum ejus; ſed* DUO SEPULCHRETA *erant parata à Synedrio, unum occiſis gladio & ſtrangulatis, alterum lapidatis* (qui etiam ſuſpendebantur, uti plur. reverend. *Daſſovius in diſſertat. Philolog. erudit. de ſuſpend. homin. lapid. edit. Witteberg. & Henric. Ainſworth. ex Maimonid. fol. m.* 88. *edit. Londin.* probant) & *combuſtis*. Conſentit *Seldenus lib.* 2. *de Synedriis Hebr. cap.* 13. *pag. m.* 890. *edit. Francof.* 1696. ita ſcribens: Sepulchris patrum non condebantur morte ſic plexi. Sed ex diſciplina veteri BINA habebantur, quæ à Synedriis præſtituta SEPULCHRETA; alterum lapidandis & comburendis; alterum gladio puniendis & ſtrangulatione. Oſſa tamen licuit propinquis colligere & in Sepulchris patrum condere: confer. B. *Geieri cap.* VI. *pag. m.* 126. *edit. Lipſ.* 1656. Maimonidis verba, quæ Seldenus adduxit, in *H. Sanhedrin c.* XIV. §. 9. ex verſione *B.*

Geieri

Geieri ita sonant: *Interfecti à domo judicii vel Synedrio, haut quaquam sepeliuntur in majorum suorum monumentis, verum* DUO SEPULCRA *à domo judicii ordinata sunt pro iisdem, unum pro lapidatis & combustis* (seu ignis supplicium passis) *alterum pro decapitatis atque strangulatis, id quod institutum, vel quæ consuetudo per traditionem ad nos devenit. Consumta maleficorum istorum carne, colligunt demum ossa, eademque in Majorum reponunt sepulcris, spectatque ad propinquos, ut comparent arcam linteaque sepulcralia.*

V. Atque hinc factum subjicit laudatus jam *Geierus*, quod Josephus pius ille Christi sectator, iniquissimum ratus, tantum Dei virum communi Nebulonum Sepulcro inferri, abiverit ad Pilatum, ibidemque ambiverit indultum, suo liceret sibi inferre sepulcro. Quomodo verò conjecturam suam probare velit *Samuel Petit. lib.* I. *Var. Lect. c.* V. quam defendit quoque *Balduinus Walæus Comment. ad Matth. c.* V. *pag. m.* 47. ubi omninò insepultos scribit, abjectos fuisse illos, quos sævitum ire vellent judices, non perspicimus. Id negari quidem non debet, *Jehojakimo* hoc evenisse, sed non ex sententia judicum Hebræorum, sed regis Babylonici, ut impleretur vaticinium *Jerem. c.* XXXVI. 30. Addendum & hoc, quod in *tract. Sanhedrin c.* XV. §. 9. legitur, & à *Wilhelm. Schickardo* citatum legimus in suo משפט המלך *cap.* IV. *Theor.* XIV. *pag. m.* 248. quod arbor, ex qua suspensus quis fuit, unà cum suspenso sit defodienda, itemque gladius, quo quis decollatus, nec non sudarium, quo quis strangulatus, & lapis, quo lapidatus & cuncta instrumenta sepulta fuerint, non quidem in Sepulcro ipso, uti quidam putant, sed in loco, ubi reus supplicio affectus, teste *Maimonide* ita dicente: *Omnia illa instrumenta supplicii sepeliri in illo terræ spatio, in quo reus supplicio affectus est, non in ipso ejus sepulcro.* Conferantur huc annotationes *B. Carpzovii ad Schickardi* משפט המלך *pag. m.* 250. *edit. Lips.* legitur enim ibi בתפיסת. videsis *Buxtorff. Lexic. Talmudic. fol.* 2622. ob interfecti contactum, non tamen in ipsiusmet interfecti sepulcro.

VI. Ne autem Christus tali ignominiosa sepultura afficeretur, *Josephus* accessit ad *Pilatum* & postulavit corpus Christi, *Matth.* XXVII. 58. *Marc.* XV. 48. *Luc.* XXIII. 52. *Johann.*

XIX.

XIX. 38. Refert *Petrus Faber lib. 2. Semestrium pag. m.* 102. *cap.* 9. Imperatorum temporibus durasse morem illum, ut animadversorum cadavera, non modò *cognatis*, sed quibuslibet petentibus darentur, ex illo Pandectarum titulo, qui de cadaveribus punitorum est: *Eorum*, inquit *Ulpian. ff. tit. de cadaver. punit. in quos animadvertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petitum & permissum.* Faciles autem in hanc rem Romani Magistratus. *Ulpianus* dicto loco, Corpora eorum, qui capitis damnantur, cognatis eorum neganda non sunt. *Diocletianus* & Maximinianus, *Obnoxios criminum digno supplicio* affectos sepulturæ tradi non vetamus: confer. *Grot. Comment. in h. l. Matth.* Probat etiam prædictus *Faber pag.* 103. morem hunc apud *Lacedæmonios* viguisse, ut cadavera petentibus darentur. Verùm hoc factum potius more Hebræorum & ex legibus illorum *Deut.* XXI. 23. quibus vetitum erat cadaver insepultum relinquere, ne terra pollueretur. Conf. Grot. cit. loc.

VII. Hæc cum ita se habeant, sequitur & ipsam antennam Christi, in loco ubi supplicio affectus, cum aliis sepultam esse, quæ postea ad nullos alios usus usurpari & adhiberi potuit. Notatu itaque dignum, quod *Maimonides* habet *C.* XIV. *Essel.* §. 21. prohibitum est ulla re ex demortuo (vel ulla ejus parte) *uti* h. e. ad usus suos. Atque sic loculo etiam cunctisque linteis sepulcralibus &c. de quibus videatur *Geier. de luctu Hebr. cap.* VI. §. 16. *pag. m.* 144. qui fuse egit de his. Hinc falsa esse deprehendimus, quæ de inventione crucis sub *Constantino Magno* jactitant *Baronius not. ad Martyrolog. Rom. pag.* 298. seq. *Gretser. lib. de cruce cap.* LXII. LXIII. & *in Apologia contra Junium pag.* 86. seq. *Polydor. Virgil. lib.* V. *de rerum invent. cap.* VI. Dicunt Helenam terram effodi jussisse, tresque cruces reperisse; ex miraculo quodam facto agnovisse crucem Domini, quæ cum veritate non conveniunt. Primus igitur omnium, qui de hac inventione scribere potuit, *Eusebius* fuit; At nullam is mentionem facit reproductæ è tumulo crucis. Helenæ pietatem, quam illa declaravit in repurgando monte Calvariæ, beneficentiam in pauperes & alias virtutes accurate describit, cæterum de Cruce nihil commemorat. Quod in Chronico ejus aliquid tale occurrit, ab aliena manu

est, quæ licenter admodum grassata in plurimis veterum libris, opinionum monstra peperit. Mirari verò lubet, quod crucem refossam non uno loco ostendant, aut saltim maximas ejus particulas inter reliquias.

VIII. Quis credat post trecentos & amplius annos Crucem Servatoris, per omne illud tempus coopertam ruderibus & in terra defossam, aut aliis modis subversam, non computruisse? Si miraculum obtendunt, quid dicent de crucibus latronum, quas eandem habuisse prærogativam testantur ipsi tam male cohærentium relationum patroni? Nam addunt illico: *Contigua quæque ac vastissima ruinarum purgari jubet, mox pretium fidei & laboris tres pariter cruces, sicut olim Domino ac latronibus fixæ fuerant, reperiuntur.* Quilibet Cruciarius suæ portabat crucis partem, ANTENNAM. Sublato cruciario una tollebatur *antenna*, & crucile quidem perstitit uti potuit, non etiam tot seculis, quando si caderet à putredine erosum non renovabatur, nova crucilia potius erigebantur. Si ergo plures post Christum & duos latrones ibi crucifixi fuerunt, novis *antennis* in vetus Crucile elevati, quomodo non erit superstitio mera, ne dicamus, impietas aliqua, de ligni sanctitate contendere & mundo imponere in tanta veritatis luce? Et quomodo tres solum cruces reliquæ inveniebantur loco illo, ubi plurimos supplicio affectos esse negari non potest? Golgatha enim erat, i. e. mons damnatorum pœnis exigendis destinatus. Supplicium crucis ad Constantini ævum duravit in omnibus Romanorum præsidiis, & quis velit negare, dicto loco Golgathæ CRUCILIA multa exstitisse, dum veteribus collapsis nova succederent? Rursum cum urbs à *Tito* Imperatore obsessa & capta est, cumque *Adrianus* Cæsar vicinos Hierosolymorum agros novis depopulationibus affligeret, non probabile est, Crucilia permansisse locis suis. An aliquo casu, Deo ita providente, ut conservaretur crux sua, tres illæ cruces terra opertæ latuerunt? Cur igitur duæ reliquæ simul conservatæ fuerunt, & non unica illa? Quis velit negare, in eodem *Crucili*, sed in diversis *antennis*, plures damnatos sæpe vitam finivisse? Et si crux Servatoris è cedro, cupresso, olea fuit, quare non facile distingui poterat à latronum crucibus? Nam quis credat, latrones & servos fugiti-

vos cedrinis & cupressinis crucibus suspensos? Ex his & aliis argumentis firmissimis, quæ jam præterimus, satis patet, falsam esse Pontificiorum opinionem de inventione crucis. Sed hæc in antecessum sufficiant.

IX. Sed regrediamur à quo digressi & dicamus, Singularia infamium Sepulcrorum exempla Scripturam tradere. Meminit enim infamis Sepulcri *Achanis Jos.* VII. 26. ubi hæc leguntur verba: Et erexerunt super eum *acervum lapidum magnum*, ad indicandum sepulcrum ignominiosum: vid. Munster. annot. ad h. locum. Recenset quoque infame Sepulcrum Regis *Ai Jos.* VIII. 29. quod etiam acervo lapidum in ignominiam notatum fuit. Fortassis huc etiam pertinet locus *Thren.* III. 53. Ita de quinque Regibus *Josuæ* X. 27. legimus, quod ignominiose sepulti in Spelunca lapidum acervo cumulato, id quod etiam Absoloni evenit 2. *Sam.* XVIII. 17. Absolon enim sceleratis suis artificiis affectans amorem populi, enormibus suis flagitiis commune odium contra se concitavit, quamprimum fuit mortuus, Judæi certatim supra ipsum accumularunt *ingentem acervum lapidum*, ut vel monstrum illud enorme sepelirent sub saxorum cumulo, sicque Israëlitas facerent securos se non amplius ab hoc perduelli homine molestatum iri, vel demonstrarent extremam abominationem erga filium contumacem ac proprio patri perduellem. Quod attinet securitatem ex cadavere lapidibus obruto canit *Virgilius*:

Monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus
Nocte dieque tuum carpe viator iter.

Quod autem attinet abominationem; solebant Gentiles projicere lapides vel contra cadaver, vel contra sepulcrum hominis scelerati. *Propert. lib.* IV. *eleg.* V.

Quisquis amas, scabris hoc bustum cædito saxis,
Mistaque cum saxis adjice verba mala.

Addit *Simones Abbes Gabbema in annot. pag. m.* 807. *edit. Traject.* 1659. Cædere & saxis busta eorum solebant, qui invisi fuerant. Bene quoque *Scaliger* in h. l. scribit: Prætereuntes busta eorum, qui in publica detestatione erant, lapidibus petebant. *Auson.*

——————— crimen ob istud
Timon Cecropiis olim lapidatus Athenis.

i. e. publice diris incessitur & ejus Sepulcrum lapidibus petitur. Unde, ut scribit *Cornel.* à *Lapid.* etiam nostri temporis *Turcæ* ac peregrini, qui coram Absolonis Sepulcro prætereunt, projiciunt in illud lapides, cum dicto: *Maledictus sit parricida Absolon & quicunque injuste parentes suos persequuntur, maledicti sint in æternum.* Videatur de hoc Absolonis Sepulcro *D. Quensted. de Sepultura Veter. pag.m.* 44. *edit. Witteb.* 1660.

CAPUT VI.

De iis quibus Sepulcrum denegatum.

I. Hactenus vidimus Sepulcra vulgaria hominum facinorosorum, quæ ignominiosa & infamia erant. Nunc nos accingimus ad illos, quibus plane sepultura denegata fuit. Inter hos referunt Scriptores αὐτόχειρες qui seipsos occiderant. Audiamus *Egesippum lib.* III. *de Excidio Hierosolymitano cap.* XVII. ita scribentem: *Hac non solum moribus hominum, sed etiam legibus interdicta accipimus. Namque alii insepultos projici jubent eos, qui se in ferrum dejecerunt. Dignum est enim, ut qui Patris imperium non expectaverunt, priventur quasi quodam matris gremio, terræ sepulcro. Alii dextram manum abscindunt defunctis, ut separent à membris sui corporis, quod adversus corpus suum vesano militavit furore.* Pertinet huc, quod *Josephus lib.* 3. *Bell. Jud. c.* 14. adducit: *Si qui se occiderint, apud nos quidem ad Solis occasum insepultos abjici decretum est; cum etiam hostes sepeliri fas esse ducamus, apud alios autem & dextræ jubentur abscindi ejusmodi mortuorum.*

II. Cum igitur αὐτοχειρία pessimum crimen sit, & à Deo in lege Divina prohibita: *Non occides*; ille autem occidit, qui seipsum occidit; ita merito inter crimina referendum hoc, quod omnia alia superat. Manet ergo firmum fixumque αὐτοχειρίαν prohibitam esse ob sequentes rationes. (1.) Quia dilectio nostri nobis æque est præcepta, ac proximi, quando dicitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Si dilectio nostri regula quasi & norma esse debet, ad quam exigamus dilectionem proximi, certe vitæ nostræ sine hujus præcepti violatio-

ne

ne vim nullam inferre possumus; vel dicendum foret, si id juris in nos haberemus, idem nos habere in proximum, quod est absurdum. *Proximus* non tantum est homo alius, sed & quisque sibi, אדם קרוב לעצמו ajunt Hebræi. (2.) Vitæ nostræ conservatio & custodia nobis est mandata, ut Hebræi volunt, *Deut.* IV. 15. quando dicitur וְנִשְׁמַרְתֶּם מְאֹד לְנַפְשֹׁתֵיכֶם *Custodite ergo diligenter animas vestras.* Sic *Jerem.* XVII. 21. *Jos.* XXIII. 11. Hæc verba illi non tantum de animabus purè & sanctè custodiendis, sed & conservandis accipiunt. Quibus affine est *Ephes.* V. 29. (3.) Quia ea quæ Deus conjunxit, homo separare non debet. Atqui Deus est, qui conjunxit animam cum corpore, Ergò separare illa homini non licitum est. Est enim depositum illud divinum homini concreditum, ac proinde sine Domini voluntate id ei alienare non debet. (4.) Quia occisio sui ipsius est æque destructio imaginis Dei, ac hominis alterius. Hæc verò ceu maximum scelus, prohibita *Gen.* IX. 6. (5.) Quod *Gen.* IX. 5. dicitur: Verùm sanguinem vestrum de animabus vestris requiram, id Hebræi exponunt de Cæde sui in *Talm. Bava Kama fol.* 91. 2. unde ibi ajunt אין אדם רשאי לחבל בעצמו *Non licitum homini est, vim sibi ipsi inferre.* R. *Bechai*, *Nachmanides*, R. *Salomon & Chaskuni* idem volunt, licet *Aben Ezra* hoc rejiciat, quod & nos cum cl. *Buxtorffio in dissert. in præcept. Decalog. sextum* non satis firmum existimemus; & quæ aliæ sunt rationes, quas cit. *Buxtorffius* attulit.

III. Excludebantur igitur ab honore sepulturæ, qui sibi ipsis violentas manus intulerant. Non solùm apud *Hebræos* mos hic usitatus fuit; sed etiam Atheniensium lex erat: Αὐτόχειρ ἄταφος ἔστω: *Qui manum sibimet ipsi admoverit insepultus esto.* Ita Hebræi istis qui semet ipsos occiderant sepulturam denegabant, sed & amputata dextra inhumatos projiciebant, uti *Jacob. Pontanus Progymn. Lat. lib.* IV. *in annot. progymnas.* 63. utrumque conjungens ait: *Apud Hebræos qui semet ipsos interemissent, amputata dextra inhumati projiciebantur.* Conf. *Lil. Gregor. Gyrald. de sepeliendi ritu cap.* XI. Tali modo animadvertebant in eos, qui spontanea morte se educebant è vita. Nec id mirum, cum in hos aliud supplicium constitui non possit, qui mortem pro supplicio non habet, ut ait *Grot. de Jure Bell. & Pac. lib.* 2. *cap.* XIX. *n.* 5. Nonnulli tamen, inquit hoc ipso

ipso loco *Grotius*, Hebræorum de lege se non interficiendi unam causam excipiunt, si quis videat se deinceps victurum in probrum ipsius Dei, vel si per αὐτοχειρίαν Dei intendatur gloria & divini nominis ignominia declinetur. Jam cum non nobis, sed Deo in vitam nostram jus sit, existimant aliqui, præsumtam Dei voluntatem solam esse, quæ mortis anticipandæ consilium absolvat. Et huc referunt Exempla *Saulis*, *Samsonis* & *Raziæ* Senatoris Hierosolymitani.

IV. Hebræi, quamvis factum hoc improbent in thesi; tamen *Saulem*, qui sibi ipsi mortem conscivit 1. *Sam*. XXXI. 4. ea in re à peccato absolvunt. Sic enim ad hunc locum scribit *R. D. Kimchi*: Etiamsi scriptum sit; Veruntamen sanguinem vestrum ab animabus vestris (h. e. à vobis ipsis) requiram; si scilicet occidatis vosmet ipsos אע"פי כן לא חטא tamen non peccavit Saul: (1.) Quia sciverat, se in bello certò occubiturum; id enim Samuel ipsi nuntiarat (1. *Sam*. 28. 19.) & ex istius vaticinii in filiis suis impletione de proprio quoque fato certus erat. (2.) Quia vidit, se à Sagittariis esse ita oppressum & cinctum, ut elabi ex illorum manibus non posset, melius fuit, ut seipsum occideret, quàm ut ipsi incircumcisi illuderent & cum dedecore atque ignominiose ab ipsis interficeretur. Et sic à Regula generali, de non occidendo seipso, excipitur Saul, in *Bereshit Rabba ad Gen*. IX. 5. Id quoque probat R. *Abarbanel* & R. *Mardochæus* in לבוש עטרת זהב in הלכות אונן Verum ad hæc Rabbinorum dicta respondemus (1.) Qui hoc *Sauli* prædixit, non verus fuit *Samuel*, sed spectrum potius diabolicum, à Pythonissa artibus illicitis, sub specie *Samuelis* repræsentatum; unde non ita certè huic vaticinio credere potuit vel debuit: notum enim est, Diabolum ad seducendos homines, aliquando vera falsis miscere. (2.) Prædictio hæc quia illicitis artibus erat elicita, suspecta ipsi esse debuit, ceu eò directa, ut ipsum ad desperationem adigeret, & sic peccatis peccata cumularet. (3.) Quia eâ non jubetur seipsum occidere, sed dicitur simpliciter illum crastino die moriturum, nec quicquam aliud. Debuit ergo mortem expectare, non eam sibi accelerare & inferre. Qui sic moritur, non moritur, sed occidit. (4.) Quia sic facile concludi posset, cuivis vel ad mortem damnato, vel præsentem mortem præ oculis habenti, lice-

licere sibi ipsi manus inferre. Atque hic nec Christus, nec Apostoli & Discipuli (Juda excepto) nec sancti Martyres fecerunt, sed expectarunt ut ab aliis juxta voluntatem Dei occiderentur. (5.) Qui in has angustias rediguntur, debent cogitare, se à Deo tradi in manus hominum, & propterea vel fortiter pugnando occumbere, vel si evitare nequeant, hostibus se tradere, & quò Deus eos vocat, patienter ferre. Confer. de *Saulis* αὐτοχειρίᾳ disserentem cl. *Jonam Conradum Schramm. in not. ad Abarbanel. edit. Helmstad.* 1700.

V. Posito autem aliquem certò prævidere, se posthac in probrum Dei victurum, uti *Grotius* vult, αὐτοχειρία tamen non est medium legitimum, malum illud præcavendi, cum expresso Dei mandato sit prohibita, mala verò nunquam perpetranda sunt propter bonorum proventum. Quin potius eventus Deo permittitur vel permittendus, qui miris modis innocentiam nostram potest asserere, talem hominem vindicare & gloriam suam demonstrare. Certa quoque prævisio, se victurum in probrum Dei, non statim dat præsumtionem sufficientem voluntatis divinæ de semetipso interficiendo. Præsumtio ex certo signo provenit, quod cum hîc desit & contrarium potius ex præcepto de non occidendo colligi possit, itaque una alteram tollit. Ad Exemplum *Samsonis* quod spectat, ubi ille suæ mortis auctor, *moraliter* tamen non fuit αὐτόχειρ, sed fortiter agendo pro vindicta divinæ gloriæ occubuit, uti pluribus ostendit celeb. *Christian. Rohrensee in dissert. morali de cæde hominis in hominem edit. Witteberg.* 1675. §. 12. conf. cl. *Buxtorffii dissert. ad præcept. sext. edit. Basil.* 1663. Quod ad tertium exemplum *Raziæ* attinet, nihil hoc probat, uti firmis argumentis probavit prælaudatus *Buxtorff. l. c.* qui evolvatur. Huic adjungatur *celeb. Rohrensee Disput. cit.* §. 12. & cl. *Jonas Conrad. Schramm. de Saulis* αὐτοχειρίᾳ, qui omnes ad oculum falsitatem demonstrarunt.

VI. Verum propositi nostri non est, diutius huic controversiæ inhærere & Saulis αὐτοχειρίαν defendere, cum apud Judæos illa fuerit tam odiosa, ut hominem sepulturâ privet, uti ex *Josepho* & *Egesippo* supra probavimus. Omissis enim nunc obstantibus præceptis, de non occidendo homine, generalibus, absque ulla subjectorum, jura ad id non habentium, exceptione,

secun-

ſecundum *Auguſtin. de C. D. cap.* XX. propoſitis, qualia ſunt *Exod.* XX. *Gen.* IX. 6. conſtat quoque ex *Joſepho lib.* 3. *de Bell. Jud. c.* 25. in ipſis Judæis adeò fuiſſe nefandum hoc facinus, ut factis juſtis funeralibus non fuerint ſepulti, qui ſe è medio morte violenta ſuſtulerant. Quod *Sauli* quoque contigiſſe, quanquam à *Philiſtæis* divinæ voluntatis inſtrumentis, non poſſunt negare Judæi; ſic aliis populis frequens fuit hic mos, ut αὐτοχέιρες inſepultos relinquerent: vide *Alexandrum ab Alexandro Genial. Dier. lib.* V. *c.* 18. *in fin.* Ita *Calchas* apud *Philoſtratum* putabat, οὐχ ὅσιον πυρὶ θάπτεσθαι οἱ ἑαυτοὺς ἀποκτείναντες, *non decere* eos igne comburi, qui ſeipſos interfeciſſent: vid. *Kirchman. de funer. Rom. lib.* I. *c.* 3. Hodie quoque juſta & ſolennis ſepultura iis, qui ſibi ipſis manus violentas intulerunt, ægre conceditur juxta *Canon. in c. placuit* 23. *q. v. arg. c. ex parte* II. 10. *de Sepultura*; ſed hac privantur, eorumque cadavera per feneſtras dejecta vel ſub domus limine extracta in locum infamem cadaveribus deſtinatum projiciuntur. *Everhardus Jun.* II. *conſil.* XXIII. *Schneidewin.* ad §. *religioſum. Beuſt. ad l. admonendi num.* MCLXXIX. ff. *jure jurando* & *Gloſſa* im Landrecht lib. II. art. xxxi. num. 3. lit. 6. Man ſoll ſie / αὐτοφόνους, zu recht auf keinen kirch hof begraben / noch fur ſie bitten / quæ dicitur canina & Aſinina ſepultura: vid. *Philipp. Knipſchild. de jur. Civit. Imper. l. v. c.* XX. *num.* XXXV. *Speidel. in Specul. tit.* begräbnis. *Chriſtoph. Falckner. de* αὐτοχειρίᾳ *cap.* 3. §. 4.

VII. Et licet 1. *Samuel. cap.* XXXI. v. 13. dicatur, quod habitatores *Jabes Galaad* cadaver *Saulis* ſepeliverint; attamen ſolennis ſepultura Regia non fuit. Unde *Kimchi* eum non fuiſſe integrum ſepultum putat, quod parum videtur honeſtum, corpus ejus unà cum vermibus ſepelire. Recte ergò cremationem factam dicit *Abarbanel*, quod caro *Saulis* vermibus fere fuerit exeſa, cum aliàs non fuiſſet cremata, ſed humo pro more Judaico tecta. Dignus ergo *Saul* non fuit, ut corpus ejus totum, & quidem juſtis exequiis ſepeliretur, aut utenſilia in ipſius honorem, quod cæteroquin regibus glorioſum, igni mandarentur; id quod pœnam manifeſtam involvit, quam Scriptura non reliquit intactam, ut cognoſcamus quam abominanda horum facinoroſorum cadavera ſint & coram Deo & hominibus. Quod autem in textu oſſa ſepulta dicantur; intelli-

telligendum esse putamus sine susceptis regalibus exequiis aliàs usitatis. Id quod etiam celeberrimi Jurisconsulti paulo ante citati testimoniis satis approbarunt. *Josephi* verba, quæ §. 1. adduximus & à *Grotio* male adducta legimus, quoniam in hoc loco nihil tale reperitur, ita intelligenda putamus, quod non simpliciter tales insepultos abjici velit, cum addat *usque ad Solis occasum*, & sepulturam ipsis æque ac hostibus indulgeat. In hodierno Jure Hebræorum non legitur, quod insepulti sint abjiciendi; sed quod non ea solennitate & pompa, ut cæterorum, vel mors lugenda, vel corpus condendum sit: *Qui sibi ipsis mortem inferunt*, ajunt, *super eo nec lugent, nec plangunt, nec vestes lacerant, nec pedes discalceant, nec quicquam eorum faciunt, quæ in honorem mortuorum aliis fieri solent. Funus tamen comitatur, sed unam tantum precationem super eo recitant, quæ vocatur* ברכת אבלים precatio Lugentium, *in honorem & solatium vivorum, non mortuorum, qui nullo honore digni sunt, quia peccatum magnum commiserunt.*

VIII. Refert *Gyraldus de vario sepeliendi ritu cap.* XI. hoc supplicium in patricidas & matricidas, sacrilegos, antiquos irrogasse, *Josepho* & *Egesippo* testibus. Ægyptiorum leges parricidas articulatim præacutis calamis cæsos jubebant vivos supra spinarum acervum comburi, maximum inter mortales judicantes scelus. Vid. *Diodor. Sicul.* De pœna parricidarum jure Romano, videatur citatus *Gyraldus*, qui ita literis tradit: Quos tamen parricidas Romani in culeum cum simia, gallo & vipera insutos in mare vel flumen projicere solebant. Quod supplicium hodienum vigere cum *Berlichio Conclus. Practic. pag.* IV. *conc.* VI. *n.* VI. *Daniel Moller. ad Consist. Elect.* III. *p.* IV. *n.* XI. Dominus *Benedict. Carpzovius prax. Crim. p.* I. *q.* IIX. *n.* XV. adserit. Plura qui de hac pœna legere desiderat, evolvat dissert. Juridico-Philologic. de pœna parricidii *celeb. Zachariæ Huberi ICti quæ prodiit Franequer.* 1702. confer. *doctiss. Joh. Faes annot. ad Gyrald. pag. m.* 342. *edit. Helmstad.* qui etiam de aliis personis egit, quibus sepulcrum denegatum. De his etiam fuse disserit *D. Quensted. de Sepultura Veter. pag. m.* 50. 51. *seq. edit. Witteberg.* 1660.

IX. Constat hinc, quod maxima ignominia sit, si cadaver insepultum relinquatur, testantur hoc & Sacri & profani Scriptores, quorum testimonia longa serie produxit sæpe laudatus

datus *Quenst. cap.* IV. *de Sepultura Veter. pag. m.* 56. 57. Confer. Tract. nost. de luctu Græcorum, ubi quoque varia referuntur testimonia. Testantur etiam hoc Jurisconsulti gravissimi, quod pœnarum gravissima sit omnium insepultum manere in ignominiam. Unde etiam apud Judæos insepultum abjici aut relinqui pro summa habebatur ignominia & infelicitate. Est enim inter pœnas *Jesabeli* comminatas atrox illa: *Non erit qui sepeliat eam*, 2. *Reg.* IX. 10. Apud *Ecclesiast. cap.* VI. 3. Et sepultura non est ei, dixi, melior est eo abortivus. Evolvantur hîc *annot. doctiss. B. Geieri*, & lectu digna reperiet lector *pag. m.* 210. 211. Non enim pars minima infelicitatis erat sepultura carere, ut annotat ad hunc locum *Drusius in Prœterit. lib.* X. *ad Apocal. cap.* XI. V. 9. Notæ sunt graves illæ comminationes Dei apud *Jerem. Non colligentur & non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt, Jerem.* VIII. 2. id quod Grotius benè explicat dicens: *Non colligentur* i. e. Eorum qui tum moriuntur corpora, non deferentur ad monumenta Majorum. *Et non sepelientur;* imò ne commune quidem omnibus, quale pauperibus dari solebat, sepulcrum continget. Ita quoque apud *Jeremiam capit.* XXII. 19. Deus *Joacimo* minatus erat sepulturam asini, quod dignior esset consortio bestiarum, quam hominum, qui ab illis etiam post mortem humatione separantur. Hinc adagium: Sepultura asini sepelietur, i. e. sine sepultura relinquetur. Græci ἄταφον τάφον sepulturam asini vocant, & juxta *Ciceron. Philip.* 1. dicas insepultam sepulturam. Est autem asini sepulcrum sordidus aliquis locus & apertus, qui neque tegat cadaveris horribilem & obscœnam speciem, neque canes aut volucres à laceratione prohibeat, uti B. *Carpzovius* ex *Kimchio in notis ad Schickardi* משפט המלך *pag. m.* 251. *edit. Lipſ.* bene explicat, cujus verba Latine donavit sequentibus: *Sepulturam asini sic intelligit: quemadmodum asinus non sepelitur, ita etiam ille non sepelietur. Quomodo enim sit sepultura asini? trahunt eum & projiciunt in sterquilinium. Similiter trahent cadaver Jojakimi & projicient illud extra portas Jerosolymorum.* Hoc ipsum exemplum allegat *Samuel Petitus lib.* 1. *Var. Lect. c.* V. *pag.* 25. ut confirmet, commune quidem jus fuisse apud Hebræos, ut sepelirentur suspensi; sed non omnino dubitandum, quin insepultos abjecerint illos,

illos, in quos gravius sævitum ire volunt Judices. Id quod ex eo etiam confirmat *Balduin. Wal. Comment. in N. T.* & negat B. *Geier. in Tr. de luctu Hebr.* Nec videtur firmo stare talo, quod asserat ad hanc projectionem destinatam vallem Hinnon esse, uti suspicatur ex verbis Davidis *Psalm.* XXVII. *E quibus verbis*, inquit Petitus, *colligimus, primo in hanc γεέννων Hinnonis vallem projecta fuisse insepulta cadavera; secundo, ubi cadavera putruissent, ossa illorum fuisse igne combusta, qui huic fini perpetuo ardebat in hac valle.* Verum vix probabit Petitus, quod voluit. Asseritur quidem cadavera & inquinamenta in vallem Hinnon projecta fuisse, uti *Kimchi*, at non hominum supplicio affectorum, de quibus ne γρῦ quidem; sed brutorum cadavera intelliguntur. Sensus verborum Rabbini, ad quem provocat *Petitus*, hic est, *Gehenna fuit prope Jerosolymas & locus quidem fœdus, quò sordes & cadavera abjiciebant, ac fovebatur ibi ignis perpetuò ad comburendum sordes & ossa.* Et hæc sufficiant de iis, quibus Sepulcra denegata.

CAPUT VII.

De Sepulcris Nobilioribus Familiarum.

I. Hactenus actum fuit de Vulgaribus Hebræorum Sepulcris, nunc pedem movemus & nos conferimus ad *Nobiliora Sepulcra.* Erant autem illa constructa pro hominibus nobilioribus ejusdem familiæ in eodem loco sepeliendis. Dicebantur hæc à familia, quæ quis sibi familiæque suæ constituerat. *Familiare* ergo sepulcrum ad familiam, etiamsi in ea nullus hæres esset, ac hæredes etiam extraneos pertinebat ex *leg.* 13. *C. de Religios.* non verò ad affines aut cognatos hæredes non institutos. His enim nullum inferendi jus fuit ex *leg.* 8. *C. de Religios. & sumpt. Fun.* Sed hæc sibi invicem contrariari videntur, igitur respondet *Treutler. Cons.* 58. *n.* 249. procedere, quando in ultima voluntate dispositum reperitur, aut in contractibus per instrumenti tenorem, vel per pacta Majorum sic conventum sit, ut *Sepulcrum familiare* sit toti *Familiæ* commune in aliquo loco religioso; & tunc omnes habere jus sepeliendi,

liendi, qui censentur de familia, nec per divisionem ad unum posse devenire. Secus autem esse, si sepulcrum sit destinatum ei soli, cui universitas bonorum loci obvenit, vel qui domicilium ibi habet cum jure Patronatus, tum enim id ad alios cognatos non pertinere ex *l.* 8. confer. *Jac. Guther. de jure Manium lib.* 3. *pag. m.* 464. *edit. Lips.* 1671. Hinc apud Romanos sepulcris familiaribus hæ literæ inscribebantur, H. M. H. N. S. i. e. *hoc monumentum hæredes non sequitur.* Familiæ autem significatio ad liberos quoque refertur, & communi jure familiam dicimus omnium agnatorum, qui sub unius potestate fuerunt ex eadem domo & gente proditi.

II. Hæc juris Romani dicta & ritus optime cum Hebræorum ritibus & juribus conveniunt. Nam si *Patriarcharum sepulcra* consideramus, illa etiam *familiaria* erant, in quibus cadavera ejusdem familiæ condebantur & sepeliebantur; quamobrem *Abraham* pretio emebat locum sepulturæ, ut postea totius familiæ suæ cadavera illuc conderentur. Recte hinc *Ainsworth.* commentatur, quod *Abraham* speluncam & agrum emerit *for a monument to posterity*, quod clare indicatur *cap.* XLIX. *Genes.* v. 31. *L.* 13. *Jos.* XXIV. 3. *Act.* VII. 16. Calculum his addit *Thomas Fuller in Pisgah-sight of Palestin. lib.* 2. *cap.* 13. *fol.* 274. *edit. Londin.* ita disserens: *Near Hebron was the cave of Machpelah, purchased by Abraham of Ephron the Hittite with the field about it, and all the tree therein at the price of four hundred shekells of silver, for the buring of Sarah, him self and his family.* Quibus verbis expresse significat locum hunc ab Abrahamo emptum fuisse, ut sit futurum Sepulcrum totius suæ familiæ. Hinc *Jacobus* in Ægypto moriens in nullo alio loco sepeliri voluit, quam in *Sepulcro familiari.* Cur autem Jacob & Joseph in eodem sepulcro familiari seu familiæ sepeliri voluerint, rationem dant *Rabbini* hanc, quod crediderint *terram Israëlis esse terram viventium*, de qua in *Psalm.* CXVI. 9. dicatur: *Ambulabo coram Domino in terris viventium.* Hinc Patres operam dedisse, ait *Abarbanel*, ut corpus suum veluti תשמיש קרושה *ministerium sanctitatis* benè custodirent: Quare pergit: *Quoniam traditione acceptum tenebant, quod terra Israëlis esset terra viventium, in qua speranda sit resurrectio mortuorum, & quod omnes Israëlitæ extra hanc terram mortui per terræ cavernas revolvendi sint in tempus resurrectionis,*

ctionis, donec in eam perveniant, propterea eò laborarunt, ut ſepelirentur ibi.

III. Communis hic eſt Judæorum de גלגול המתים *revolutione mortuorum*, quam & *revolutionem cavernarum* vocant, error, quaſi omnes, qui extra terram Iſraëlis mortem obirent, per ſubterraneos meatus ad terram Iſraëlis non ſine anguſtia revolvantur. De qua paſſim agunt Hebræorum Doctores, quorum teſtimonia diligentiſſime conquiſita expoſuit plur. *Reverend. Daſſov. de reſurrect. Mort. cap.* VI. *p.* 187. *ſeqq.* Idem ergo ſanctiſſimos *Patriarchas Jacobum & Joſephum* in animo habuiſſe, in *Cananæa* ideò ſepeliri cupientes, ut anguſtiam revolutionis cavernarum averterent, neque ex *Ægypto* per peniſſimos terræ meatus, inſtar dolii vinarii eò devolvi cogerentur, vulgus Judæorum credunt, à ſuo *Raſchi* ſic edocti, qui ad *Geneſ.* XLVII. 29. mandatum *Jacobi Joſepho* de corporis ſui tranſlatione datum expoſiturus diſertè hoc inter cauſas allegat, quaſi dixiſſet Patriarcha: שאין מתי חוצה לארץ חיין אלא בצער גלגול מחלורת *Quia qui extra terram promiſſam moriuntur, non reviviſcunt, niſi per dolorem revolutionis cavernarum.* Alias quoque rationes & figmenta Rabbinorum adduxit cl. *Joh. Benedict. Carpzov. in diſſert. de Sepultura Joſephi Patriarchæ edit. Lipſ.* 1697. quæ omnes deſiderium Patriarcharum falsò exponunt, cum altius conſcendiſſe putandus ſit ſanctiſſimus Patriarcha cum cæteris familiæ ſuæ.

IV. Non itaque hujus deſiderii cauſa fuit tàm naturalis affectus, quàm (1.) terræ Canaan promiſſio. (2.) Eccleſiæ conjunctio. (3.) Meſſiæ expectatio. (4.) ſperata cum Chriſto reſurrectio & reſuſcitatio, docente B. *Gerhardo* in h. l. Bene quoque D. *Calixtus in Geneſ. Locum.* Naturæ aliàs conſonum eſt deſiderium, ut cupias, corpus tuum vita functum oſſibus Majorum, eorumque quos amaveris, conjungi. Hoc tamen non tam reſpexiſſe videtur *Jacob*, quàm teſtatum iviſſe fiduciam ſuam de adimplendis divinis promiſſionibus. Quæ ſane rationes Rabbinorum figmenta longe lateque ſuperant. Voluerunt ergo Patriarchæ in uno familiari Sepulchro condi, ut tam naturalem, quàm myſticam conjunctionem ſignificarent. Judæis quoque quoad naturalem affectum moris erat & conſuetudinis, ut ſcil. uno ſepulcro conjuges & qui fide & amore inter ſe mutuo inſigni fuiſſent, clauderentur. Unde *Jo-*

ſephus Gen. XLVII. 29. mandat: Ne ſepelito me in Ægypto; ſed ubi cubuero cum patribus meis reportabis me; & ſepelies me in ſepulchro eorum. Dicit poſtquam cubuero, i. e. in mundo animarum, ubi erit anima mea cum animabus eorum, & ero in tabulato eorum, æquum eſt, ut nunc corpus meum ſtatim cubet cum corpore eorum. Et ſepelies me, &c. ut nempe corpus ejus eſſet cum corpore eorum, ſicut anima ejus erat cum animabus illorum. Ergò *Cubatio cum patribus* dicitur de conjunctione animarum & *ſepultura* de corpore: vid. *celeb. Joh. Meyer. annot.* ad Seder olam *pag. m.* 685. Ita docet *Abulenſ.* 2. *Reg.* XV. *q.* 14. & ex eo *Lorin.* in *cap* V. *Actor.* V. 10. Et probant hoc exempla. Nam *Abraham* & *Sara Geneſ.* XXV. 10. *Iſaac* & *Rebecca Gen.* XLIX 31. *Jacob* & *Lea* eodem tumulo clauſi ſunt. Hinc *Sanctius in cap.* 11. *Act. p.* 79. In ſepulcra illa (Hebræorum familiaria) non unum tantum ferebatur cadaver, ſed tota familia in illa jus habebat quaſi hæreditarium, quare in Sepulcro Abrahami conditi ſunt poſtea Iſaac & Jacob, & ſæpe poſteri incluſi dicuntur in parentum monumentis. Et inde natus eſt dicendi modus: Dormire cum patribus ſuis & apponi ad parentes ſuos.

V. Familiarium Sepulcrorum nomine veniunt etiam Sepulcra *Regum Judæ* & *Regum Iſrael.* De priorum Sepulcris extat 2. *Par.* XXI. 20. quod *Joram ſepultus quidem fuerit in civitate David; veruntamen non in ſepulchro Regum.* De hoc rege itaque Scriptura affirmat, quod dignus habitus non ſit regum Judæ ſepulcris. Ita de *Ozia* legimus 2. *Par. cap.* XXVI. 23. quod ſepultus fuerit in agro Regalium ſepulcrorum non in ipſis regiis ſepulcris. Ex his clare elucet *Reges Judæ* peculiaria habuiſſe ſepulcra; ſed ubi hæc fuerint, diſquiritur? Scripturam ſi evolvamus conſtat, Reges Judæ ſepultos fuiſſe in civitate *David* 1. *Reg.* 2. 10. intra civitatem Jeruſalem ad *montem Zion* 1. *Reg.* XI. 43. XIV. 31. XV. 8. XXIV. 22. 2. *Reg.* VIII. 24. IX. 28. XII. 21. 2. *Chron.* IX. 31. & quæ alia loca plurima ſunt. De hoc autem *Davidis* Sepulcro, quod in civitate David (vel juxta *Quares. lib.* IV. *eluc. terræ S. peregr. c.* VI. in pomœrio civitatis David) magnificè in ſublimi collocatum erat (& quidem ut videre illic eſt) in extremitate montis *Zion* ſeu propè mœnia, in quod *Salomon* maximas intuliſſe dicitur divitias, conſuli poteſt *Adrichom. theatr. ter. S. fol.* 152.


152. *n.* 22. & *Quaresmius* tanquam oculatus testis, (qui tamen id extare adhuc negat) *l. c. & c.* VIII. item *Villalp. t.* 2. nec non *Pineda l.* 8. *rer. Salom. c.* 3. Quæ *Benjamin Tudel. itiner. p.* 45. 46. *edit. l'Emper.* affert de duobus viris ætate sua ostium speluncæ reperientibus &c. cum Judaicam fabulam spirent, auctori relinquimus.

VI. Potius inspici poterit *Josephus lib.* VIII. *Antiq. Jud. c.* XII. & *lib.* XVI. *c.* XI. item quæ de duratione sepulcri hujus deque occultatione cadaverum regiorum conjicit *Villalp. appar. part. lib.* 3. *c.* 17. *fol.* 195. qui ipse *fol.* 196. ex *Joh. Zuallardi hodœp. Hieros.* lingua Italica conscripto refert, *Sepulcra Regum Juda partim in Sion; partim prope portam Ephraim extra civitatem reperiri.* Videatur de his pluribus disserens B. *Geier. in Tract. de luctu Hebræorum cap.* VI. *pag. m.* 120. 121. §. 9. Nos ex *Thoma Fullero in Pisgah-sight of Palestine lib.* 3. *cap.* VII. *fol.* 335. asserimus, *sepulcra Regum Judæ in monte Sion fuisse. Johannes Lightfoot in Chorograph. cap.* XXII. *pag. m.* 46. montem Zionis ad partem urbis aquilonarem refert, nixus rationibus quibusdam *Psalm.* XLVIII. 2. *Gaudium totius terræ est mons Sion à latere Boreali.* Ubi Aben Ezra *Mons Sion est à latere Hierosolymæ Septentrionali*: & Lyran. *Mons Sion est in Aquilonari parte Hierusalem*: conf. *Othon. Lexic. Philolog. pag. m.* 606. Verùm hîc non calculum addimus doctissimo *Lightfoot*, quippe hic mons *ad Meridiem*: vid. *Lorin. Comment. in Psalm. hunc fol. m.* 963. conf. *Martin. Lexic. Etymolog. fol. m.* 3653. & inde probari nequit ad partem aquilonarem urbis referri posse montem. Recte B. *Geier. comment. in h. l. pag. m.* 948. scribit: Monti (ad meridiem sito) annectitur vel adhæret infra ad radices montis versus Septentrionem urbs Jerusalem. Videatur hîc mappa *Thom. Fulleri in Pisgah-sight*, & res clara evadet. In hoc monte *Sepulcra Regum Judæ* erant, uti ex aliis recenset cl. *Hottinger. in annot. ad Cipp. Hebr. pag. m.* 25. *Edit. Heidelb.* 1659.

VII. Juvat hoc loco recensere, quæ doct. *Thom. Fuller. in Pisgah-sight of Palest. lib.* 3. *cap.* VII. *fol.* 335. *edit. Londin.* literis tradidit: *And now*, scribit, *to shew the frailty of humane happinesse, passe we from the palace of these Kings to their BURYING PLACE seeing SION in a double respect may be called the*


West-

Westminster of Jerusalem, because the Kings thereof resided there while living, and rested when dead. En tibi Benevole Lector hoc loco non totam Topographiam montis Sionis sistimus, sed domum Davidis, ut ex ea facilè cognoscatur, ubi Regum Judæ sepulcra sita fuerint.



Ita quoque peculiaria Sepulchra habuerunt *Reges Israel*, uti constat ex 2. *Paral.* XXVIII. 27. 2. *Reg.* XIII. 13. XIV. 61. de quibus in sequentibus.

VIII. Horum nobiliorum sepulcra alia fuerunt quoque *solitaria*, cujus generis fuit (1.) Sepulcrum *Rahelis Gen.* XXXV. 20. in honorem à Jacobo ipsi erectum. Cum nunc & Rahel sepeliri debuisset in loco, ubi Familiare sepulcrum majorum suorum; nihilominus nobile ipsi parat monumentum *Jacob*, quod eleganter Moses descripsit. Nam מצבה hoc loco non nudam statuam significat, uti multi volunt, sed monumentum ex variis lapidibus constructum, statuâ superimpositâ. Bene Lu-



pag. 153.



Lutherus exponit: ein grabmahl. Confer. *Frider. Muller. Tract. de statuis lib.* 2. *cap.* IV. *pag. m.* 9. *edit. Giss.* 1664. qui per monumentum ex pluribus lapidibus collectum exponit, cui assensum videtur præbere *Benjamin Tudelens. in Itinerar. pag.* 47. hoc *Rachelis* sepulchrum ita describens: quod nimirum excitatum fuerit è duodecim lapidibus pro numero filiorum *Jacob*, & testudine quadam, quæ columnis quatuor innititur, tectum, in cujus cippi lapidibus omnes Judæi, quotquot transeant, nomina sua inscribant. Ejus formam quoque ab *Adrichomio in descript. Terr. sanct. fol.* 19. *n.* 101. *Quaresm. lib.* VI *peregrin.* I. *cap.* XI. & aliis exhibetur: vid. *Brocard. Monach. in* I. *part. descript. Terræ sanctæ cap.* VII. *pag.* 56. *Thomas Fullerus in mappa Terræ Moriæ*, hoc ita conspectui nobis exhibet sepulcrum seu



monumentum, quod veritati magis accedit, quam illud quod Auctor cipporum ex *Benjam. Tudelens.* ostendit, quamvis negare non velimus, fieri potuisse, ut sequioribus temporibus Judæi illud splendidius ædificarint sepulcrum. Audiamus ipsa verba Auctoris *cipporum Hebraic. pag. m.* 10. *seq. edit. Heidelberg.* 1659. Prope eam (Bethlehem Jehuda) *sepulchrum Rachelis*, matris nostræ p. m. in via, cui imposita est structura pulcra, cujus hæc est figura:



Quis ita crederet hanc structuram à Jacobo exstructam fuisse, cum forsan ille ex rudibus & impolitis lapidibus monumentum erexerit, id quod illis temporibus usitatum. Accedit etiam hoc, quod festinando hoc monumentum erectum, aliàs non opus habuisset, quia *Sepulcro familiari* mandari corpus potuisset. Hinc recte doctus Anglus *Thom. Fuller. in Pisgah-sight of Palestine lib.* 2. *cap.* 14. *fol. m.* 298. *edit. Londin.* concludit: *it seems, dynig in child-bed her corps required speedy interment: other wise (no doubt) Jacob would have conveyed them*

ee the CAVE OF MACPELAH the solemn sepulcer of his family.

IX. Hûc referendum (scil. inter solitaria sepulcra) quoque putamus *Sepulcrum Aaronis*, de quo legimus *Deut.* x. 6. Sepultus fuit Aaron extra terram Canaan ob transgressionem commissam: vid. *Ainsworth. Comment.* in *h. l. fol. m.* 37. *edit. Londin.* Similiter *Sepulcrum Mosis Deut.* XXXIV. 6. Mosen sepultum esse in terra *Moabitarum* & quidem à Deo constat citat. loco. Hîc Scriptores nonnisi generaliter locum designant; ita enim *Zeilerus Centur.* IV. *Var. Quæst. q.* 2. scribit: Moses ist auf den hochsten gipfel des bergs Nabo / Pfasge genant gestiegen/ daron er das gantze gelobte Land ubersehen / hernach gestorben / und gegen Phogor begraben worden / ist so derjenige berg / auf welchen der warsager Balaam von den Moabiten Konig Balack gefuhret worden im 4. buch Mos. am 23. Similiter *Eutych. Patriarcha Alexandrin. in Annal. Et mortuus est Moses in regione Moab, & sepultus in valle in terra Moab.* Errat verò *Hornius*, quando in *Comment. ad Sulpit. Sever. Saido Batric.* tribuit, quasi de Moyse scribat: *Et sepultus est in monte Hur*: cum manifestum ex toto contextu sit, de *Aarone*, haut quaquam verò de Mose, à *Saido* isthæc dici. *Mosen* itaque mortuum & sepultum non solum Scriptura testatur, sed ex pluribus testimoniis illustravit B. *Joh. Ernest. Gerhard. in dissert. de Sepultura Mosis edit. Jenens.* 1684. *cap.* III. *&* IV. ubi rejectis Rabbinorum figmentis ministerio Angelorum conditum affirmat in valle. Conf. *Ainsworth. Comment. in Deut.* XXXIV. *fol. m.* 167. D. *Quensted. de Sepultur. veter. pag. m.* 262. 263. *edit. Witt.* 1660.

CAPUT VIII.

De Sepulcris Hebræorum Communibus hæreditariis.

I. Multa etiam Sepulcra apud Hebræos communia erant, quæ tamen Communio non ubique eadem fuit. Alia enim erat *hæreditatis*: alia *honoris*. *Communia* appellabantur respectu *familiæ*, aut *hæredum*, aut *posterorum*, qui inferendi jus habebant commune. Hinc *Ausonius Epitaph.* XXXVII.

Me


pag. 155.
Sepulchrum Sampsonis.
Estaol.
Zorah.

Me sibi & uxori & gnatis, commune sepulcrum
Constituit, seras Carus ad exequias.

Communia hæc *Sepulcra* erant etiam *hæreditaria*, quæ auctoribus *Cajo* & *Ulpiano*, *quis sibi hæredibusque suis paraverat, vel jure hæreditario acquisiverat.* In his (quæ & Gentilia aut Gentilitia, vel patria, avita & Majorum monumenta nuncupantur) hæredibus & qui hæredum loco erant sepeliri licebat, etiam illis, quibus hæreditas tanquam indignis ablata, ut docet *Ulpian. D. de Religios. & sumpt. funer. l.* 33. confer. *Jacob. Guther. de jure Manium lib.* 3. *pag. m.* 470. *edit. Lips.* 1671.

II. Horum sæpe in Scriptura Sacra fit mentio; unde Sepulcra patria; quale fuit *Gideonis*, *Judic.* VIII. 32. *Mortuus est Gideon filius Joas in senectute bona, & sepultus est in Sepulchro Joas patris sui in Ephra de familia Ezri*, jure scil. hæreditario: vid. *Thom. Fuller. Pisgah-sight of Palestin. lib.* 2. *cap.* 8. *fol.* 175. *edit. Lond.* Huc pertinet quoque *Sepulcrum Samsonis*, *Jud.* XVI. 31. Postquam enim ille ædificium, ubi Philistæorum Principes hilariter vivebant, subvertisset, & ipsemet cum illis mortuus esset; descenderunt fratres ejus & universa domus patris ejus & tulerunt eum —— *sepelierunt inter Zarea & Esthoal in sepulcro Manuah patris sui.* Locus Samsonis clare hoc loco indicatur, quod fuerit inter *Zorah* & *Estaol* duas civitates in tribu *Dan.* Hîc *Simson* natus & educatus & post obitum sepultus in sepulcro patris. Vid. *Thom. Fuller. Mapp. ad trib. Dan.* ibi Sepulcrum *Simsonis* hoc modo conspicitur. Nec dubitatur quin sequentibus temporibus fratres hoc ipsum patris sepulcrum occupaverint.



Refertur huc sepulcrum *Asahelis*, 2. *Samuel.* 2. 32. *Et tollentes Asaelem sepelierunt eum in sepulcro patris sui in Bethlehem.* Non quidem in ipsa urbe, quia Judæis prohibitum erat cadavera in ipsis urbibus condere, sed extra urbes; Ita asserimus cum aliis *Sepulcrum Asaelis* non in ipsa urbe Bethlehem, sed paulo à via tendente ad Hebronem dissitum fuisse juxta sylvam quandam, uti ostendit Anglus doct. *Thomas Fuller. in Pisgah-sight of Palestin. in mapp. Terr. Moriæ.* Nam Bethlehem Ephrata in via regia sita erat, ut per illam adscendentibus Hierosolyma,

eundum fuerit. Ut igitur eo melius de ſepulcro Aſaelis conſtet, tabella quadam hic ſitum depingemus:



Unde citatus Anglus *lib. 2. cap. 14. fol. m. 301. edit. Londin.* hæc addit verba: *South-ward we finde Aſahels ſepulcher buried in the grave of his Father.* Simili modo peſſimus ille conſiliarius *Ahitophel* conſilio irrito facto abiit & ſuſpendio fauces fregit, qui poſtmodum ſepultus eſt in *ſepulcro patris ſui*, 2. *Sam.* XVII. 23. Ita *Barſillai* dixit ad Regem 2. *Sam.* XIX. 37. *Liceat quæſo ſervo tuo ut redeam, utque moriar in civitate mea apud ſepulchrum patris mei & matris meæ.* Reſpuebat *Barſillai* honores oblatos à Rege modò ut in ſepulcro Parentum hæreditario ſepeliretur: hoc præ aliis omnibus ipſi deſiderabile erat. Quid dicemus de *Saule* Rege, cujus oſſa in ſepulcro *Kis* patris ſui ſepulta ſunt, 2. *Sam.* XXI. 14. Non ſepulcrum regium exſtruebat ipſi, ſed patris ſepulcro oſſa mandabat *David*. Obſervandum autem hoc loco eſt, quod viri ex civitate *Jabeſch-Gilead* oſſa *Saulis* in ſepulchro *Cis* patris non tumularint, ſed ſub quercu ſepeliverint, uti conſtat ex *cap.* X. v. 12. 1. *Paralip.* Ita etiam R. *David Kimchi* ad h. l. referente *Schickardo in* משפט המלך *cap.* VI. *Theor.* XIX. *pag. m.* 424.

III. Maxima erat injuria, quâ *Philiſtæi Saulem* poſt mortem afficiebant; ſiquidem cadaver ſuſpendebant, ut vermibus & avibus eſſet in eſcam; qua crudelitate moti cives in urbe *Jabes-Gilead*, profecti ſunt *Beth Schan* & abſtulerunt *Cadaver Regis*, igne combuſſerunt carnem & oſſa ſubter quercum terræ mandabant. Ordine recenſet doct. Anglus *Thom. Fuller.* in *Piſgah-ſight of Paleſtin. lib. 2. cap. 2. fol. m. 82. edit. Londin.* his verbis: *Out march all the valiant men in the City in the night*



pag. 156.
Ephrata Bethlehem
Sepulchrum Asaelis

night over Jordan: Sauls and his sons corps they took down from Bethshan, bring them home, burn the flesh, and bury the bones thereof under a tree neare the City. The Jews generally interring their dead under sone Oak, pleased perchance with the parallel, that as those plants seemingly dead in winter, have every spring an annuall resurrection: so mens dry bones shall have new sap put into them at the day of judgement. h. e. *noctu exibant omnes viri fortes trans Jordanem; Saulis & filiorum ejus cadavera tulerunt, attuleruntque domum, carnem cremabant & ossa sepeliebant subter quercum prope urbem. Judæi plerumque mortuos subter quercum sepeliunt, forsan hac ratione moti, quod cum hæc arbor tempore hiemis videtur mortua, attamen singulis annis quasi resurgat & virere incipiat: ita hominum ossa torrida tandem habitura sint succum novum in die Judicii.* Hoc facto David postea ossa hæc Saulis & Jonathanis sepeliri curavit in sepulchro Kis patris in *Zelah in Contrey of Benjamin* addit *Fuller*. l. c. non procul à monte ubi septem ex *Saulis* familia suspensi fuerunt, & Kis sepulcrum habuerit. Videatur hujus schema in Mappa Geograph. Terr. tribus Ephraim. Alia etiam communia Sepulcra erant illa, quæ *honor* communia faciebat, quale fuit Josephi cum Christo, quod commune fecit cum illo *Matth.* XXVII. 60. De quo uberius alio in loco dicturi sumus.

CAPUT IX.

De Regum Hebræorum Sepulcris.

I. Hactenus de variis Sepulcris egimus & etiam quædam de Regum Sepulcris adduximus in antecessum. Nunc de his in hoc capite pauca quædam tradere nobiscum constituimus. Observandum autem quod post regni divisionem etiam sepulcra distracta fuerint; Hinc diversa legimus Sepulcra, Regum *Judæ* & Israel. De horum sepulcro nihil, quod hîc spectet, reperimus: De illorum erudit. *Thomas Fuller. in Pisgah-sight of Palestin. lib.* 3. *cap.* VII. *fol. m.* 335. asserit in monte Sion fuisse. Itaque in hæc erumpit verba, quæ huc adscribere non pigebit, quando ita tradit: *The reader*

shall pay nothing but his pains in following me, whilest i shew him these royall remains. We may observe four gradations of honour in these interments.

(1.) Wicked Amon 2. Chron. XXXIII. 24. was burried in his own house (not under the roof, but within the verge of the wall thereof) and so was Manasseh, 2. Chron. XXXIII. 20. in the Garden of Uzzah, whose true but late repentance was effectuall to save his soul, but not his Kingdome from destruction.

(2.) Cruell Joram, who had not compassion whilest living, and therefore no bowels 2. Chron. XXI. 20. when dying, was burried by himself in the city of David and neither fire nor water, neither burning nor mourning made for him.

(3) Godly, but leprous Uzziah, being ceremoniously unclean, was interred in the field of the buriall which belonged to the Kings, understand it, within the suburbs, but without the walls of their solemn sepultures.

(4.) All the rest were intombed in a stately pleace set a part of that purpose.

II. Ex his ultimis Fulleri verbis elicitur, fuisse sepulcrorum Regiorum (1.) certum locum, communem Regibus sepeliendis. Vide historiam de *Joramo* 2. *Paralip.* XXI. 20. Joaso 2. *Paral.* XXIV. 25. Ahaso 2. *Par.* XXVIII. 27. (2.) *vicinum agro*, patet hoc ex 2. *Paral.* XXVI. 23. ubi dicitur *Asaria* seu *Usia* sepultus in agro sepulcri regii. *Josephus* quidem scribit, 9. *antiq.* 11. *f.* 320. in hortis suis sepultum; sed alii plures, prope sepulcra Regum communia, extra tamen sepultum opinantur, teste *Sanctio in* 2. *Reg.* XV. 7. *n.* 8. Aliàs non ignoramus ex prælaudati *Fulleri* verbis & Scriptura Sacra, fuisse in horto *Usæ* Reges *Manassen* & *Ammonem* sepultos: vid. 2. *Reg.* XXI. 18. 26. (3.) vaidè *capacem*. Leguntur enim hîc sepulti Reges, *David* 1. *Reg.* II. 10. Salomon 1. *Reg.* 11. 43. 2. *Par.* IX. 31. Rehabeam 1. *Reg.* XIV. 31. 2. *Par.* XII. 16. Abia 1. *Reg.* XV. 8. 2. *Par.* XIV. 1. Josaphat 1. *Reg.* XXII. 51. 2. *Par.* XXI. 1. Amazia 2. *Par.* XXV. 28. 2. *Reg.* XIV. 20. Jotham 2. *Par.* XXVII. 9. 2. *Reg.* XV. 38. Pontifex *Jojada*. Ita etiam recenset prælaudatus *Fuller. fol.* 335. *edit. Londin. Here was intombed* David, *the holy, the man after Gods own heart.* Salomon *the wise, when old, befooled by his wives:* Rehabeam *the simple, whose rigour*

rent

rent ten Tribes from his Kingdome. Abia *the wicked but valiant and fortunate in fight*, 2. *Chron.* XIII. 15. Asa *the upright whose heart was perfect all his days*, 2. *Chron.* XV. 17. Josaphath *the just, whose heart was lift up in the ways of the Lord*, 2. *Chron.* XVII. 6. Ahaziah *the Idolater, whose onely commendation was that he raigned but one year*, 2. *Chron.* XXII. 2. Joas *the backslider, the lease of whose goodness determined with his uncles life*, 2. *Chron.* XXIV. 2. Amaziah *the rash, worsted in a needless war against the King of Israel*, 2. *Chron.* XXV. 21. Joatham *the peaceable, who built the highest gate to the house of Lord*, 2. *Reg.* XV. 35. Ahaz *the profane who in the time of his distress, yet trespassed more against the Lord*, 2. *Chron.* XXVII. 22. Hezekiah *the pious who destroied the high places.* Josiah *the tender-hearted, who melted at Gods threatvings*, 2. *Chron.* XXXIV. 27. *denounced against the people of the Jews.*

III. Examinabimus hæc *Fulleri* dicta, & videbimus an omnes Reges Judæ in sepulcro Davidis sepulti fuerint? Notandum autem & observandum est, quod aliud sit sepeliri in sepulcro Davidis; aliud sepeliri in sepulcris Regum Judæ. Sepultura Regum proprie dicta est, sepeliri in spelunca à Davide facta, in qua sepultus etiam Salomo dicitur. Sepeliri autem in sepulcris Regum est, ubi Reges Judæ alii conditi sunt. Hinc *Joas* non sepultus dicitur in sepultura Regum, quia in morte non est honoratus, sicuti in vita sua: vid. annot. celeb. *Johann. Meyer. ad Seder Olam pag. m.* 941. Et *Assa* in suo sepulcro, quod sibi paraverat, 2. *Paral.* XVI. 14. *conf.* 1. *Reg.* XV. 24. Si igitur Assa sepultus fuisset in sepulcris Regum factis & paratis, non opus habuisset, ut aliud sibi proprium sepulcrum pararet, jam autem textus clare testatur posterius, quandò ita 2. *Paral.* XVI. legitur: *Et sepeliverunt in sepulcris, quæ pro se exciderat in civitate David.* Ergò colligitur aliud fuisse sepulcrum *Assæ* à sepulcris *Davidis* & *Salomonis* distinctum. Verùm hîc nihil obstat, ut affirmemus & Joas & Assàm sepultos in sepulcris Regum Judæ esse, quia additur in civitate David, quæ mons Zion fuit & civitas David appellatur & ἡ ἄνω πόλις civitas superior: vid. *Eduard. Simson. Chronic. Cathol. part.* 3. *fol. m.* 9. *edit. Oxon.* Non pugnat hoc cum aliis locis Scripturæ. Potuit enim *Assa* sibi parare sepulcrum

crum in loco isto in civitate Davidis sepulcris destinato Regum, ut ipse & familia sua ibi sepeliretur: Hinc in plurali numero Sepulcra legitur c. l. quasi dicat in sepulcro illo amplissimo & multorum cadaverum capaci sepultus. Ita etiam de *Ahasia* affirmandum 2. *Reg.* IX. 28. cui loco quidem repugnare videtur 2. *Chron.* XXII. 9. ubi dicitur, quod Ahasias se absconderit in *Samaria*. Sed respondet celeb. Meyer. *pag. m.* 934. in *annot.* ad *Seder Olam*; *Ahasiam servi currui imponentes abduxerunt Hierosolymam, ut eum sepelirent cum patribus ejus, cum quibus sepeliri merebatur, quia erat filius Josaphati*, qui Deum timebat. Reliqua objectionis ibi videnda. Et ita bene *Fullerus* asserit, hos omnes sepultos fuisse in sepulcris Regum.

IV. Legitur hic sepultus *Hiskias* supra sepulcra filiorum David 2. *Paral.* XXXII. 33. ubi alius interpres reddit in insignioribus sepulcris filiorum Davidis. In loco editiore constitutum fuisse *Hiskiæ* monumentum agnoscunt *Cajetan. Torniell. Annal. A. M.* 3337. *n.* 1. & *Luc. Osiand. in h. l.* §. 4. Verùm refertur *in Hottinger. Cippis Hebr. pag. m.* 24. *edit. Heidelb.* 1659. Reges Judaicos in SPELUNCA esse tumulatos, ibidemque esse elegantem & formosam structuram ad hunc modum:



Similiter in spelunca hoc sepulcretum ostendit *Benjamin Tudelens. Itinerar. pag.* 45. Nec abnuit *Joseph.* XVI. *ant.* 11. *f.* 563. B. 6. Speluncam illam delineavit Serlius, cujus verba recensuit D. *Quensted. de Sepultura Veterum pag. m.* 257. *edit. Witt.* 1660. "Sub præcelso & marmoreo, inquit, monte "tres omninò cellæ excavatæ distinguuntur suis testudinibus, "in eodem nativo saxo excisis. In primo ingressu seu prima "cella quatuor delubra, bina ex utraque parte, quasi qua-"tuor reconditoria singula hominis capacia cernuntur. In "medio, i. e. secunda cella, quæ amplissima est, sunt delu-"bra octodecim ex alterutra parte novena: testudo verò "quæ maxima est, incumbit quatuor pilis aut parastratis aut co-"lumnis, ex ipso eodem nativo marmore formatis, & in ma-

ximæ

" ximæ longitudinis Baſilicæ ſeriem rectà diſpoſitis, quas aliæ
" duæ minores præcedunt: in ultima verò cella, quæ magni-
" tudine reſpondet primæ, duo item alia ſunt reconditoria,
" è regione verò objicitur figura januæ ſed obſtruſæ, qua for-
" te aditus ulterior dabatur. Hoc ipſum quod jam deſcripſit *Serlius* ſubterraneum ædificium, veſtibulum tantum fuiſſe ſepulcri Davidis & Salomonis, non ipſum Sepulcrum, exiſtimat *Villalpandus in Ezechiel. tom.* II. *part.* II. *lib.* V. *diſt.* 4. *capitul.* 61. atque per illam, quæ obſtruſa dicitur porta, patuiſſe forte aditum ad Davidis ſepulcrum interius. Ita etiam celeb. *Joh. Meyer. in annot. ad Seder Olam pag. m.* 945. aſſerit, Davidem & Salomonem in aliqua ſpelunca ſepultos eſſe, quæ vocata ſit Sepultura Regum.

V. Verum enim verò his obſtare videtur locus *Act. cap.* II. 29. ubi *Petrus* de *Sepulcro Davidis* loquens in hæc prorumpit verba: Et *ſepulcrum ejus* (Davidis) eſt *apud nos uſque in hodiernum diem.* Ad quæ verba *Beza:* Prodigioſum eſt tot barbaros & crudeliſſimos hoſtes, qui urbem poſtea everterunt, Regis ſepulcro peperciſſe: & fortaſſis non vana eſt eorum conjectura, qui inſtaurata urbe putant fuiſſe quoque Regum monumenta renovata. Si itaque hunc temporis Davidis ſepulcrum notum & conſpectui omnibus datum, *Johannes de Pineda Hiſpal.* infert Petrum loqui de monumento non quidem abdito & inviſo, ſed quod ab omnibus videri potuiſſet. Niſi forte dicas locutum de illo, quod dicebat *Joſeph. lib.* XVI. *Antiq. c.* XI. in aditu alterius interioris & reconditioris monumenti ab Herode, candido marmore & impendiis ſumtuoſiſſimis exſtructum & ſepulcrum Davidis dicebatur, ut quod eſſet alterius interioris & verioris ſepulchri teſtis & index. Nam neque de illo ſubterraneo & penitus abſtruſo reconditorio Salomonis, ſed alio externo & ſublimi intelligi poſſe videtur, quod Dio Caſſius in Adriano ſcribit, quod Salomonis ſepulcrum ſponte & nullo impellente diſcuſſum corruerit. Fabulam hinc Judaicam ſpirant illa, quæ *Benjamin Tudelenſ. in Itiner. pag.* 45. 46. *adducit.* Sepulcrum Davidis fuiſſe magnum palatium aſſerens, columnis marmoreis inædificatum.

VI. Obſervatione dignum quoque judicamus, quod domos ſepulchreti regii à *theçis regum* (θήκαις τῶν βασιλέων) diſtinguat,

domumque aliam ab Hyrcano, aliam ab *Herode* apertam fuisse doceat *Josephus lib.* VII. *Antiq.* 12. *f.* 251. Θήκη generaliter est in quo aliquid conditur & reponitur ἀπὸ τοῦ τίθεσθαι. Apud *Johannem cap.* XVIII. 11. sumitur pro *vagina*, quæ *Homero* est κολεός. Usurpant etiam de loco in quem reconditur pecunia apud *Euripid. Hecub.* v. 1145. Frequentiori verò significatu de loculo emortuali & conditorio legimus. *Plutarch. Solon. p.* 83. ait, singulos loculos habere *Athenienses*, at *Megarenses* contra ternos & quaternos ἐν μιᾷ θήκῃ condi: adde *Sophocl. Oed. Colon.* v. 1766. Porrò easdem domos indicat generali voce sepulcri (τάφου) *Joseph. lib.* 13. *antiq.* 16. *f.* 450. *A.* & 16. *ant.* 11. *f.* 563. B. Thecas autem illas fuisse in sepulcri inferiore secessu, & in thecis corpora *Davidis* & *Salomonis*, docet *Joseph. lib.* XVI. *Antiq.* 11. *f.* 563.

VII. Valde magnifica de sepulcreto hoc Regum Judæ narrat Benjamin in Itiner. Sed ea inter fabulosa rejicit l' Emper. in not. ad h. l. *pag.* 175. *seq. Quensted. de Sepultur. Veter.* Illi ipsi thesauri quoque, quos in sepulcro hoc fuisse jactitat Josephus, videntur suspecti. Multi quidem reperiuntur, qui testimonio Josephi moti statuerint, magnum Thesaurum reconditum fuisse in Sepulchro Davidis. Vult hoc cl. *Schickardus cap.* 3. *theor.* XI. *pag. m.* 210. in משפט המלך inquiens: *ingentes gazæ in privato ejus sepulcro repertæ sunt*, ipsaque *Josephi* verba sub fin. *lib.* VIII. *antiq. c. ult.* adducit: *Post annos MCCC. Hyrcanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho apertâ cellâ monumenti Davidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus* &c. *Ac rursum post multos annos elapsos Herodes Rex aliâ cellâ apertâ magnam pecuniam sustulit, ad loculos tamen, qui regum cineres continent, neuter eorum pervenit.* Addit *Abarbanel*, quem citat celeb. *Joh. Meyer. in annot.* ad *Seder Olam pag. m.* 685. ex *Josephi Antiquit.* Davidem in loco sepulchri & monumenti sui jussisse parari ingentem cellam, qua abscondiderit immensas opes, & super qua magna arte ædificium exstruxerit, ut inde eas nemo efferre posset, nisi qui perspectam & exploratam haberet figuram operis. Quam opinionem tuetur quoque *Quensted. pag.* 335. *de Sepultura Veter.* confer. *Menoch. l.* 8. *Reip. Ebr. c.* 5. *q.* 9. Verum quam suspecti sint hi thesauri ostendit B. *Geier. cap.* VI. *pag. m.* 145. 146. *de luctu Hebr. Carpzov. in notis*

tis ad *Schickard. pag.* 210. *Beza cit. à Balduin. Walæo Comment. in Act.* 2. *Sanctius in Act.* 2. 29. *n.* 72. *& in* 3. *Reg.* 2. 20. *n.* 26. 24 *seqq.* confer. *Ursin. Arboret. c.* 2. 7. *pag.* 18. Multa de hoc Regum ſepulcro nervoſe contraxit in pauca *Adrichom. theatr. Terr. S. f.* 152. 22. Citantur pro deſcriptione Sepulcreti regii *Villalpand. Pineda de reb. Salom. Quareſm. Zualardus, Cotovicus, Admiranda Sinæ & Europ. Geier. de luct. Heb. Hotting. in Cipp. Quenſted.*

CAPUT X.

De Forma Sepulcrorum Nobiliorum ex Scriptura Sacra.

I. In hoc negotio vitandæ, inſtar ſcopulorum, erunt ſtructuræ, quas religio Phariſæorum *Matt.* XXIII. 29. & citeriorum ſeculorum, cum excitavit, tum interpolavit; ne ex præſentium operum facie, Sacra Scriptura temere judicetur. Nam hæc omnia fiebant ex oſtentatione & ſanctitatis ſimulatione, uti probant *Cameron. Zegerus, Eraſmus, Grot.* Comment. in h. l. & alii. Horum ſane veſtigia acerrime premunt hodie Pontificii, qui inſanis ſubſtructionibus profiteri reverentiam, quâ memoriam Sanctorum Martyrum perſequi ſe ſimulant. De forma itaque Sepulcrorum agemus, quatenus ex Scriptura Sacra nobis conſtat.

II. Undiquaque igitur accipimus, placuiſſe honeſtioribus è populo Judaico viris Speluncam, quæ commodaret receptaculum cadaveribus numeroſæ familiæ. Cur autem ſpeluncas elegerint homines Nobiliores ratio hæc eſt, ut cadavera à feris tuta eſſent? Nam ſpeluncæ inſerviunt & ad conſervandam & tuendam vitam, & reſervanda illæſa cadavera à brutis. Quod ſpeluncæ ad conſervationem vitæ profuerint, conſtat ex Scriptura Sacra variis in locis; imò Arabes in cacuminibus montium ſpeluncas cavabant, ut contra hoſtium incurſiones poſſent eſſe tuti & ſecuri. De his *Joſeph. lib.* XIV. *Antiq. cap.* XXVII. ita loquitur: Erant hæ ſpeluncæ ſitæ in montibus abruptiſſimis, ac in media circiter altitudine, anguſtos & præcipites habe-

bant aditus, acutis undique cinctæ rupibus. In harum igitur latibulis ſeſe abſtrudentes, cum domeſticis ſuis deliteſcebant. De iiſdem ſpeluncis iterum *Joſeph. lib.* XII. *c.* 6. vel natura vel arte aut induſtria hominum factis diſſerit hoc modo: *Hyrcanus* oppoſiti montis prominentem Petram perforans, ſpeluncas in ea fecit multorum ſtadiorum longitudine &c. Speluncarum verò ora non amplius aperuit, quàm ut unum caperent, idque de induſtria factum eſt, ſecuritatis ac tutelæ gratia. De talibus ſpeluncis in Sacra Scriptura frequens eſt memoria: videatur *Joſ.* X. 16. *Judic.* VI. 2. 1. *Sam.* XXII. 1. & XXIV. 3. 1. *Reg.* XVIII. 15. *Eſai.* XI. 15.

III. Deinde etiam Speluncæ aptæ erant ad ſepelienda cadavera, uti ex Scriptura patet. Exemplo enim nobis eſt ſpelunca illa, in qua ſepulti Abraham, Iſaac & Jacob cum uxore quiſque ſua, *Gen.* XLIX. 31. Ideam talis ſepulcri parient nobis obſervationes congeſtæ ex S. Scriptura, & ex *Miſchn. Bava Batra* 6. 8. cum *Rabbinicis Commentis*. In Sacris extant huc facientia Sepulcra *Abrahami Gen.* XXIII. *Eliſæi* 2. *Reg.* XIII. *Lazari Joh.* 11. & *Chriſti* apud *Evangeliſtas*. Singula pandemus, quo nominavimus ordine. Ut autem Lectoribus clarerem ob oculos ponamus, petimus ut oculis ſuis ſubjiciat imaginem ſpeluncæ, quam hîc ſiſtimus hoc modo, & ſubjicimus



ſtatim ea, quæ B. *Geier. de luctu Hebr.* c. VI. §. 12. *pag. m.* 133. ex *Quareſmio* adduxit. Quantum αὐτόπτης teſtatur *Quareſmius in opere ſuo Anno* 1639. *Antverpiæ evulgato l.* 4. *peregr.* 4. *c.* 7. duo inprimis in ſepulcris Ebræorum animadverti poſſunt, unum quod à natura, & alterum quod ab arte acceperunt. Illud quod ſpeluncæ eſſent nativæ in rupibus ad quarum imitationem aliæ fodiebantur: hoc verò quod poſtea arte & labore perficerentur. Evidens enim eſt, montanam iſtam regio-

regionem nativis & artificiosis speluncis abundare, in quibus Hebræi suorum corpora sepeliebant. Huc usque *Geierus* citato loco.

IV. Hinc patet morem antiquissimum esse, ut mortui in cavernis speluncisque sepelirentur, ita enim *Coulon* in *Lexic. Homeric. pag.* 33. inquit: *Veterum Nobilium moris fuisse, primo in montibus sepeliri, deinde in cavernis, quas dixere Puteolos.* Forte quod duces heroibus ad puteum laudare erant soliti, uti testatur *Heliodor. lib.* 1. *pag.* 35. ἐπειδὴ κτ̄ τ̄ βόθρον ἐγένετο τ̄ ἐν ἀκαδημίᾳ (πάντως γινώσκεις ἔνθα τοῖς ἥρωσιν οἱ πολέμαρχοι τὸ πάτριον ἐναγίζουσιν) *Cum ad puteum qui est in Academia, pervenisset, (notus est tibi locus ubi Heroibus duces more & instituto patrio parentant)* Vide notas *Bourdelotii.* Nec mirum quod selegerint speluncas, quia ipsis in more erat balsamo condire corpora, ne tam facile putrescerent; quod avertere nulli potuissent, si cadavera tam arctis inclusa capsulis terræ imposuissent, quemadmodum nos facere solemus, excepto cum Rex vel Princeps sit mortuus; quin imo ea sæpius respicere & invisere sive amoris sive cultus gratia solebant. Hæc loca ut plurimum dum viverent veteres sibi eligebant, quod docemur in hac Abrahami historia, & nigro lapide super terram eminente exornabant, ut notat celeb. *Johannes Meurs. Auctar. Philolog. c.* XXI. atque hæc monumenta verè dicebantur, distinguit enim *Freherus Parerg. L.* 1. *c.* XXIII. & quidem recte inter Sepulchra & monumenta; sepulchrum dicens in quo cadaver deponebatur, quod erat arcula lapidea, quales è terra defossas aliquoties vidi, & tanquam Sepulchra Principum refert **Soeteboom in syn Zaanlandse Arcadia.** Nos itaque his prælibatis accingimus ad Speluncam illam Abrahami.

V. Hanc Spiritus Sanctus ita describit, quod (1.) sita fuerit in margine agri *Gen.* XXIII. 9. Angl. ita reddit: *Which is in the end of his field*: quam *Thomas Fullerus in Pisgah-sight ita depingit in Mappa Geograph. Tribui Benjamin addita*:



Cum enim Abraham in terra in qua tum habitabat, nec volam nec vestigium pro suo possideret, adiit *filios Cheth*, eosque, ut sibi concederent in terra sua אחזת קבר hæreditatem, jus sepulchri, quo in eo mortuum suum condere posset. Postulat justo pretio speluncam

in fine agri (2.) arboribus consiti: vid. *Gen.* XXIII. 17. Amabant enim Veteres ejusmodi loca sepulcris apta, quæ arboribus obsita erant, ne forsan radii solares ardore corrumperent lapides, vel ut is locus propterea sacer haberetur. De arboribus legatur 1. *Sam.* XXXI. 13. 1. *Chron.* X. 12. *Gen.* XXXV. 8. Plura suppeditat *Ursatus in Monument. Patavin. pag.* 44. quem, ni prolixior esset, describeremus. Unde postea factum à Gentilibus, ut Lucos suos Heroibus tanquam *Sepulcra* consecrarent. Inde Sepulcrorum cum Lucis in Scriptura frequens mentio, nempe 2. *Reg.* XXIII. 15. 16. *Esai.* LXV. 3. 4. Eos in Lucis heroum sepulcra posuisse probant Poëtæ *Virgil. Æneid. lib.* 9. *vers.* 3. verba:

—— —— Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.

Cum instituto hoc conjuncta lex est ea, quæ inter Etruscorum veterum statuta numeratur in *Etrusc. Fragment. l.* 3. *p.* 176. *Si quis sepulcrum proprium non habuerit, in nemorosa sylva sepeliatur.* Apud Ethnicos animæ Heroum Lucos tenere credebantur, nam *Virgil. Æneid.* 6. ita canit: *Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.* Itaque *Nicolaum Perottum in not. ad Martial. lib.* 2. Lucorum legem & ritum probe tenuisse constat, qui ita: *Lucus nequaquam cæduus est, ut sylva, sed potius manu consitus religiosusque & alicui Deo vel alicujus hominis cineribus consecratus.* Ideoque vel circa delubra Deûm vel circa Sepulchra positus est: conf. *Joh. Spencer. de legib. Hebr. part.* 1. *pag.* 370. *Christian. Worm. in antiquit. Hebr. corrupt. pag.* 129. *edit. Hafn.*

VI. Dicebatur Spelunca *Machpelah* v. 9. 17. emta cum agro. Quid autem sit מכפלה in diversas abeunt partes tam Hebræorum quam Christianorum Interpretes, quorum opiniones adduxit *Magnif. D. Wagenseil, Fautor noster æstumat. in not. ad Excerpt. Gemar. cap.* 1. *pag. m.* 291. inquiens: Quid sit Machpelah mire æstuant Interpretes tam Christiani quam Judæi, estque ipsis *Sepulcrum Abrahami* Labyrinthus inextricabilis. *Cl. Salmasius in Exercit. Plin. pag.* 2008. simplicissimum existimat, Speluncam duplicatam accipere de ea, quæ duplicem habeat aperturam, & ex duabus partibus ingressum, vetatque quærere aliam duplicis speluncæ interpretationem.

Da-

Daniel Heinsius in Arist. p. 522. Fossam & Speluncam fuisse arbitratur, ut per fossam aditus ad Speluncam patuerit, in qua jacebat mortuus. Aliis placet מכפלה proprium nomen esse, quomodo acceperunt Junius & Tremell. eaque opinio probatur *Theodor. Hackspan. in Interpret. Errab. p.* 153. & *Vorstio in not. ad Pirke Eliefer p.* 179. Addimus *cl. Joh. Henric. Heidegger. in histor. Patriarch. exercit.* 3. *de Abraham. pag.* 131. *part.* 2. *Muller. diss. de Sepulcr. pag.* 22. *edit. Giss.* Talmudistæ in eo fere consentiunt, inquit *doct. Wagenseil*, fuisse Speluncam duplicem, sed an alia ante aliam, an verò una supra alteram extiterit, id definire non potuerunt. Refert etiam Rabbinorum testimonia, quæ citato loco videnda & perlustranda sunt. Videatur quoque *Hottinger. in Cippis Hebraic. edit. Heidelberg.* 1659. *pag. m.* 4.

VII. Inter has varias opiniones unam eligere periculosum esse putamus, sed ut dicamus, quid sentiamus, optimam illam arbitramur illorum dicentium מכפלה nomen proprium loci esse, in quo sunt ager & spelunca. Adstruitur ista observatio his argumentis. Dicitur (1.) Spelunca Machpelæ, *Gen.* XXIII. 9. (2.) ager esse in *Machpelah*, v. 17. (3.) ager hammachpelah, *Gen.* XLIX. 30. (4.) Spelunca agri hammachpelah, *Gen.* L. 13. Audiamus *Henric. Ainsworth. in Comment. ad h. l. fol. m.* 88. *edit. Londin. it appeareth to be the name of the place:* cui calculum adjicit album cl. *Joh. Henric. Heidegger. in histor. Patriarchar. pag. m.* 132. *Exercit.* 3. *de Abraham. part.* 2. his *rationibus:* Etenim, inquit, uti spelunca, ita quoque ager nuncupatur שדה המכפלה *ager Machpelah* v. 19. Quod si igitur ob quamcunque harum causarum spelunca dicitur מכפלה, quo quæso sensu ipsum agrum dicemus מכפלה Machpelah? Tum & *vers.* 17. spelunca dicitur fuisse במכפלה לפני ממרא *in Macpela coram Mamre*, hoc est in tali loco, qui erat è regione Mamre, uti hoc benè illustravit Anglus eruditus *Thomas Fullerus in suo Pisgah-sight in Mappa Geographic. Judæ Tribui* tributa. Unde apparet מכפלה nomen loci fuisse. Igitur tum ager tum Spelunca *Macpela* appellatur, quia utraque in eo tractu fuit, qui Macpela dicitur. Hæc & alia citatus *Heidegger.* in probationem sententiæ hujus profert.

VIII. *Stephanus le Moyne in Var. Sacr. not. edit. Lugd. Batav.*

1685. *pag. m.* 518. putat, ideò forſan *Abrahami* ſpeluncam מכפלה duplicatam vocari, non quod duas portas & duos exitus haberet, vel quod una in altera contineretur, primaque major inferiorem minorem comprehenderet; ſed quod duo in illa fuerint foramina corporibus condendis parata & deſtinata, quæ ſententia non caret probabilitate. Nam ſi ſpelunca iſta plura habuiſſet foramina, cur Jacob ipſe confitetur *Geneſ.* L. 5. quod in ea ſpelunca ſibi foderit ſepulcrum. Non ignoramus alios aliter verbum כרתי exponere, & dicere ſignificare, *emi*; ita *Grotius*; ſed probabilius ex ipſis verbis *Jacobi* patet, quod ipſe foderit. Extat enim אשר כריתי לי quod fodi mihi: & rectè *Lutherus*, das ich mier gegroben; aber nicht gekauffet habe. Cui adſtipulatur Angl. Interpr. *Which i have digged for me.* Etenim non *Jacobus* ſed *Abrahamus* ſepulcrum ab *Ephron Hitthæo* ſibi comparaverat; falſum itaque dixiſſet ſanctus *Jacobus*, ſi pecuniâ ſuâ emtam ſpeluncam affirmaſſet; ſed dicebat, quod *fodiſſet* forſan tum temporis, cum ibi *Leam* uxorem ſepeliret. Quis hinc non videt clar. *Stephan. le Moyne* ſententiam etiam locum habere poſſe?

IX. Sequitur nunc *Sepulcrum Eliſæi* 2. *Reg.* XIII. 21. Circa hoc animadvertimus duo, *alterum* quod ita clauſum fuerit, ut multa vi longaque mora opus habuerit ejus reſeratio, & tamen in fuga conſtituti leguntur, qui funus ſuum in hoc projecerunt. *Alterum* quod nihil occurrat uſpiam in toto textu de cadaveris deſcenſu, quem hîc quidam è verbo ילך extorquent. Verbum enim hoc ſignificat ſimpliciter ſucceſſum motus quoquo verſus tendentis. Quod habuerit Sepulcrum magnificum beneque clauſum confirmat *Joſephus lib.* IX. *Antiquit.* ita diſſerens: *Sepulcro etiam honoratus magnifico, quale decuit hominem Deo acceptiſſimum.* Quî igitur fieri potuit ut homines properantes illud cito reſerare potuerint? ſi eo modo fuit excavatum, ut in כוך foramine lateris hujus conditum corpus Eliſæi. Impoſſibile etenim fuiſſet, ut oſſa ſeu corpus Eliſæi tangi potuiſſent in כוך *Koc* uno deliteſcentis; & tamen Scriptura hoc affirmat hoc modo aſſerens: *Et factum eſt cum quidam ſepelirent hominem, & viderent turmam, projecerunt hominem in ſepulcrum Eliſæ, & ille homo devolutus tetigit oſſa Eliſæi*: & hoc alio modo fieri non potuit, quam ſublato tegmine,

mine, quo fossa sepulcralis *Elisæ* fuisset tecta, quod contra morem Judæorum, qui nulla ejusmodi sepulcra habebant, ut mox tegi, mox opercula removeri potuerint. Audiamus tamen ea, quæ *Sebastianus Munster.* in h. l. annotavit *fol. m.* 351. Cum enim illi proprium facere vellent Sepulcrum, supervenerunt hostes, ut non licuerit tantum insumere temporis, donec sepulcrum foderent, & idcircò aperientes tumbam Elisæ, projecerunt cadaver illud in speluncam illam, in qua corpus Prophetæ quiescebat, & devolutum cadaver in profundum, vel ut Hebr. habet, vadens & contingens homo ille ossa viri Dei revixit, & stans super pedes suos egressus est foras atque illicò vita defunctus est. In his *cl. Munsteri* verbis satis & clare indicatur, quod fossa illa non facile aperiri potuerit, quod pugnat cum *Josephi* verbis & consuetudine Judæorum quam tenacissime retinuerunt, quod corpora mortua sint tumulanda. Et non videmus, quo modo hæc conciliari possint, nî statuamus varia fuisse Sepulchrorum Hebræorum genera. *Joseph.* l. supra citato asserit, quod à latronibus cadaver sepeliri voluerit, quando ita scribit: *Contigit autem ut latrones quidam occisi cadaveris à se in Elisæi monumentum abderent, quod mox à Prophetæ corporis contactu revixit.* Quæ verba nobis ansam dant conjecturandi, quod cadaver *Elisæi* in spelunca quadam conditum, ubi os illius quidem firmatum, sed à latronibus vel aliis propter oris angustiam, vel aliud obstaculum, reseratum & corpus intrusum, seu huc illucve motum tandem ossa *Elisæi* tetigerit, & vitam recuperarit, quod innuere videtur verbum ילך, non quod superne delapsum, ut plures statuunt.

§ X. Hîc porrò curiose quærunt Hebræi an corpus illud remanserit vivum, an verò iterum mortem obierit? *R. Abarbanel ad* 2. *Reg.* XIII. 21. *fol.* 285. 2. dubium movet circa miraculum, quod fecerunt ossa *Elisæ* post ejus obitum, vivificato mortuo apud ipsum sepulto 2. *Reg.* XIII. Prophetæ enim miracula patrabant, quia cum Deo conjuncti erant, tunc enim decernebant sermonem & præstabatur ipsis. Cessante autem post mortem eorum ista conjunctione, quomodo absque ea fieri poterat, ut ossa arida ejusmodi miraculum, quo mortui vivificantur, patrarent? Vides enim, quod *Elias*

& *Elisa* cum viverent, ad resuscitationem mortuorum opus habuerint multiplicare preces suas & facta signata patrare, dum se super eos expandebant, sicut eorum historia docet. Quomodo ergo his omnibus omissis ossa Prophetæ fecerunt hoc ipsum miraculum? eo magis hoc mirum videtur, quod hoc miraculum destitueretur fine & usu. Quid enim impediebat, quo minus jacerent ossa Prophetæ cum ossibus viri alterius? Etsi diversa eorum esset ratio respectu Sanctitatis eorum & prophetiæ, hoc totum erat respectu animæ eorum, sed respectu corporis pariter in pulvere jacebant & vermis obtegebat eos, quæ necessitas ergò erat hujus miraculi? Respondent Sapientes nonnulli in *Pirke Eliesér* dixerunt, hunc virum fuisse *Schallum Tiknæ*, *Huldæ Prophetissæ* maritum, eum fuisse ex magnatibus istius ætatis & quotidie eleemosynas erogasse, & reviviscentem in pedes erectum stetisse, domumque abiisse, & posthac generasse Chananeelem filium Schallum commemoratum *Jerem.* XXXII. 7. *seq.* Alii hominem impium fuisse volunt & non alio fine revixisse, nisi ut staret erectus in pedes suos, ne sepeliretur cum Elisa. Hinc arguunt non abiisse domum, quod non alius miraculi scopus fuerit, nisi ut non attingeret ossa Elisæ & non sepeliretur prope eum. Hanc sententiam solidiorem affirmat celeb. *Meyer. in not. ad Seder Olam pag. m.* 948.

XI. Ad Sepulcrum *Lazari* progredimur, circa quod multa notatu digna eminent. De hoc legitur *Joh.* XI. 38. *seq.* quod fuerit *spelunca lapide occlusa:* Græc. σπήλαιον ἦν λίθος ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῷ. *Erat Spelunca, & lapis erat ei impositus*, vertit Interp. Vulg. non recte. Non enim erat, qualia nostra sepulcra, quibus, sic excavatis ut sursus pateant, cippus superimponitur. Sepulchra enim Judæorum scribit *Ludov. de Dieu Comment. in h. l.* speluncæ erant ante se fossam habentes, in quam primum descendebant, deinde per ostium in antrum speluncæ intrabant. Ideò *Erasmus* & *Beza*, *Et lapis ei erat impositus.* Id laudarem, si ostii facta fuisset mentio. Sed quia tantum facta est speluncæ, non videtur satis apte dici, lapidem impositum fuisse ipsi speluncæ. Malim ergò *& lapis appositus erat ad eam*, quod optime Syrus dixit: *Et lapis positus erat ad ostium ejus.* Hæc de Dieu. Verum hîc quæritur, an

in



in ſpelunca hac fuerint כוכים foramina in latere cavata, in quarum una cadaver Lazari repoſitum fuerit? ad quod reſpondemus negando. Nam quomodo Lazarus in tali foramine conditus capite obvelato, manibus pedibuſque revinctis, potuiſſet videri & in iſto cavo à faſciis ſuis & tota ſua pollinctura liberari? Hinc conſtat, Lazari ſepulcrum ſpeluncam, non ſuperius patentem, ſed in latere os habentem fuiſſe, cui admotus fuerit lapis, quo revoluto facile à quovis conſpici potuerit, quod verbum ἐπικεῖσθαι indicat, uti ex *Luc.* v. 1. obſervari poteſt. Non aſſentimur *Thomæ Fullero*, qui in *Piſgah-ſight of Paleſtin.* ſepulcrum Lazari pingit terræ ſuperinſtructum in monte Oliveti hoc modo:



cum potius pingendum fuiſſet



alias contra Scripturam eſſet, confirmantem lapidem ad os cavernæ fuiſſe appoſitum.

XII. Denique *Sepulcrum Chriſti* quoque perluſtrabimus, de quo legitur, *Matth.* XXVII. 60. *Marc.* XV. 46. *Luc.* XXIII. 53. quod fuerit *in excavata petra.* Hîc variæ ſunt Interpretum opiniones. Quidam volunt ex lapidibus politis ſepulcrum hoc fuiſſe ædificatum, uti clar. *Salmaſius* vult, cujus verba, licet prolixa, huc adſcribemus. Monumenta, inquit, intra quæ recipiebantur corpora defunctorum arcis ſuis & lectulis, ſine ſoliis condita fornicata erant & ex ſtructura facta. Nec putandum eſt alius generis aut formæ fuiſſe cryptas Judæorum. Quale fuit *Lazari ſepulcrum*, tale & Domini noſtri fuiſſe, in crypta nempe ac ſpecu defoſſo certum eſt. Cryptam vocat *Sidonius: in ſiniſtra autem parte eſt monticulus Golgatha, ubi Dominus crucifixus eſt. Inde quaſi ad lapidis miſſum eſt crypta, ubi corpus ejus poſitum fuit, & tertia die reſurrexit.* Non alio genere ſtructa hæc videtur crypta, nec alia forma quam illa Lazari. Subterranea quippe & ſaxo conſtructa & fornice tecta & foramine, quod lapide claudebatur, aperta. Quales omnes *Cryptæ* ædificabantur mortuis recondendis. Huc uſque *Salmaſius* vir celeberrimus, cujus veſtigia non in omnibus ſequimur. Quis enim fidem dederit huic quod omnes ſpeluncæ fornicatæ & ex ſtructura factæ. Spelunca ſane illa in qua Abrahamus conditus non arte nec ſtructura, ſed natura facta, ſic & de aliis ſpeluncis natura factis

 legi-

legimus in Scriptura; Ita non credimus *Lazari* ſepulcrum fornicatum lapidibus fuiſſe, cum hujus ſtructuræ nulla fiat mentio, ſed ſpeluncam in monte Oliveti fuiſſe aſſerimus. Putat celebris vir ſtabilire ſuam ſententiam, quod Sidonius *Cryptam* vocet, ubi notandum, quod Cryptæ vox à Græca κρύπτη, ἀπὸ τȣ̃ κρύπτειν *occultare*, deſcendat, & recte in ſenſu dextro *Fornicem hypogæum* Latine *ſubterraneum* notet, conclave ſubterraneum, meatum ſubterraneum, Germ. ein gewölb: ein heimlicher gang unter der erden. Obſervandum autem vocem Cryptam accipi. (1.) qualecunque antrum ſubterraneum ein bach oder gang unter der erden ſignificat. (2.) *Antra* vel *ſpecus* montium ſeu natura ſeu arte excavatorum, quales *Cryptæ* olim erant miſerorum in perſecutione receptacula, v. g. Spelunca *Cananæa*, in quam Reges *Cananæi* à *Joſua* victi ſe receperant, ſed poſtea inde extracti, & à populo Iſraëlis occiſi ſunt, *Joſ.* x. Antrum *Davidicum ADULLAM* dictum, 1. *Sam.* XXII. *Helianum*, 1. *Reg.* XIX. (3.) Cryptæ ſunt Sepulcra, ſeu mortuorum dormitoria.

XIII. An nunc Sepulcrum Chriſti *Crypta* vocari poſſit, uti vult *Salmaſius*, merito dubitatur. Apud Scriptores Eccleſiaſticos quidem nullum frequentius occurrit nomen, præſertim *Euſeb. l.* 3. de *vit. Conſtant.* & *Sozom l.* 2. *hiſt. Eccl.* quàm ἄντρον, σπήλαιον antrum ſacrum, Spelunca ſacra nimirum à forma, qua erant Sepulchra illa Judæorum veterum ab ipſiſmet מערות dicta. Nam uti viri clariſſimi ſuſpicantur non pauci, Sepulcrum Chriſti in aliquam altitudinem ſupra terram elevatum fuit. Neque aliter ſentire poſſunt, qui hodie ex ἐκτύπῳ multum mutato ἀρχέτυπον judicare præſumunt. Alii tamen in negativam abeunt ſententiam, præſertim B. *Gerhardus* & *Iſaac. Cauſaubon.* Uterque in partes ſuas vocat *Cyrill. in Catech.* XIII. qui inter Chriſti & Regum ſepulturas hoc ponit diſcriminis, quod Sepulcrum Domini non eſſet exaggeratum ſuper terram, ut ſolent eſſe Regum monumenta. Verius tamen ſtatuunt illi & judicant, rupem, in qua monumentum illud fuit exciſum, aut nihil aut parum admodum ſupra ſoli ſuperficiem eminuiſſe. Qui autem ſubterraneum plane fuiſſe cenſent, ita ut per gradus aliquot, tanquam in cellam deſcendendum, iis non accedimus; ſiquidem recto id intrare licebat pede, uti eleganter & docte oſtendit *B. Geier. de luctu Hebr. cap.* VI. §. 13.

Hujus

Hujus ſitum nobis Anglus *Thomas Fuller. in Piſgah-ſight of Paleſtin. in Mapp. Geogr. Terræ Moriæ*, una cum horto ad radicem montis Calvariæ dipinxit.

XIV. Verum nos iterum ad *Salmaſium* revertimus, cujus verba ſequentia ita ſonant: Volunt tamen ex rupe exciſam eſſe illam Dominicam *Cryptam*, inducti verbis *Marci*, ὃ ἦν λελατομημένον ἐκ πέτρας *quod* erat exciſum ex petra. Alii *rupe* interpretantur. Quaſi & rupes in illo horto fuerit, ubi monumentum erat, in quo poſitum eſt corpus Domini. Sed fallit eos ratio. Veteri quidem Græciæ πέτρα idem quod rupem ſignificat. At mediæ Græciæ idiotiſmus πέτραν pro quolibet lapide uſurpavit, etiam cœmiterio, & οἰκοδομῷ. Præterea dicendum fuiſſet λελατομημένον, ἐκ τῆς πέτρας, ſi ex rupe exciſum, quæ ibi erat, intellexiſſet. Norunt Græce periti, quid valeat illud abſque articulo ἐκ πέτρας, idem quippe eſt, ac ſi dixiſſet, ἐκ λίθου. Nam πέτρα eſt λίθος. *Paulus Silentiarius* Ambonem *Sanctæ Sophiæ* ἕδρος πετραῖον dixit, quod ex lapide conſtructus eſſet. Idem paſſim πέτρας appellat marmora cæſa & polita, quibus ſtructum illud ædificium. Apud *Matthæum* πέτρα ponitur pro lapide fundamentali. Denique fefellit eos ſignificatio vulgaris verbi λατομεῖν, quod lapides ex lapidibus cædere ſignificat: unde λατομίαι lapidicinæ. Atqui λατόμους etiam appellarunt, qui lapides quadrabant & polibant ad ædificandum. *Heſychius* λάτομος, λιθόξοος. Igitur μνημεῖον λελατομημένον ἐκ πέτρας eſt monumentum ex lapide cæſo ac polito conſtructum. Male igitur *Beza* vertit: *In monumento quod erat in ſaxo inciſum*. Nec melius *Vulgatus*. Nullo modo hoc ſignificare poteſt, vocabulum λαξευτὸν *Matthæus* hoc loco idem dixit, quod *Marcus* λατομητὸν ἐκ πέτρας. Locutio autem tralaticia, & qua Scriptores ſacri ſæpe utuntur ἐν πέτρᾳ λατομεῖν, pro ἐκ πέτρας vel πέτρᾳ *lapide ſtruere*. Sic apud *Lucam*. Nihil tritius eſt hac locutione. Ceterum quidem vulgus & plebs infima, quæ per facultates monumenta ſibi ædificare non poterat, in depreſſis foſſis mortuos ſuos condebant, & terra obruebant. Nec hoc in Judæa tantum, ſed apud Græcos Romanoſque pariter obtinuit. Quibus verò facultates ſuppetebant, hi monumenta habuere ſtructa ſibi ſuiſque. Monumentum igitur *Joſephi*, in quo corpus *Chriſti*

 jacuit,

jacuit, *ſpelunca* quidem fuit ſive *Crypta*, & ex *terra cavata*; *ſed lapide ſtructa & concamerata*, ut ſolent hodie fieri omnes Nobilium tumuli. Huc uſque iterum *Salmaſius*.

XV. Ut ut hæc à cl. *Salmaſio* dicta ſint, qui omnia ferè carpit, quæ cum aſſertationibus ſuis non conveniunt, non tamen ipſi hac in re adſtipulamur; quod ſpelunca lapide ſtructa & camerata fuerit vel ex coctis lateribus, qualibus apud nos concamerari dormitoria functorum ſolent, nec ex ceſpitibus nudis, veluti olim *Germanis* ſolenne erat: vid. *Tacit. de morib. Germ.* it. *Virgil. lib.* 3. *Æneid.* v. 303. non fuerunt marmora & cæmentitiis operis accommoda materies alia, ex quibus paſſim Mauſolea exſurrexerunt; ſed Petra præbuit una, continua, grandis, loco commodo nata, ἐν τῇ πέτρᾳ enim ἐλατόμησε monumentum ſuum, *Matth.* XXVII. 60. Hinc à Syro appellatur ܩܒܘܪܐ ܢܩܝܪܐ monumentum effoſſum à ܢܩܪ *effodit excidit*, nimirum ex petra exciſum. Ex quibus ultro patet, Sepulchrum illud non ex multis lapidibus apte in ſe coagmentatis exſtructum, ſed ex ſola rupe exciſum fuiſſe. Nam ſolum circa *Jeruſalem* ad ſexageſimum uſque lapidem ὑπόπετρον petroſum, ſaxoſum, h. e. ſubtus lapidoſum erat, uti ex *Strabone* notavit *Caſaubon. Exercit. in Annal. Baron.* 2. *n.* 5. *pag.* 145. Hinc ſciſſis ſub obitum Servatoris petris aperiuntur monumenta, *Matth.* XXVII. 51. 52. Quod etiam Sepulchrum hoc plurium corporum capax fuerit, cognoſcitur ex *cap.* XX. *Johan. verſ.* 12. *Luc.* XXIV. 4. de quibus fuſe agemus cum de Sepulcro Chriſti verba facturi ſumus.

CAPUT XI.

De Forma Sepulcrorum Nobilium ex Miſchna.


I. Sepulchra nobiliora exciſa erant in petra, in propriis prædiis, non modico ſumtu & artificio. Deſcriptam eorum formam legimus in *Miſchn. Bava Batra* 6. 8. quæ his verbis tradit narrationem; quam retulit doct. *Frideric. Muller. Profeſſ. quondam Giſſenſ. in diſſert. de Sepulcris pag. m.* 24. ſequentibus

tibus verbis: *Vendens locum vicino, ut ei fiat ſepulcrum: item emens à vicino locum, ut ſibi paret ſepulcrum, faciat ſpeluncæ medium quaternis cubitis ſecundum ſenos: & medio aperiat octo* כוכים KOKIM; *trina hinc, trina inde & duo è regione illorum. Fiat vero* KOKIM *longitudo quaternûm cubitûm: altitudo ſeptenûm palmûm; latitudo, ſenûm palmûm. R. Simeon dicit: Faciat ſpeluncæ medium ſenis cubitis ſecundum octonos: & aperiat medio tredecim* KOK; *quaterna hinc & quaterna inde, tria è regione illorum, unum à dextris oſtii, unum à ſiniſtris. Atrium quoque faciat ſecundum (è regione oris ſeu ante) os ſpeluncæ ſenis ſecundum ſenos pro amplitudine lecti, & lecticariorum. Aperiat medio duas ſpeluncas, alteram hinc, alteram inde. R. Simeon dicit: quatuor (ſpeluncas) quatuor plagis mundi. Rabban Simeon filius Gamaliel dicit: iſtud omne pro ratione nummorum.* Ita cit. *Dn. Mullerus* verba Miſchnæ interpretatus eſt.

II. Anglus celeb. *Johannes Lightfoot Centuria Chorograph. cap. C. pag. m. 170. edit. Lipſ. hor. Talmud.* ita recenſet: *Qui vendit proximo locum ſepulchreti, quique recipit à proximo locum ſepulchreti, conficiat interiora ſpeluncæ quatuor cubitis & ſex cubitis: atque aperiat intra eam* ח' כוכין *octo ſepulchra*: ubi ex Gloſſa adjicit hæc verba: Non ſoliti ſunt ſingulatim, aut ſparſim, hic illic, homines ejuſdem familiæ ſepelire; ſed omnes una in eadem ſpelunca: unde, ſi vendat quis proximo ſuo ſepulchretum, vendat ei ſpatium pro duabus ſpeluncis, aut cavitatibus utrinque, atque area in medio. כוך eſt ipſiſſimus locus, ubi reponitur mortuus. Pergit prælaudatus Lightfoot verba Miſchnæ recenſere: ג' כוכין מכאן *Tria ſepulchra ſunt hinc & tria illinc, & duo juxta ea. Et ſepulchra iſta ſunt longitudinis quatuor cubitorum, altitudinis ſeptem, latitudinis ſex.* Ubi iterum quædam Johannes Lightfoot inſerit, & tandem reliqua Miſchnæ verba recitat his verbis: *R. Simeon dicit, Concavum ſpeluncæ conficitur ſex cubitorum atque octo cubitorum: atque aperit intra eam tredecim ſepulchra, quatuor hinc, & quatuor illinc, & tria coram iis, unumque à dextera oſtii, atque alterum à ſiniſtra. Conficiturque area intra introitum in ſpeluncam quadraturæ, ſecundum dimenſiones feretri, ac ſubeuntium: atque aperit ab ea ſpeluncas duas, hinc unam, aliam inde. R. Simeon dicit, Quatuor ad quatuor ejus latera. Rabban Simeon Ben Gamaliel dicit, Totum conficiendum eſt ſecundum conditionem ſoli.*

III.

III. Hic Mischnæ textus duas in se continet partes, quarum prior formam sepulchri simplicis ostendit, cui sufficit Spelunca una cum suo atrio. Posterior verò pars proponit formam sepulcri compositi; ubi inter duas aut quatuor speluncas jacet unum, commune omnibus speluncis atrium. Hæc pars incipit in Mischnæ verbis, *Aperiat medio duas speluncas* &c. Et videtur *Rabban Simeon Ben Gamaliel* insinuare, quod quis speluncas multiplicare possit, quantum quis nummos in crumena haberet, ita tamen ut atrium in has speluncas jaceat hoc modo:




Notandum autem quod voces לפי הסלע reddat cl. *Lightfoot secundum conditionem soli*, cl. *Muller* autem de nummorum seu facultatum ratione exponit, quia סלע significat & petram & monetæ genus; confer. *Buxtorff. Lexic. Talmud. fol.* 1489.

IV. Prior itaque pars proponit nobis Judaicum sepulcrum simplex, ubi primo atrium, (2.) os intra specum, & (3.) specus cum suis כוכין sistitur hoc modo:







Non ergo natura ſpeluncas ſepulchrales Judæorum efformavit veluti antrum *Trophonium*, *Corycium*, *Themiſonium* à Poëtis fingitur & celebratur, ſed arte & ſumtibus magnis. In Sepulcris Hebræorum enim, ſcribit celeb. *Stephan. le Moyne pag. m.* 516. *Var.* erat atrium, oſtium, deinde area ſepulchralis, & ad quælibet areæ latera erant כוכין foramina in pariete quatuor cubitis longa, quatuor palmis lata, & ſex palmis alta, in quæ foramina loculi vel feretra mortuorum intrudi & condi ſolebant. Et hanc conſuetudinem tempore Chriſti à *Joſepho* obſervatam fuiſſe ex *R. Samuel Ben Meir Talmud. par.* 4. *ſeu Seder Nezibim l.* 3 *Bava Batra c.* 6. *Moſ. Ægypt. in Jad. l.* 12. *ſive Mecira c.* 2. aliiſque Scriptis probat magnus ille *Caſaubon. Exerc.* 16. *n.* 78. *p.* 577. *ſeqq. ad Baron. Annal.*


V. Ut igitur hæc paulo uberius explicemus, videbimus quædam de ATRIO, quod in *Mischna* jubetur fieri ante specum sepulchralem forma quadrata, atque tanto spatio, quantum sufficit *lecticæ* & *lecticariis*. Non uno in loco hujus dictionis fit mentio in Codice sacro, qua usa est *Mischna*, nempe חָצֵר quando vel atrium aliquod Templi à Salomone ædificati, vel aulæ aut porticus domus regiæ proponitur: vid. cl. *M. Johann. Balthasar. Beyschlag. dissert. Philolog. de Atriis edit. Witteberg.* 1691. Est itaque *atrium*, ut *Festus describit de verbor. significat. genus ædificii ante ædem.* Ita etiam hoc loco *atrium* ante specum sepulchralem erat, patens senis cubitis in longitudinem, totidemque in latitudinem. Quod ad formam *atrii* attinet, quadratam innuere asserit cl. *Frider. Muller.* id quod ex particula על probat, cujus verba hæc sunt: *Per totum igitur Mischnæ nostræ textum intellige formam quadratam imperari, ubicunque legis partic.* על *secundum inter numeros positam: v. g. quaternis cubitis* (על) *secundum senos. It. senis cubitis* (על) *secundum octonos. It. senis* (על) *secundum senos. Docent idem consentientes mecum Rabbini: vid. Comment.* in *Bava Batra* 8. §. 8. Usus *Atrii* fuit pro sistendo ibi lecto, ex quo transferendum erat funus in specum sepulchralem. Confirmat hoc *Joh. Lightfoot in Centur. Chorographic. pag. m.* 171. *edit. Lips.* ita disserens: Ingredientibus in Speluncam sepulchralem & feretro subeuntibus erat primo atrium, ubi steterunt ipsi ac feretrum deposuerunt.

VI. Proximum *atrio* erat Os specus, quod hîc ostium appellamus. Habuit enim quivis specus sepulchralis apud Hebræos suum *Os* seu *Ostium*, quo ingressuros recipit, & per quod ingressus patebat. De forma, mensura & loco ostii nihil expressi habemus. Unius cubiti latitudinem ei à *Comment.* assignatam esse colligit prælaudatus *Muller.* ex figura pag. seq. Cognoscimus hinc, quod aliquando in uno sepulchro talia foramina fuerint decem, duodecim, tredecim, etiam ultra viginti ad mortuorum cadavera ordine recipienda; & quod os non ita magnum fuerit, quia Hebræi hoc lapide claudebant. Quamobrem nec alia forma, nec ampliore mensura concinnandum ostium fuit quam quæ apta foret benè claudi admoto lapide. Ostium porro hoc in vertice erat, ut remoto lapide

aliquis







aliquis introſpicere potuerit, ſed in latere ſpecus breviore extitit, uti tradunt *Hebr. Doctor.* Patet etiam hoc ex Scriptura Sacra, quod Sepulcrum Chriſti os ſeu oſtium habuerit: vid. *Matth.* XXVII. 60. *conf. Zeger. comment. in h. l.*

VII. Lapis quoque ille, quo *os* claudebatur, à volutatione nomen accepit & dictus fuit גולל *Golel.* Confirmat hoc *Matth. cap.* XXVII. v. 60. ϗ προσκυλίσας λίθον μέγαν τῇ θύρᾳ. Concordant *Arabs*, *Vulgatus*, Evangeliſtæ *Marcus cap.* XV. 46. Solus Syrus mutavit in plurale: *Et volverunt lapidem, objecerunt oſtio ſepulchri & abierunt.* Explicuit textum Græcum, cujus mens eſt, feciſſe hoc *Joſephum* per alios vel adjuvantibus aliis: erat enim lapis permagnus in eum finem aptatus ut clauderet oſtium, quod affirmat *Zegerus* ad h. locum *Matthæi* aſſerens: cujus ſpeluncæ introitus grandi ſaxo intercludebatur. Verum qui cum *Baronio Tom.* 2. *Annal. Eccleſ. anno* 34. *num.* 189. & *Janſen. Concord. Evangeliſt.* ſpeluncam duplicem peramplam ſtatuunt, cujus pars anterior veſtibulum, poſterior ſeu interior pariete quaſi interſtincta ſpecum ſepulcralem exhibeat, ſtatuunt, aut cum *Maldonato in Matth.* XXVIII. 3. & *Barrad. Harm. Tom.* 4. *lib.* 8. *cap.* 2. & 3. neceſſe eſt, ut duos vel tres lapides diverſis veſtibuli, ſpecus, conditorii oſtiis occlu-


dendis confingant. At ſilent, imò contradicere videntur teſtes oculati Apoſtoli, *Cyrillus* etiam *Hieroſolymit. Catech.* 14. non habet hoc, quod ex eo mutuaſſe putat *Baron. l. d.* qui potius aſſerit, ſuo adhuc tempore ſepulchra Judaica ante aditum ipſum habuiſſe lapidem. Imò Evangeliſtæ unius tantum mentionem faciunt, qui ab Hebræis dictus fuerit גולל *Golel.* Vid. annot. *Hugon. Grot. ad Matth. cap.* XXVII. cl. *Car. Ortlob. diſſert. de Sepulchr. Chriſti.* Inprimis autem hoc loco videatur celeb. D. *Quenſted. de Sepultura Veter. pag. m.* 248. 249. *edit. Witteb.* 1660. qui horum opiniones accurate examinavit: confer. *Godefrid. Thilo. in diſſert. de Sepulcr. Chriſti* §. 13.

VIII. Ut autem ſciamus, quid fuerit גולל Golel, ſeu lapis ad oſtium ſepulcri advolutus, paucis videbimus. Eſt itaque גולל vel גוללא *Operimentum*, *operculum ſepulcri*, ſeu *lapis ſepulchralis.* Sic apud *Talmudicos:* עד שיסתתם הגולל *donec obturetur operculum ſepulchri.* R. *Moſes Maimonid. in Comment. ad Oholoth c.* 2. ſcribit גולל eſſe הוא הכסוי אשר יכסו בו המתים operimentum, operculum, quo tegunt mortuos, ſive ſit ex ligno, ſive ex lapide, aut alia materia. Et mox; כסוי הקבל operculum autem ſepulcri vocatur גולל quod juxta illud ſit lapis מתגלגלת advolutus ſuper os ſepulchri. *Obadias de Bartenor.* הגולל אבן גדולה ורחבה שסותמים בה פי הקבר מלמעלה מלשון ונגללו את האבן h. e. גולל Golel eſt lapis magnus & latus, quo obturant vel claudunt os ſepulcri ſuperne, (lapis Sepulchralis) Hinc illuſtrantur verba Evangeliſtar. *Matth.* XXVIII. 2. *Luc.* XXIV. 2. Non licebat lapidem hunc ad os ſepulcri advolutum removere, quare Canon apud *Talmudic. Vetitum eſt aperire ſepulchrum, poſteaquam lapide* גולל *ſepulchrum eſt clauſum.*

IX. Viſo lapide propius ad ſpecum accedimus & per Os ſeu oſtium ingredimur. *Miſchna* internum hujus ſpecus inſignivit nomine (תוך של מערה) medii, quod eſt ſpeluncæ, ſeu in ſpelunca; ſeu medium ſpeluncæ. De hujus medii apparatione, forma & menſura hæc habemus. Apparationem ſignificat Miſchna verbis generalibus עשה *faciat*, פותח *aperiat.* Quia opus eſt pro terra, *effoſſione;* pro petra, *exciſione*; alibi forte compoſitione ex fruſtis; ut interius pateat, idonea ſpecui, cavitas. Cavitatis hujus forma fieri quadrata debet ex Miſchna

præ-

præſcripto. Quatuor enim fuerunt ſpecus latera, & fundi area ſine dubio quadrata. De lacunari (uti quidam fingunt) nihil reperimus, arcuatum fuiſſe probabilius, quia eſt durabilius. Menſura in longum & latum variat, pro modulo anguſtioris aut auguſtioris ſepulcri. Definitur in ſepulchro anguſtiore longitudo ſenis, latitudo quaternis cubitis: in auguſtiore autem illa, octonis, hæc ſenis cubitis. Altitudo præfinitur per Rabbin. Additiones, quatuor cubitis; æqualiter, pro utroque modulo. Arrectus enim aliquis, ſtans in cujuſvis moduli ſpecu non attinget vertice lacunar; quia didicimus, viri juſtam ſtaturam eſſe intra tres cubitos. In Specu, de quo huc uſque diſponit ſua כוכין *Kokin* noſtra Miſchna; Octo, in anguſtiore; Tredecim in auguſtiore modulo ſepulchri:



X. Inter ſingula *Kok* faciunt intervallum unius cubiti, quin adeo ſancte voluit obſervari *Comment.* ad *Miſchn.* hoc intervalli dimenſum, ut ab oſtio etiam diſtare quodque *Kok* velit

 inter-

intervallo unius cubiti, uti ex figura moduli augustioris sepulcri constat. Atque ob hanc causam distant in augustiore modulo *Kokin* I. & XII. IV. & XI. IX. & VIII. V. & XIII. In angustiore modulo *Kokin* C. & H. F. & G. à laterum angulis dimidio duntaxat cubito. Ob eandem causam nulla reperiuntur *Kok* in latere, quod pandit ostium specui angustioris sepulcri, ubi *Kokin* disponenda hinc inde dicit *Mischna*, id est è regione. Hoc accipit *Comment.* sub respectu ad latus, in quo est ostium, v. g. in angustiore modulo trina hinc & inde, hoc est in A. B. C. & in D. E. F. duo è regione, i. e. G. H. Similiter in augustiore modulo quaterna hinc & inde, i. e. in I. II. III. IV. & in V. VI. VII. VIII. tria è regione, i. e. XI. X. IX. duo à dextr. & sinistr. ostii, i. e. XII. XIII. conferatur huc quoque B. *Geier. tract. de luctu Hebr. cap.* VI. §. II. *pag. m.* 131. *seq.*

CAPUT XII.

De horum Kokin applicatione ad Scripturam.

I. Magna hic est controversia inter Doctores, inter se disquirentes; An forma hæc Sepulcrorum nobiliorum etiam Sepulcro Christi conveniat? Inter has litigantes partes quidam affirmant, quidam negant. Inter negantes referimus doctiss. *Mullerum* in dissert. de Sepulcris ita loquentem: *Cum Sacra Scriptura componere Kokim haut scio.* Quomodo enim funus 2. *Reg.* XIII. temere projectum contigisset ossa Elisæi in Kok abdita? Quomodo *Joh.* XI. 44. Lazarus, cujus manus & pedes vincti erant, è Kok prodire potuisset? Quomodo *Joh.* XX. 12. sedissent Angeli in capitis pedumque loco? Optimum ergo judicat relinquere Rabbinorum Kokim & contentus specu sepulcrali, ostio specus, atrio ante ostium & lapide ostium claudente. Denique post multa concludit: *Ast* in ipsa specus area probe complanata jacuisse funera, sibi mutuo contigua, sine loculo suis tantum linteis involuta, iisdemque circa pedes & manus constricta ex figura hac cognosci poterit:

Ut







Ut ita cadavera ordine inferrentur, & primum primo loco litera a notato, secundum litera b & consequenter locarentur. Consentientem hîc habet virum eruditum *Stephan. le Moyne pag. m.* 517. Varior. ita scribentem: Non tamen existimandum est, omnia Judæorum sepulchra istis foraminibus fuisse distincta. Nam contrarium passim occurrit ex variis *Judæorum cippis* & monumentis, quæ alia forma & sine istis variis cavis & foraminibus & כוכין sunt exstructa & ædificata. Imo temporibus Apostolorum & ante, non omnia Judæorum sepulcra ista forma solebant adornari. Quomodo enim si perpetua fuisset ista sepulcrorum forma funus istud de quo 2. *Reg.* XIII. corpus *Elisæi* in *Kok* uno delitescentis potuisset attingere? Quomodo *Lazarus* in tali foramine conditus capite obvelato, manibus pedibusque revinctis, potuisset videri & in isto cavo, à fasciis suis & tota sua pollinctura liberari? Certe Sepulchrum Christi alterius formæ fuisse omnino patet ex sindone & ex linteis sepulchralibus, quæ in foramine videri non potuissent, & ex Angelis quorum unus ad pedes alter ad caput Sepulchri stabat. Quod innuit satis Angelos non in Cavo quodam apparuisse, sed in sepulcro, in cujus area media jacuerat corpus Domini nostri, & cujus sepulchri caput & pedes Angeli poterant facile occupare & fœminis ad ostium sepulchri plangentibus & spectantibus se conspiciendos præbere. Unde facilè quis colligere potest varias fuisse formas sepulchrorum, & in quibusdam nulla fuisse cava seu foramina ad usum cadaverum condendorum.

II. Contra sunt viri gravissimi, qui affirmant & Christi sepulcrum Kokin habuisse. Afferit *M. Car. Ortlob. diss. de se-*

pulcro Christi §. 10. *Josephum* eodem modo monumentum suum exstruxisse uti Hebræi solebant modis paulò ante citatis. Ita etiam doctiss. *Isaac. Casaubon. Exercit.* XVI. *ad Baron. Annal. pag. m.* 578. expresse scribit corpus Domini positum fuisse in unum ex octo vel tredecim foraminibus, quæ cavari solita in quoquo monumento. Imò multa Scripturæ loca esse, quæ hoc probent, confirmat doctiss. Anglus *Johannes Lightfoot in Centur. Chorograph. cap.* C. *pag. m.* 171. edit. *Lips.* Nam *Marci cap.* XVI. 5. exstare inquit: *Introeuntes fœminæ in monumentum viderunt Juvenem sedentem à dextris.* Ubi notandum, quod mulieres quidem ingressæ fuerint in monumentum, ipsum autem conditorium, quod unum erat ex octo vel tredecim illis cavatis foraminibus in quo repositum erat sanctissimum Christi corpus, tantum introspicere poterant: vid. *Quenſted. pag. m.* 249. *de Sepultura Veter.* Viderunt Angelum sedentem in ipsa area illico post introitum in speluncam. Quid dicemus de loco *Luc.* XXIV. 3. Ingressæ non invenerunt corpus. *vers.* 5. Dum inclinarent faciem in terram. *vers.* 12. *Petrus* occurrit ad monumentum & cum se inclinasset, vidit lintea i. e. fœminæ Petrusque post eas in area (בחצר) stantes, inclinant facies & deorsum spectant in locum, ubi erant ipsa sepulchra (למערת הכוכין) qui areâ profundior erat quatuor cubitis. *Johannes capit.* XX. 5. ——— & cum incurvasset se (in area stans, ut in ipsum sepulchretum despiceret) vidit lintea posita, non tamen introivit, at Petrus introivit &c. i. e. ab area descendit in ipsam speluncam, ubi (כוכין) sepulchrorum ordines: (in quæ tamen adhuc non recondita fuerant aliqua cadavera præter corpus Christi) vide de his pluribus disserentem *Lightfoot pag.* 172. quæ opinio non rejicienda videtur.

CAPUT XIII.

De Locis Sepulchrorum Hebræorum, intra & extra civitatem concessis.

I. Sacram Scripturam si contemplemur, varia loca fuisse deprehendimus, circa quæ quædam observamus, quod omni-

omnibus Judæis placuerit, ſepeliri in Palæſtina, quod falſum dogma ita illorum mentes occupaverat, ut non erubeſcerent credere גילגול המתים & profiteri, Judæis ſepultis extra Palæſtinam eſſe prius per longos telluris ductus commeandum ſub montem Olivarum, quam poſſint fieri participes reſurrectionis; hujus beneficio emergent à montis hujus pede: vid. *Buxtorf. Synagog. Judaic. pag.* 35. ſeq. & ejuſdem *Lexic. Rabbino-Talmud. f.* 439. & *Muller. Judaiſm. l.* 1. 22. *p.* 939. Sibi enim ſolis reſurrectionem promittunt: conf. *Helvic. T*.4. *Diſp. Giſſenſ. diſp.* 6. *th.* 19. Hinc Rabbini Patriarcharum deſiderium acceſſunt, quod optarint in Palæſtina ſepeliri. Ita R. Abarbanel expreſſe docet quando ita ſcribit: יען היתה קבלה בידם שארץ ישראל היא ארץ החיים שבה תחיית מתים וכל בני ישראל המתים חוצה לארץ יהיו מתגלגלים לזמן התחיה עד היותם בה. ולך היה טרחם להיות נקברים שמה: *Quoniam traditione acceptum tenebant, quod terra Iſraëlis eſſet terra viventium, in qua ſperanda ſit reſurrectio mortuorum, & quod omnes Iſraëlitæ extra hanc terram mortui per terræ cavernas revolvendi ſint in tempus reſurrectionis, donec in eam perveniant; propterea eò laborarunt, ut ſepelirentur ibi.* Communis hic eſt Judæorum de גלגול המתים *revolutione mortuorum*, quam & גלגול המחלות *revolutionem cavernarum* vocant, error, quaſi omnes, qui extra terram Iſraëlis ſanctam, in immunda Ethnicorum regione moriuntur & ſepeliuntur, per ſubterraneos meatus ad terram Iſraëlis non ſine anguſtia revolvantur, ut revolutionis hujus beneficio beatè aliquando reſurgant. Videatur de his *plur. Rever. Daſſov. de Reſurrect. Mortuor. cap.* VI. *pag.* 187. *ſeqq.* qui erudite & fuſe de his egit. Imò & hodie eundem errorem ita amplectuntur, ut quidam ſint, qui ad præcavendam revolutionis iſtius moleſtiam ante mortem eò proficiſcantur, quod ante aliquot annos R. *Judam Selket* Archi-Synagogum Viennenſ. feciſſe refert *Hilarius Prachius Præf. ad R. Jedajæ Bakkaſcham*, à ſuo *Raſchi* ita edocti, qui ad *Gen.* XLVII. 29. ita: שאין מתי חוצה לארץ חיין אלא בצער גלגול מחלות *Quia qui extra terram promiſſam moriuntur, non reviviſcunt, niſi per dolorem revolutionis cavernarum.*

II. Unde in eadem Palæſtina tot reperiuntur Sepulcra, quæ ſacer Codex monſtrat; quorum nonnulla in urbibus, reliqua extra urbes extiterunt. Non negamus Sepulcra Hebræorum

bræorum quandoque intra urbes fuisse, & Hebræos cadavera in urbibus sepelisse, uti alii populi ritum hunc observarunt. De *Græcis* consulatur *Plutarchus in Lycurgo & Lacon* item *Polybius lib.* VIII. *histor.* confer. *Tr. de luctu Græcor. pag.* 158. 159. Apud *Romanos* primitus quemque in suis ædibus terræ mandatum fuisse præter *Isidorum lib.* XV. *de Orig. c.* II. *Alexandrum ab Alexandro lib.* VI. *Genial. Dier. c.* 14. testis est *Servius* nominatissimus ille *Virgilii interpres in lib.* VI. *Æneid.* qui ad hæc verba; *Ædibus hunc refer suis & conde sepulcro*, inquit, *Omnes homines in suis domibus sepeliebantur, unde ortum est, ut Lares colerentur in domibus.* Quod defunctorum cadavera intra urbem condita fuerint antiquissimo more testimonio *Virgilii* probatu facillimum est. Enimverò hic *Æneid. lib.* XI. non obscure id indicat, quando ita canit:

Innumeras struxêre pyras & corpora partim
Multa virûm terræ infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros urbique remittunt.


Qua fini remittunt urbi? nisi ut in urbe sepulturæ cadavera tradantur. Quod si extra urbem ea terræ commendare voluissent, quid remissione ad urbem opus fuisset? apparet itaque itidem antiquitus sepulturam intra urbem usu receptam fuisse. Et *Servius* Poëtæ mentem in eo feliciter assecutus est, ad hunc locum sic commentatus: *Urbi remittunt.* Deest unicuique, & meminit antiquæ consuetudinis, nam ante etiam homines in civitate sepeliebantur. Fallit ergò & fallitur *Alphonsus Tostatus* in expositione verborum *Genes.* L. 13. Sepelierunt eum in Spelunca duplici, quam emerat Abraham &c. *Signate dici*, ait, *Speluncam illam emtam in jus Sepulchri fuisse in agro & extra civitatem, quia nunquam fuit mos sepeliri corpora mortuorum intra civitates, nisi apud Christianos, qui intra civitatem prope templa habent loca in usum sepeliendi mortuos sacrata, quæ adpellantur cœmiteria.* Cæterum quam à vero abeat hoc *Tostati* placitum ex antecedentibus patet. Quapropter *Benedictus Pererius Comment. in Genes.* illud placitum oppugnat hisce verbis: *Illud non rectè à Tostato, quod putat ante Christianos nullo tempore nullaque in gente morem fuisse sepeliendi mortuos intra civitates virorumque domicilia.*

III. Nostros quod spectat Hebræos, iis intra urbem olim sepulcra

pulcra fuisse, manifestum est ex exemplis Regum in utroque populo. Inprimis perspicuus locus est 2. *Reg.* XXI. 18. 26. ubi *Sanctius* autumat, *in horto illo illustre aliquod mausoleum dignum regio cadavere constructum fuisse ab ipsomet Rege adhuc vivo.* De Sepulcris Regum Judæ vidimus *cap.* IX. quod illa fuerint in civitate *David* in monte Sion. Similiter patet ex Scriptura quod Sepulcra *Regum Israël* in *Samaria* fuerint. Quod *Hierosolymæ* in arce *Sion* sepulchretum Regum Judaicorum fuerit, elucet ex 1. *Reg.* II. 10. 2. *Reg.* XIV. 20. *Nehem.* III. 16. confer. *Hottinger. pag.* 35. & *pag.* 43. *in Cipp. Quensted. de Sep. Veter. pag. m.* 195. §. 6. Præter Sepulcra domus Davidis in eadem urbe, inde à diebus Prophetarum priorum fuisse quoque Prophetissæ *Huldæ* sepulchrum refert ex *Maimonide* doctiss. *Lightfoot in Centur. Chorograph. cap.* XXI. *pag. m.* 44. *edit. Lips. Non permittunt in ea sepulcrum, exceptis sepulchris domus Davidis & sepulchro Huldæ Prophetissæ, quæ illic fuerunt à diebus usque Prophetarum priorum.* Similiter sepulcrum *Jehojadæ* refertur inter sepulcra Regum 2. *Chron.* XXIV. 16. quod confirmat *Thomas Fuller. in Pisgah-sight of Palestin. lib.* 3. *c.* 7. *fol.* 335. his verbis: *We finde Jehojada admitted amony the royall interments.* E Regum Israelitarum numero jacet sepultus in urbe *Samaria* Amri 1. *Reg.* XVI. 28. Achab *c.* XXII. 37. Jehu 2. *Reg.* X. 35. Joahas *cap.* XIII. 9. Joas *cap.* XIII. 13 14. 16. in urbe *Thyrza* Baesa 1. *Reg.* XVI. 6. filius *Jerobeami* 1. *Reg.* XVI. 18. XVII. 13. confer. *Thom. Fuller. Pisgah-sight of Palestin. lib.* 2. *c.* 9. *fol. m.* 187.

IV. Volunt etiam plures Sepulcrum SAMUELIS fuisse in *Ramah*, inter quos est sæpe citatus *Mullerus*, qui *pag.* 33. *disp. de Sepulcris* ita literis tradit: Eadem enim urbs Ramatha præbuit Samuelis infantiæ cunas 1. *Sam.* 1. 19. seqq. ætati adultæ domum *cap.* VII. 17. funeri sepulcrum *cap.* XXV. 1. confer. *Hotting. Cipp. Hebr. pag.* 50. *Samuelis* ossa è *Palæstina Byzantium* transtulisse & in templo regiis sumtibus excitato, collocasse *Arcadius* Imperator legitur apud *Baron. A. C.* 406. §. 5. sed fides sit penes Auctorem. De hoc tamen dubitamus an *Samuel* in urbe Ramah habitaverit, cum probabile videatur prope urbem *Najothi* domicilium habuisse. *Najoth* scribit *Thomas Fullerus in Pisgah-sight of Palestin. lib.* 2. *cap.* 9. *fol.* 185. *nere Ra-*

mah was the name of his house, where David some time conversed with Samuel. Patet hoc ex Scriptura Sacra 1. *Sam.* XIX. 18. Et abiit ipse (scil. David) & *Samuel* & habitarunt in *Najoth*. Hîc sanè clare indicatur, quod *David* cum *Samuele* ex Rama abierit *Najothum*, locum in agro *Ramah* situm, uti Hebræi volunt, vel vicinum *Ramah*, uti *Junius* & *Tremell.* in *annot.* bene explicant. Vocabatur נוית à נוה habitando, & denotat κατ' ἐξοχὴν habitaculum bonarum artium. *Alting. hist. Acad. Hebr. pag.* 24. quod eruditio & pietas hanc sibi sedem delegissent: vid. *Georg. Ursin. lib. de antiquit. Acad. Hebr. edit. Hafn.* 1702. *pag. m.* 30. Hinc meritò miramur viros aliàs doctos, quod statuant *Samuelem* in ipsâ urbe *Ramah* sepultum, cum extra urbem in agro *Ramah Najothi* habitaverit. Bene igitur *Thomas Fuller. in Mappa ad Trib. Ephraim* Sepulcrum *Samuelis* extra *Ramah* & prope *Najoth* posuit hoc modo:



Ita *Abneri* sepulcrum in media urbe *Hebron* fuisse statuit cit. *Mullerus* ex *Hottingeri lib. de cippis: confer.* 2. *Sam.* III. 32. IV. 12.

12. cum probabile asserat *Fullerus* extra urbem fuisse, uti in mappa situm ejus ostendit, quam Tribui Judæ tribuit. Interim tamen non negamus Sepulcra Hebræorum olim & extra & intra urbes fuisse. Ita etiam apud Romanos viri quidam clari ex speciali Populi Romani studio, eo quod de Republ. optime meriti essent, intra Urbem tumulati sunt, quod maximum decus fuit. Hoc accidisse *Publicolæ* & *Tuberto Cicero lib. 2. de legib. tradit.* Referunt hoc etiam *Dionys. 5.* & *Plutarch. problem.* 79. Quod & privilegium fuisse Imperatoris, qui Rempubl. armis auxisset, docet Servius *lib.* 11. *Æneid.* Ita Virginibus Vestalibus permissum ut intra urbem sepulturæ traderentur ex Servio tradit *Marcell. Donat. in Elucidat. ad Sueton. pag. m.* 549.

V. Plura tamen & frequentiora Judæorum Sepulcra extra urbes in locis à viventium domiciliis remotis, fuisse, ostendit evidenter Scriptura variis exemplis, tum ob nitorem & sanitatem, tum ne contaminarentur. Ut igitur exemplis Scripturæ probemus Hebræorum sepulcra extra urbes fuisse, locus ille *Matth.* VIII. 28. ubi in regione Gergesenorum occurrebant Servatori duo Dæmoniaci è monumentis prodeuntes, in quibus domicilium habebant. Ad quæ verba annotat *Menochius*: Judæi, inquit, non in urbibus, sed extra urbes sepulchra constituebant. Viduæ Nainiticæ filius efferebatur extra civitatem, *Luc.* VII. 12. Lazari sepulchrum fuit extra Bethaniam, *Joh.* XI. *Josephus Arimathæus* monumentum sibi extra muros *Jerusalem* excidi curavit, *Matth.* XXVII. 6. *Marc.* XV. 46. *Luc.* XXIII. 53. *Joh.* XIX. 41. Et certum est, quamlibet civitatem habuisse peculiarem locum ad condenda cadavera extra civitatem; non enim sepeliebant mortuos suos in termino urbium suarum, monente ex *libro Præceptorum Quensted. pag.* 193. *de Sepult. Veter.* De Hierosolymis quoque *Maimonid.* à *Lightfoot* cit. in *Centur. Chorograph. cap.* XXI. *pag. m.* 44. Non pernoctare in ea permittunt mortuum, non portant per eam ossa mortui, non permittunt in ea sepulchrum. Et ita patet, Sepulcra Hebræorum plerumque extra urbes fuisse. Vid. *Jansen. Concord. Evangel. cap.* 31. *Drus. lib.* 1. *Præter. ad Matth.* XXVII.

VI. Horum vestigia presserunt & alii populi, qui cadave-

ra extra urbes ſepeliri juſſerunt, ob varias rationes, quarum & hæc non minima, ne urbs tetro cadaverum odore inficeretur, de qua re erudite Dn. *Johann. Faes in animadverſionibus ad Gyrald. c.* 1. *pag.* 117. egit, qui evolvatur. Sic Romæ legibus XII. *Tabular.* cautum fuit, ne intra urbem mortuus ſepeliretur. Confirmat hoc *Cicero lib.* 2. *cap.* 23. *pag.* 231. *de legib. Andr. Tiraquell. ad Alexandr. ab Alexandro lib.* 3. *c.* 3. *fol. m.* 205. *Genial. dier.* conferantur *Geier. de luctu Hebr. cap.* VI. *Quenſted. de Sepultur. Veter. Tr. noſtr. de luctu Græcor.* & plures alii. Prohibet etiam hoc Synodus magna ſub *Cuthberto*, uti videre eſt in *Conſtitutionibus & Legibus Eccleſiæ Britan. Henrici Spelmanni fol. m.* 290. Certum eſt, inquit, *ante hoc Cuthberti tempus nullum fuiſſe in urbibus Cœmiterium, nullum ſepulturæ locum.* Prohibitum quippe cum in *legib.* XII. *Tab. cap.* 2. tum ex more gentium. Et quidem (1.) ex perpetua conſuetudine populi Dei, qui mortuos ſuos ſepeliit non in urbibus & templis, ſed in campis, ſicuti videre eſt in hiſtoria Patriarcharum, qui omnes in campis ſepeliri voluerunt, uti etiam conſtat ex exemplis paulo ante allatis: vid. *Martyr. in Loc. comm. claſſ.* 3. *in loco de Sepultura.* (2.) ratio deducitur ex charitate proximi, cui plane adverſatur iſte mos ſepeliendi mortuorum in urbibus & templis, tum nempe valetudini & vitæ vivorum nocetur per halitus, qui ex cadaveribus mortuorum in urbibus & templis tanto copioſiores exhalant, quanto locus eſt concluſior, & ob hominum frequentiam tepidior; quos quidem halitus, præſertim ex eorum cadaveribus, quæ peſte extincta ſunt, evaporantes, venenatos & contagioſos eſſe Medici teſtantur, inter quos *Lemnius in lib.* 2. *de Mir. nat. cap.* 3. ut non dicamus de arena, ſive ſabulo & terra, in qua cadavera mortuorum plura computruerunt, & quæ in templis ſolent pluribus annis retineri, quam nempe ea tota imbuta ſit materia non tantum fœtida, ſed etiam venenata quaſi, quam materiam exhalare ad vivos neceſſe eſt, quando monumentis apertis ſabulum iſtud movetur & effoditur. (3.) eſt à cauſa efficiente & origine iſtius conſuetudinis ſepeliendorum mortuorum in templis, quam originem peſſimam eſſe, vel id teſtimonio eſt, quod nempe Monachi, & præſertim Franciſcani mendicantes, ex iſtis ſepulturis, quæ in templis fiunt, non niſi

nisi quæstum quæsiverint. Vid. plur. *Barthol. Keckerman. pag. m.* 1278. *Oper. Philos.*

VII. Accedit aliud argumentum desumptum ex testimonio Juris civilis, de quo jure placet annotare verba Francisci Ripæ ex tractat. de peste *cap.* 4. ubi inquit: Ad removendum fœtorem ex cadaveribus provenientem à majoribus nostris inventa sunt sepulchra non defunctorum causa, sed viventium gratia instituta, nam quia sepulchra ut plurimum fœtent, statuit *D. Hadrian.* pœnam 40. aureorum in eos, qui in civitate sepulcrum faciunt, locumque publicari jussit & corpus inde transferri *l.* 3. *§. Div. Hadrian. ff. de sepulchr. violat.* Id ipsum prohibuerunt Cæsares *Diocletian.* & *Maximin. l. mortuorum l.* 12. *de relig. & sumpt. fun.* & Julius Paulus *libr.* 1. *recept. sentent.* scribit: *Corpus in civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis. Antoninus* quoque *Pius* intra urbem sepeliri mortuos vetuit, teste *Julio Capitolino in vita ejusdem.* Refert *Dion Caff. lib.* 48. ab *V. C. cap.* 76. Romæ cautum edicto, ne mortui intra duo millia passuum ab urbe cremarentur. His, quæ diximus, calculum addunt *Canones sub Edgaro Rege dati circa Ann. Christi* 967. *fol. m.* 451. Conciliorum, quæ *Henric. Spelman. Eques aurat. Angl. edidit.* Verba hæc sunt: *Docemus etiam, ut nemo quempiam in Ecclesia sepeliat, quem non constat ex vitæ probitate Deo placuisse & ex eo judicetur hujusmodi sepultura dignus.* Confirmant etiam hoc *Capitula incertæ Edition. ejusdem Auctoris fol. m.* 590. his verbis: *Antiquus in his regionibus in Ecclesiis sepeliendorum mortuorum usus fuit, ut plerumque loca divino cultui mancipata, & ad Deo offerendas hostias præparata, cœmiteria sive Polyandria facta sunt idem tumulis mortuorum. Unde volumus ut ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit.*

VIII. Non solum Romanis & aliis jam dictis populis mos fuit, mortuos extra urbem sepeliendi suos; sed etiam Græcis fuisse *Æschines* docet, dum quendam *Timachum* universum patrimonium profudisse ostendens, ait, matrem ejus orasse filium, ne fundum certum alienaret, ut si nihil inde aliud commodi caperet, saltem mortua haberet, ubi sepeliri posset,

nec

nec ipsum quoque prædio pepercisse *Aristophanes* in ἐκκλησιαζούσαις sive concionantibus idem docet. Et *Dares Phrygius in libr. de excidio Trojæ* scribit Priamum, suorum more Hectorem ante portas sepelivisse. D. *Chrysostom. in Psalm.* v. *tom.* I. ait: *Si extra urbem corpora mortua sepelimus, multo magis, qui verba mortua, & qui talia proferunt, & ne tegere aut obumbrare volunt, longe amandare oportet.* Plato *lib.* XII. de legib. ostendit quoque olim extra urbes sepultos fuisse homines. Apud Sicyonios lege cautum erat, ut nemini licuerit mortuum intra mœnia humare: vid. *Plutarch. in vit. Arati circa fin.* Plura quidem testimonia in medium proferre possemus, si occasio postularet, sed hæc de his sufficiant.

CAPUT XIV.

De Sepultura in Domibus & Hortis vel Sylvis.

I. In ædibus propriis & hortis Sepulturam locum invenisse patet ex Scriptorum testimoniis, & quidem primum apud Græcos morem hunc usitatum fuisse, uti *Plato* testatur, qui de eo in *Minoe* sic scribit: Οἱ δὲ αὖ ἐκεῖνων πρότεροι αὐτοῦ καὶ ἔθαπτον ἐν τῇ οἰκίᾳ τοὺς ἀποθανόντας, ἡμεῖς δὲ τούτων οὐδὲν ποιοῦμεν. Romanis idem memoriæ proditum est, uti §. 2. *cap. præced.* retulimus ex *Isidoro lib.* XV. *Origin. c.* II. *Serv. lib.* XI. *Æneid. Alex. ab Alexandr. lib.* VI. *Genial. Dier. cap.* XIV. & *lib.* 3. *cap.* II. confer. *Kipping. lib.* IV. *antiq. Rom. cap.* VI. *Johan. Meurs. lib.* 3. *Exercitat. Critic. cap.* XX. *Rader. Comment. ad Mart. lib.* I. *epigr.* 115. *Taubmann. ad prolog. Casin. pag.* 313. *Don Philip. Picinelli in lumin. reflex. part.* 2. *n.* 235. *fol.* 182.

II. Ex hac igitur domestica sepultura Idololatria & cultus *Larium* & *Penatium* exortus, quos domesticos Deos vocarunt. Confirmat hoc *Servius*, domesticos intra parietes terræ mandatos fuisse mortuos; undè *Larium* & *Penatium* religio. Et rursus *in libr.* VI. *Virgil. Ædibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro*, inquit, *ut supra diximus, omnes homines in suis domibus sepeliebantur, unde ortum est, ut* Lares *colerentur in domibus.* Hinc *Alexander ab Alexandro lib.* VI. *Genial. Dier. c.* 14.

Sed

Sed cum à prima origine intra ſuas quiſque ædes defoſſa cadavera haberent, unde *Lares* in ſingulis ædibus colendos religio pervaſit. Obſervandum hic quod *Penates* triplicis generis fuerint. (1) Provinciarum & regionum, qui *Penates* abſolutè dicebantur. De his *Virgil. l.* 1. *v.* 531. *Æneid.* (2) Certarum urbium, vocabanturque *Patrii Penates, Virgil. lib.* 2. *Æneid. v.* 717. *lib.* 5. *v.* 62. & *lib.* IV. *v.* 598. (3) Singularum ædium, appellabanturque *Domeſtici*, quia unius ſaltem domus habebant curam, quales intelligit *Virgil. lib.* 8. *Æneid. v.* 122. Ita etiam de *Laribus domeſticis*, qui putabantur Animæ eorum, quos in gerenda Republ. præclara merita in Rempubl. feciſſe fingebant.

III. Sunt qui affirmant, hunc morem mortuos ſepeliendi in ædibus etiam Hebræis uſitatum fuiſſe, ita enim ſcribit *Frider. Muller. in diſſ. de Sepulcr. pag.* 34. *edit. Giſſenſſ.* & ex eo cl. *Godofred. Thilo. in diſſert. de ſepulcro Chriſti* §. 6. aliique. In *domo ſua* ſcribit *cit. Muller.* ſepultus fertur Manaſſe, 2. *Paral.* XXXIII. 20. Idem *Samuel,* 1. *Sam.* XXV. 1. Verùm recte B. *Geier. cap.* VI. §. 9. de *luctu Hebræorum pag. m.* 118. hoc negat, inquiens; non exiſtimaverim quod in ædibus ſepulti, uti Romani fecerunt, ob immunditiem ſepulcris competentem, *Num.* XIX. 16. 18. Quapropter Synecdochicè per *domum* intelligi poteſt omne id, quod ad domum pertinet eidemque cohæret, ac proinde etiam hortus, in cujus forte angulo exteriori tale quoddam extruxerunt monumentum. Quare etiam in præcedentibus illorum ſententiam rejecimus, affirmantium Samuelem in urbe *Ramah* conditum & quidem in domo ſua, quod erroneum videtur. Nam Judæis mandatum erat, ut ſibi caverent maximè ab immunditie ſepulchrorum ſeu cadaverum, à qua ſibi cavere non potuiſſent, ſi in ædibus ſuis tumulati fuiſſent. Unde iſtis non adjicimus calculum, qui volunt, hunc ritum ſepeliendi mortuos in ædibus, Hebræis uſitatum fuiſſe.

IV. Ad hortos nos conferimus, in quibus ſæpe ſepulchra exſtructa legimus tam apud Sacros, quàm profanos Scriptores. Ita Manaſſes in horto domui ſuæ contiguo ſepultus dicitur 2 *Reg.* XXI. 18. In eodem horto jacet quoque Amon, 2. *Reg.* XXI. 26. Sic Samuel dicitur tumulatus in domo ſua, 1. *Sam.* XXV. h. e. horto Samuelis domui contiguo, uti erudite explicat B.

Martin. Geier. de luctu Hebr. cap. VI. In horto extra Hierosolyma Salvatoris nostri sepulchrum erat, *Joh.* XIX. 41. prope montem Calvariæ, uti *Thomas Fullerus in Pisgah-sight of Palestin. lib.* 3. *fol. m.* 346. *cap.* XII. bene explicat his verbis: *Near mount Calvary was a garden, and in that garden a rock, and in that rook a grave, which Joseph of Arimathia had provided for him self. This was fashionable in that age to make their monuments in the gardens, so to retrench their wanton thoughts with meditations of mortality.* Quem hortum cum sepulchro depinxit in *Tab. Geograph. Tribui Benjamin* præfixa, hinc illius situs optimè conspici poterit.

V. Gentiles horum vestigia presserunt, *sepulchra* in *Lucis* ædificantes. *Anton. Clar. in lib. singul.* dicit, apud Antiquos perusitatum fuisse defunctos in Lucis tumulare, quia ibi *Lares viales* animæ Heroum & piorum habitare dicuntur. Huc respexit *Cicero pro Mil.* in qua Albanos lucos & tumulos obtestatur, quod in illis sint tumuli. Augustus Mausoleo suo sylvas adjecit, uti *Sueton. in illo c.* 100. refert. Idem elicitur ex *Martial. de Fusco, Epigramm.* 76. *lib.* 6.

Et famulum victrix possidet umbra nemus.

Sepulcris *lucos* sacros & nemora addebant religionis causa, quæ violare nefas erat. *Serv. ad* 5. *Æneid. Johan. Scheffer. de Lappon. obitu cap.* XXVII. *pag. m.* 314. refert ex *Tornæo*: *Antequam facti sunt Christiani, & aliquanto post, defunctos suos sepeliverunt in sylvis.*

CAPUT XV.

De loco Sepulturæ in agro, montibus, vallibus, sub arboribus & ad vias.

I. Veterum quoque morem fuisse sepeliendi in agris docent & sacra & profana monumenta. Sacram Scripturam si evolvamus varia occurrunt testimonia, quæ probant, cadavera in agris fuisse sepulta. In agro Hebronensi fuit sepulchrum Patriarcharum & Matriarcharum, Abrahami, Saræ, &c. *Gen.* XXIII. II. 17. 19. Confer. *Adrichom. in Trib. Jud. n.* 100. *f.* 46. *Gerhard.*

hard. in Gen. XXIII. 2. *pag.* 457. Imo ſunt qui *Adamum* in agro Hebronenſi ſepultum affirment. *Gotfriedus Viterbienſ. pag.* 70. *lin.* 34. exſertè dicit: *Locus, ubi creatus eſt Adam, vocatur Ebron, ubi poſtea de Paradiſo ejectus habitavit, ibique mortuus eſt & ſepultus.* Et iterum: *Tunc etiam Adam & Eva iverunt in Ebron, ibique vixerunt & ſepulti ſunt. Marian. Scot. Chron. lib.* I. *Ætat.* I. *pag.* 278. *in Tom.* I. *Illuſtr. Vet. Script.* eodem collineat: *Adam*, inquiens, *ſepultus eſt in Kiriath-Arbe. Viſitur ibi ſpelunca Ebræis* מכפלה *dicta, quia in ea Adamum & Evam, Abrahamum & Saram, Iſaacum & Rebeccam, Jacobum & Leam ſepultos volunt.* Ordinem hunc ex libro *Zohar* recenſet *Schalſch. p.* 10.

אדם וחוה שרה אברהם
יצחק רבקה לאה יעקב

Idem jactitat *Hottingeri Judæus in Cipp. Hebr.* teſtis oculatus, qui Patriarchas ibi ſepultos אבות העולם Patres mundi vocat. Quam inſignem hi omnes errorem errent, demonſtrat *Sixtin. Amama in Anti-Barbar. Bibl. lib.* 3. *ad Joſ.* XIV. 15. *pag.* 384. conf. cl. Samuel. Bochart. *Phaleg. lib.* IV. *cap.* XXXIV. *pag.* 339. *lit. E.* & 340. *lit. A.* Veroſimilius eſt & putatur *Damaſcum Adamum* placide obdormiviſſe: vid. *diſſert. ſub præſid. Johann. Schieferdecker. de Adamo, edit. Weiſenfelſæ* 1678.

II. In eorundem Hebronenſium agro, ſepultos etiam Jacobi filios eſſe vult *Joſephus lib.* 2. *Antiquit.* 4. *f.* 54. *A.* cujus verba hæc ſunt: *Moriuntur verò & fratres ejus cum feliciter in Ægypto vixiſſent, quorum quidem corpora poſt tempus aliquod poſteri eorum & filii Hebrone ſepeliverunt.* Unde colligitur, ſcribit *de Dieu in annot. ad Act. Apoſtol.* undecim Patriarcharum corpora *Hebrone* & quidem ante migrationem ex Ægypto fuiſſe humata. Verùm *Joſepho* contradicit *Stephanus*, qui *Actor.* VII. 16. teſtatur, filios Jacobi eſſe in agro Sichemitico humatos, quemadmodum de Joſepho id ipſum expreſſe aſſeritur *Joſ.* XXIV. 32. confer *Hotting. pag.* 52. *Adrichom. in Trib. Ephraim n.* 59. *fol.* 28. Circa *Stephani* verba *Act.* VII. 16. inquit *Muller.* ſolent moveri quatuor dubia. An (1) Jacobus dicatur ſepultus in *Sichem* cum filiis. (2) An *Abrahamus* rectè nominetur emtor *agri Sichemitici.* (3) An *Jacobi* ager emtus *Gen.* XXXIII. 19. *Joſ.* XXIV. 32. ſit unus idemque cum illo *Geneſ.* XLVIII. 22.

Joh. IV. 5. (4) An conveniat *Mosi* & *Stephano* de natura pretii? *Gen.* XXXIII. 19. *Jos.* XXIV. 32. *Act.* VII. 16? Ad (1) respondet *Mullerus negative.* Quia *Stephanus* accurate distinguit filios à *Jacobo Act.* VII. 12. 15. nec reliquit ullum, in tota oratione, vestigium evidentis necessitatis, quæ in nobis figat conceptum adversum *Mosi Gen.* L. 15. ad (2) *affirmative.* Quia (1) potuit *Stephanus* hanc *Abrahami* emtionem habere ex traditione, sicut *Paulus* illam suam de *Janne* & *Jambre* 2. *Tim.* III. 8. (2) conjecturæ ex *Gen.* XII. 6. petitæ, non segniter militant pro *Abrahamo.* Ignorabat *Abrahamus* moram peregrinationis, de qua demum *Genes.* XV. 13. Potuit ergò opinari, se defunctum imperata peregrinatione, postquam transiisset in *Sichem*, quippe in terras, à Deo monstratas *Gen.* XII. 7. Ideò applicuit animum ad paranda ea, quibus ad stabilem fixamque sedem opus est viro tanto. (3) circumstantiæ diversæ occurrunt in emtione *Abrahami Act.* VII. 16. & *Jacobi Gen.* XXXIII. 19. Emit locum *Jacobus Tabernaculo* à filiis *Emmor*, parente *Sichem*: *Abrahamus monumento* à filiis *Emmor*, filio *Sichemi*. *Emmorem* dico filium *Sichemi*, quia partic. τοῦ sic adhibetur *Luc.* III. 23. *seqq.* 6. 15. 16. Moverit aliquis, *Josephum* in agri *Sichemitici* parte, quam *Jacobus* emerat, conditum dici *Jos.* XXIV. 32. Huic repono hoc. Sat est *Stephano*, multos jacere in ea parte agri *Sichemitici*, quam *Abrahamus* emerat, quia *Stephanus* promiscuè de filiis *Jacobi* loquitur *Act.* VII. 15. conf. *B. Gerhard. in Gen.* XXIII. 8. *pag.* 463. Ad (3) *distinguendo.* Quia mihi hac in re placet judicium illorum, qui apud *Gerhard. in Gen.* XLVIII. 2. *pag.* 826. statuunt, agri *Sichemitici* partem aliam emtione *Gen.* XXXIII. 19. aliam arcu & gladio i. e. jure belli *Gen.* XLVIII. 22. ad *Jacobum* pervenisse. Utrobique igitur de agro *Sichemitico*, at non de agri *Sichemitici* eadem parte, sermo est. Ad (4) *declinando.* Quia dubium istud me non tangit, qui diversas historias à *Mose* ac *Stephano* recitari, contendo. Adeat qui volet, *Sanct. in Act.* VIII. *n.* 51. & *Voss.* 4. *Instit. Orat.* 8. 12. pag. 151.

III. Hæc cl. *Mulleri* verba non in omnibus satisfacient Lectoribus, qui quædam obscura in illis; quare alia via incedit cl. Dn. *Heidegger. in histor. Patriarcharum Exercit.* XIII. *p.m.* 372. & dicit, duo esse in *Stephani* verbis, quæ Lectorem retardare pos-

possent, quorum prius sit, quod monumentum illud emisse dicatur *Abrahamus*, cum id *Jacobo* tribuatur *Gen.* XXXIII. 19. Posterius quod dicitur emisse à filiis *Emmor* τȣ̃ Συχὲμ i. e. filii *Sichemi*, ut quidam volunt, cum *Emmor* non fuerit *Sichemi* filius, sed pater, ut in *Genesi* & *Josua* clare docetur. Arripiunt hoc ἐναντιοφανὲς Judæi, ut N. T. auctoritatem convellant. Et prius quod attinet, constat quidem ex *Genes.* XXIII. 16. *Abrahamum* emisse sepulchrum, sed non à filiis *Emmor*, verum filiis *Ephron*, non *Sichemi*, sed *Hebrone*. Quomodo igitur *Stephanus* dicit *Abrahamum* emisse monumentum à filiis *Emmor*? *Beza* & *Masius* in *Josuam* nomen *Abraham* suspicantur esse glossema à sciolo in margine scriptum. Scripsisse nempe Lucam existimant: descendit *Jacob* in *Ægyptum* & mortui sunt & ipse & patres nostri, qui Sichemum translati sunt & positi in monumento, quod emit pretio argenti, nempe *Jacobus* repetitus ἀπὸ κοινȣ̃. Id non satis animadvertentem semidoctum aliquem putavisse, ante ὠνήσατο deesse casum, & in margine scripsisse Abraham, ac si eo loco esset res de sepulchro, quod Abraham emisse dicitur *Genes.* XXIII. 16. Et quæ alia sunt quæ citato loco adduxit, ubi simul *Junii* & aliorum opiniones legendæ, inter quas *Bezæ* laudat, qui reddit: *à filiis Emmor Patris Sichem*: vid. *pag.* 373. Varias etiam opiniones disquirentium collegit *Balduin. Walæ. Comment. in Act. cap.* VII. qui evolvatur.

IV. Objicit ad hunc locum *R. Isaac Ben Abraham in suo munimine fidei*: Error, inquit, quod *Jacob* fuit sepultus in *Sichem*, qui tamen in spelunca *Macpelah* conditus esse legitur. (2) quod capita tribuum in terram *Canaan* translata, qui tamen in Ægypto sepulti solo excepto *Josepho Gen.* L. (3) quod *Abraham* emit Sichem, qui tamen speluncam duplicem emisse legitur *Gen.* XXIII. (4) quod ab *Hemor* emisse dicatur, cum tamen ab *Ephrone Chittæo* emerit *Gen.* XXIII. (5) quod *Emor* dicitur filius Sichem, qui tamen est *Pater Sichem*, Gen. XXXIII. 19. Ad has Rabbini objectiones nervose respondit vir *Excell. Brandan. Henric. Gebhard. Profess. Gryphiswald.* ad *h. l. edit.* 1699. pag. *m.* 154. 155. ubi primo illorum opinionem rejicit, qui σφάλμα esse concedunt, quia nimis periculosa concessio, & ad-

adduxit *Glassii* sententiam, qui Ἀβραὰμ patronymice poni pro *Abrahamide Jacobo*, *Philol. l.* 1. *pag.* 172. asserit. Et hæc opinio à plerisque probatur. Aliam idem affert *pag.* 275. παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ ita per ellipsin exponens: *præter illud monumentum quod Jacob à filiis Emmor emerat. Walæus* putat, ad Ἀβραὰμ subintelligi debere τῷ h. m. quod emerat sc. Jacob Abrahamo ad designandum scopum, qui inprimis hic fuit, ut ager ille emtus primitiæ quædam esset terræ *Canaan*, cujus hæreditatem Deus *Abrahamo* promiserat. His prædictis suam adjicit explicationem *Excell. Gebhard.* his verbis: Putamus difficultatem commode tolli posse, si ἐν τῷ μνήματι ad παρὰ τῶν υἱῶν de integro repetatur h. m. *translati sunt in Sichem, & repositi in monumento, quod Abraham parato argento emit*, & *in monumento, quod juxta filios Emor Patris Sichem*. Cætera quæ ad objectiones *Rabbini* erudite responderit doctiss. *Gebhard. pag. m.* 155. *&* 156. videnda, cum fuse de his omnibus egerit. Verum cum hæc ab aliis nervose tradita fuerint, non ulterius morabimur in hac controversia; sed videbimus, an Joseph cum fratribus in agro Sichemitico vel Sichemi sepultus fuerit?

V. Ad hanc quæstionem ex Rabbinorum Scriptis erudite respondit cl. *Joh. Benedict. Carpzov. in dissertat. Philolog. de sepultura Josephi Patriarchæ edit. Lips.* 1697. §. 24. ita differens: Locum ergò sepulturæ selegerunt agrum Sichemiticum teste Scriptura *Jos.* XXIV. 32. ubi simul rationes Rabbinorum in medium profert præclar. Auctor disput. citatæ. Recte in *agro Sichemitico* vel potius *Sycharitico*; nam sepulchrum *Josephi* non prope *Sichem*, sed *Sychar* fuisse demonstrat Angl. *Thomas Fullerus* in *Pisgah-sight of Palestin. lib.* 2. *cap.* 9. Ex harum civitatum *Sichem* & *Sychar* situ facile patescit, ubi sepulchrum *Josephi* fuerit, nempe prope *Sychar*; quippe ibi fons *Jacobi* & *altare* ut ex *Evangelista Johanne* perspicue patet. Sed audiamus ipsum prius *Fullerum fol.* 198. *lib.* 2. *cap.* 9. loquentem: *Near to Schechem was a parcell of ground which Jacob bought of the childern of Hamor for an hundred pieces of money whereon he spread his tent, and erected an Altar called God the God Israel*, Genes. XXXIII. 20. Ubi tamen monendum, quod *Henricus Ainsworth. comment. in h. l. fol. m.* 123. asserat ex *Johann.* IV. 5. *Sichem* pro *Sychar* positum esse. Ita quoque *Nicol. Lloyd. in Dictionar. Geograph. ex*

Eu-

Eusebio & aliis probat *pag. m.* 941. *edit. Genev. Euseb.* inquit: Σύχαρ πρὸ τῆς Νέας πόλεως πλησίον τοῦ χωρίου, οὗ ἔδωκεν Ἰακὼβ, Ἰωσὴφ τῷ υἱῷ αὐτοῦ. vid. *Burchard.* & *Sanut. Torsell.* Hîc quoque consentientes habemus *Vatablum* & *Johannem Drusium*, qui ex aliis probatis Scriptoribus ita disserit in annot. ad caput *Joh.* IV. cujus verba producere non pigebit: *Sichar* urbs Samariæ, quæ & Sichem. Græce est Σιχὰρ & Σύχαρ variantibus libris. Syrus habet *Sachar*. Ebraicè dicitur שכם quod scribunt *Sichem*. Id posterior ætas in Sichar mutavit. Non enim certe adduci possum ut credam errorem esse exscribentium *Sichar* pro *Sichem. Hieronym. in Nom.* ex *Johan.* Corrupte autem pro Sichem, qua transfertur in humeros, ut Sechus legeretur usus obtinuit. Puto eum scripsisse, ut *Sichar* legeretur. Videtur *Sichem* medio ævo dicta fuisse *Sichar*, in quo & *Beliar* dicebant pro *Belial*, *Beelzebul* pro *Beelzebub*, immutatione ultimæ literæ tantum. Hanc *Eusebius* collocat ante *Neopolim*: alii eandem faciunt cum *Neapoli.* Hæc *Drusius*. Si ergo *Sichem* pro territorio accipimus, sub quo *Sychar* quoque continetur, stare quoque possunt verba Stephani.

VI. Verum his omnibus calculum non adjicimus album *Drusio*, qui *Sichem* eandem fuisse civitatem cum *Sychare*, cum tamen duæ distinctæ civitates, licet non procul à se invicem sitæ fuerint, uti ex tabula ex *Fullero* paulo allato cognoscitur. Expresse quoque *Gen.* XXXIII. dicitur, quod Jacob Sichem urbem non ingressus, sed intra Sichem & Sychar tentorium habuerit; quare potius *Eusebio* adstipulamur, qui *Sychar* ante *Neapolim*, quæ *Sichem* est, collocat. Sed iterum ad *Fullerum* nos conferimus: *Afterwards Jacob gave it as a portion to his son Joseph whose bones brought out of Ægypt were burried therein.* Ubi autem hæc portio fuerit, ostendit citat. Fuller. fol. 199. ita scribens: *Near to this parcell of ground which Jacob gave to Joseph, stood the city Sichar, wherein was the well, at which that excellent discourse passed betwixt our Saviour and the Samaritan woman.* Ex his sane clare elucet locum portionis & sepulturæ *Josephi* prope *Sychar* fuisse, à qua non longe dissitam fuisse urbem *Salem*, id quod quidam ex textu Hebræo eliciunt, uti Munster. qui textum Hebr. ita vertit: Et *Jacob* venit in *Salem* civitatem *Sichem.* Et Anglus: *And Jacob came tot Schalem a city of*

Schechem. Quæ opinio non adeò improbabilis videtur quibusdam. Alii salvum advenisse exponunt: vid. *Fag.*


VII. In *agro figuli* destinatur *Sepulchretum peregrinis*, *Matth.* XXVII. 7. Hunc agrum nonnulli faciunt vicinum templo, sed his contradicit *B. Gerhardus harmon. c.* 190. *f.* 115. docetque agrum extra urbem fuisse. Ad latus australe montis Sion, jactu lapidis à piscina superiore collocat hunc *Adrichom. in descr. Jerusalem, n.* 216. *fol.* 173. Hic quoque Thomas *Fullerus in Pisgah-sight extra Jerusalem* prope agrum fullonum locavit agrum figuli, qui ita scribit: *Pass we from the north-west, to the south-east part of the City, where without the walls, we light on the Potters-fild where men of that trade made brittle plate in abundance.* Unde autem ager hic nomen traxerit operose disquirit *Sanctius in Act. Apost.* c. l. 19 *num.* 46. *seqq.* Facile autem elucet. Dictus enim ager figuli, quia ibi vel figuli argillam effoderunt, ad conficienda vasa aptam; vel quod locus sterilis & nullius usus, quàm ut in illum fracta vasa conjicerentur, quod probabile videtur, quia vili pretio emtus est à Sacerdotibus: vid. *Fuller. lib.* 3. *cap.* 13. *fol. m.* 348. Rectè hic locus ad sepelienda cadavera aptus, quia etiam Gentiles arbitrati sunt, ut steriles agri sepulturis destinentur. Hoc *Plato* in *legibus lib.* XII. jubet, & *Cicero lib.* 2. *de legib.* vetat *ex agro culto, eove, qui coli possit, ullam partem sumi sepulchro; sed quæ natura agri tantummodo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat*, &c. conf. *Leonhard. Coquej. in not. ad Augustin. de C. D. cap.* XXXIV. *pag. CCCCCCCII.* Platonis legi obsequutas esse gentes Gyraldus & ex monumentis ipsis & eorum Inscriptionibus, & nota, quam ea adjuncta habuere, probat. Ea est, IN AGR. P. de hujusmodi inscriptione agit *Valer. Prob. de not. Roman. pag. XXVII.* IN AGR. P. XX. quod exponit: *in agro pedes viginti.* Sic IN. AGR. P. IIII. *In agro pedes quatuor.* Eò *Johannes Kirchman. lib.* 2. *de Funer. cap.* XI. locum *Horatii* trahit: qui habetur *lib.* 1. *Serm.*


Pantolabo scurræ Nomentanoque nepoti
Mille pedes in fronte trecentos cippus in agrum
Hic dabat.

Ubi vetus Scholiastes in FRONTE interpretatus est, in latitudine, IN AGRUM in longitudinem. Ut autem Benevoli

Le-

BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS


Conditorium clausum.
Q.TITIO.PASTORALI.
FILIO.NATURALI.
PIENTISSIMO.QUI
VIXIT.ANNIS.XVIII
DIEBUS.IIII.L.AXI
LIUS MUSEIUS
PATER.AMANTISSI
MO.FIL.FIERI.F.
Apertum et trinæ.
Binæ.
Singulæ ollæ.


5 10 15 20 25 30
Pedes Romani.
ANIO VETUS
VIA NOMENTANA.

Lectores eò melius rem percipiant, ex *Radero Comment. in Martialem* figuras adpictas exhibemus, quæ à *Joanne Bairio* ipsi communicatæ sunt. Eruta, inquit, nuper in Italia via Nomentana illustria quædam monumenta - - - quæ illa ipsa delineata mecum communicavit, conditoria, inquam, cippos, testas, cineres, lapides, inscriptiones, dimensiones tumulorum, quæ omnia cælo expressa tibi hic propono: sunt verba *Raderi*, ex quo & Benevolis Lectoribus dabimus.

Inscriptiones sunt numero XXXIII. quas ordine colloco.

A.

1.

C. LUCRETIO.
G. F.
PRIMIGENIO.
SIBI. ET. SUIS.
IN. FR. P. XXVII.
IN. AGR. P. XII.

2.

DIIS MANIBUS.
ATILIÆ COMPSÆ.
VIXIT. ANNIS XXX.
C. JULIUS. HELIUS.

3.

DIIS MANIBUS
JULIÆ PRIMIGENIÆ
VIXIT ANNIS XXVIII.
JULIUS. EYCOSMUS.
CONJUGI. SUÆ
BENEMERENTI. FECIT.

4.

COMINIÆ.
AGRÆ.
GALLIA
CAVILLA MATRI
PIENTISSIMÆ
B. M. F.

5.

D. M.
LUCIO. VALERIO.
L. F. ANIESI
FORTUNATO
CREMON. MILI.
COH. XV. RO.
CANDIDO. LEG.
VALERIAN. ANATOLI
Æ. NAT. COH. I. PR. 7. AVR.

6.

VARIÆ.
THALEÆ.

7.

AMPUDIÆ
HELPIDI.

8.

B. LUCIÆ PAVLINÆ
CONJUGI. B. M.

9.

Q. PLOTI. Q. F.
FELICIS.
IN. FRO. P. XII.
IN. AGR. P. XII.

10.

FL. ONESIMVS. MIM-
MIANÆ. VER. SVÆ
FECIT Q. V. A. IIII. M. X.

11.

D. M.
T. FLAVIO
SYMMACHO
FECIT
T. FLAVIVS
ABASCANTVS
LIBERTUS. B. M.

12.
D. M. S.
PHÆDRO.
T. FLAVIVS. PHIDIAS.
ET FLAVIA. OSIME.
FECERVNT. FILIO
KARISSIMO
PARENTES
INFELICISSIMI
V. * A.* XVIII.
ME. * V. *

13.
C. IN FR. P. IIX
IN AGR. P. XII.

14.
Q. TITIO. PASTORALI
FILIO NATVRALI.
PIENTISSIMO. QVI
VIXIT ANNIS XVIII.
DIEBVS IIII. L. AXI
LIVS MVSEIVS
PATER AMANTISSI
MO. FIL. FIERI. F.

15.
D. C. JVLIVS.
HILARIO.
IN. FR. XII.
IN. AGR. XII.
D. M. S.

16.
D. M.
C. SETONIO DE
PETILIA. SINTHRICH.
BENEMERENTI. FEC.
ANNIL. MENSOR.
DIEBUS. VII.

17.

DIS MANIBVS
C. MUCIO. JANVAR.
C. MVCIVS JANVARIVS. LIB.
PATRONO. OPTIMO
FL. JVLIÆ. SECVNDÆ. CONJVG.
M. ET SIBI. LIBERTIS. LIBERTA-
BUSQ. QVIQ. AB. IS. MANVMIS-
SI. MANUMISSÆVE. POSTERIS-
QVE. EORVM.

18.

DIS. MANIBVS. DIDIO.
ROMANO. ET DIDIÆ. C. F.
VENVSTÆ. ET. DIDIO. VE-
NUSTO. C. DIDIVS. AGATHO
MEA. PATRONIS. OPTIMIS
FECIT. BENE. MERENTIBVS
ET. LIB. LIB. POSTERISQ. SUIS.

E. 19.

M. COCCEJVS
CL. MEGORICIA
M. COCCEJVS
GL. MENICANO
COCCEIA. M. F. PHILVMINA
ELPIDIA. M. LASSO
IN. FR. P. XIIX. IN. AGR. P. XII.

20.

DIS
MANIBVS
M. MINATIO. M. F.
AVGVSTALI. VIX.
ANN. L. MENS. V.
M. MVNATIVS. FVS-
CVS. FILIO CARIS-
SIMO. FEC.

21.

D. M.
P. ATVCIVS. MAR-

CEL-

CELLINVS. TERENTIÆ
ELEVTHERIDI. SANCTÆ
FECIT. BENEMERENTI.

22.

D. M.
P. ENNIO
CONSTANTI
VETERANO
CONJVG. BENE
MERENTI. AN
TISTIA THREPTIA
FECIT.

23.

VETVRIÆ EVTYCHIÆ
Q. VIXIT AN. LXV. M. V.
DIEBVS. XV. MATRI. DVLCIS
PIENTISSIMÆ. FECIT
M. ANNIVS JVSTVS. FIL.
PIENTISSIMVS. BENE
MERENTI. DE. SE. CVM. M.
ANNIO. THREPTIO. PATRE
SVO. ET AVO IV. K. D.

F. 24.

DIS. MANIBVS
VRBANÆ
M. VICTORIVS
THREPTIVS. B. M.
IN. F. P. IV.
IN. AG. P. IV.

25.

IN. FR. P. X.
IN. AGR. P. XII.

26.

M. CORNELIVS
EPITYNCANVS
SEMPRONIÆ
SATYRÆ.

27.
TITIÆ. LOGE
CN. MVNATIVS
ERITYNCANVS
CONJUG. B. M.
TITIVS NICEPHOR.

G.

28.
DIS. MANIBVS
C. PAPIRIVS
C. F. SCAPTIO
PVDENTI. VET.
EX COH. II. PR.
7. VIBI.
VIXIT ANNIS L.
T. F. I.
IN. F. P. IX.
IN. AG. P. V.

29.
D. M.
L. VALLIO. CARPO
BENEMERENTI.
PIENTISSIMO. PATRI.
VALLIA. PRIMITIVA
FECIT.

H.

30.
IN. FR. P. XII.
IN. AGR. P. . X.
DIS MANI-
BVS.

31.
D. M.
L. STERTINIO.
HYLÆ CONJVGI
KARISS. VETTIA
MAGNA. ET. FILIA
FECERVNT.

32.
M. * MARI.
PRIMIGENI.

Ad quæ ſequentia annotavit *Raderus*, quæ hic tradere non inutile putamus. Duorum circiter pedum, inquit, altitudinis terra egeſta, primo cippi, ſecundo lapides tam literales, quam rudes, tertio ipſa conditoria, trinis, binis vel ſingulis ollis repleta, comparuere: nullam vacuam, pluresad ſummum uſque oſſibus & cinere fruſtulentas reperi. Extabant & in mediis agris, lapi..um, ſeu literarum fragmenta. Forte ut *Siculus Flaccus, libr. de conditione agrorum*, cenſuit, Sepulchra in locis ſaxoſis & ſterilibus, etiam in mediis poſſeſſionibus fecerunt. In his exſcripſi notata num. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. Formam loci religioſi, cæmenta terræ mixta, notanter deſignabant: hinc olim ſepimentis munitum fuiſſe conjicio. *Macer. l.* 17. *p.* 10. *lib.* 1. ad legem viceſimam hæreditariam D. de Religioſis & ſumptibus funerum. Monumentum autem ſepulchri, id eſſe, *Divus Hadrianus* reſcripſit, quod monumenti cauſa muniendi ejus loci, factum ſit. Et quia præter album & ſubrufum, ordinariæ glebæ colorem, fruſta munimentum deſignantia aſpexi, intra quæ, etiam ſepulchris & ollis inania loca notari maxime in ſignatis B. C. D. H. *Ulpian. I. C.* conſului, qui *l.* 73. *Æde ſacra pag.* 10. *D. de contrahenda empt. de locis puris* me admonuit. Intra materiam, inquit, ſepulchrorum, hortis vel certis culturis, loca pura ſervata ſi nihil venditor nominatim excepit, ad emptorem pertinent. Trigeſimi ſecundi numeri, ærea, inter ollas unica & ſola, ſi ſæculi ſequioris non eſt, ſaltem ex alterutra *Marciani* diſtinctione legis 39. D. de relig. & ſumpt. funerum ſeqq. verbis eò collocata præſumitur. Videtur autem, inquit textus, terrâ conditum, & ſi in arcula conditum hoc animo ſit, ut non alibi transferatur. Sed arculam ipſam ſi res exigat, in locum commodiorem licere transferre, non eſt denegandum.

VIII. Sed iterum ad illud, à quo paululum digreſſi, ſcil. agrum figuli, revertimur & alterum nomen ipſi impoſitum examinamus, qui dictus quoque fuit *Hakeldama*, id quod indicatur *Act.* 1. 19. §. 16. Audiamus *celeb. Angl. Thom. Fuller. in Piſgah-ſight of Paleſtin. lib.* 3. *cap.* XIII. *fol. m.* 348. qui ita diſſerit: *It was afterwards called* Aceldama, *or the field of bloud, becauſe purchaſd with the price of Chriſts bloud, and not* (*as ſome*

may

may erroneously conceire) because hand selled with the bloud of Judas therein when his bowells gushed out. The place of whose self-execution is shewen to pilgrimes, some distance hence, on the South-West of the City, where he, who had lived a thief to his Master, dyed a felon of himself, hanyed, say some, on an Elder, say others on a Sycomore three. Non igitur vult Auctor, agrum *Hakeldama* dictum à sanguine Judæ suspensi, uti multi contendunt, sed quia pretio pro sanguine Christi dato, emtus sit. Quod ad nomen attinet *Hakeldama;* quis dubitat scribendum esse cum H. Heth. Melior ergò Scriptura Latina, quàm Græca, Nam Græci scribunt Ἀκελδαμά, quod tamen aspirandum esse putamus. Licet etiam scribere *Hacaldema* Nam Syriacè חקל *ager.* Id factum ex Hebr. חלק per metathesin. Forte Hierosolymitani dicebant חקל Hacel *ager.* Si nunc *Haceldama* locus sepulcrorum seu sepulturæ ad sepeliendum peregrinos fuerit, vix probabile est, quod à sanguine tantum nomen habuerit, eò quia emtus pretio sanguinis Christi. Non negamus quidem hoc, cum Scriptura Sacra hoc affirmet *Matth.* XXVII. 8. quod *ager sanguinis* sit dictus, non, quod prius hoc nomine non potuisset dici, verè enim erat חקל טמא *ager immundus, cœnosus,* ubi argillæ copia illum lubricum reddebant.

IX. Si ergo hunc agrum Sepulcris tribuimus, uti quoque ex Scriptura patet, jure meritoque illum *Haceldama* vocamus, ut vel ab חקל & דמה dicatur, significetque agrum, ubi homines mortui *silent, quiescunt*, quippe דמה verbum notat *siluit, quievit.* Optime igitur applicari potest ad locum, ubi Sepulcra mortuorum sunt, & ubi nil nisi silentium & quies est, id quod bene huic convenit loco. Vel (2) ab חקל & טמה quod denotat *agrum*, ubi cadavera *occultantur* vel *conclusa sunt.* Vel (3) ab חקל & טמע quod teste *Schindlero fol. m.* 706. cognationem habet cum טבע significatque *mersus, demersus fuit.* Quis igitur hinc non conjecturabit, quod *Haceldama* jure dicatur de agro hoc, ubi peregrini mortui sepeliebantur. Sed missis his ad alia pedem movemus.

X. Alius jam sequitur sepeliendi locus, quo cadavera *in montibus* sepeliebantur, quale sepulcrum fuit *Aaronis Num.* XX. 28. 25. vid *Henric Ainsworth. Comment. in h. l. edit Londin.* Similiter sepulcrum *Josuæ* in monte erat, *Jos.* XXIV. 30. *Jud.*

VI. 9. uti *Frideric. Mullerus Prof. quondam Gissensis in dissert. de Sepulcris* cum aliis statuit, quæ opinio primo intuitu genuina videtur, quippe in locis citatis expresse legimus in versione Anglicana: *And they burried him in the border of his inheritance in Timnah-Serah, which is in mount Ephraim*, i. e. und sie begruben ihn in den gräntzen seines erbes in Timnach-Serach / die auf dem berge Ephraim lieget / & miramur, quod citatus Mullerus cum aliis hinc elicere velit, & asserere, quod Sepulcrum Josuæ in monte fuerit. Ex textu enim non constat, quia mons Ephraim teste Anglo doctiss. *Thoma Fullero in Pisgah-sight of Palestin. lib. 2. c.* IX. certus tractus regionis montosus fuit, ita tamen, ut etiam civitates in vallibus ipsius exstructæ fuerint, uti ex tabella ibi adjecta clare perspicitur. Ut autem sciamus quomodo hæc civitas cum finibus in hæreditatem Josuæ cesserit, evolvamus *caput* XIX. 5. ubi clare extat, quod ab Israelitis Josuæ data sit. Consentientes hîc quoque habemus *Thomam Fullerum lib. 2. c.* IX. *fol. m.* 187. *& Dapper.* in der Beschreibung der Landschaft Palestina *fol. m.* 146. *edit. Amstel.* quorum prior in hæc erumpit verba: *Amongst the remarkable places in mount Ephraim we find Timnah-Serah on the northside of the hill Gaash, where when they had made an end of dividing the land, the childern of Israel gave an inheritance to Joshua.* Et paulò post: *In Timnath-Serah asked and built by him, Joshua afterwards was buried.* Recte & clare asserit Anglus Sepulcrum Josuæ in finibus Timnath-Sera fuisse in valle prope montem Gaas montis Ephraim seu tractus illius regionis. Audiamus etiam *Dapperum* ita disserentem: Diese Stadt lag in Ephraim auf dem Berge Ephraims Mitternachts werts von den Berge Gaas / und ward von den Israeliten dem Josua zum Erbtheil gegeben / wie er den auch in derselben gewohnet und begraben worden. Numquam hinc colligere possumus in monte sepulcrum Josuæ fuisse, sed potius affirmamus, illud in parte quadam hujus regionis fuisse, non quidem in urbe ipsa, sed ut Anglus reddidit, in finibus urbis terræ.

XI. Eleazaris Sepulcrum in monte fuisse constat ex Scriptura Sacra *Jos.* XXIV. 33. confer. *Thom. Fuller. Pisgah-sigt of Palestin. lib. 2. cap.* IX. *fol. m.* 201. qui ita: *Here religious Eleazar the son of Aaron war buried in this hill belonging to his son Phinehas.* Vid. *B. Geier. Tract. de luctu Hebr. cap.* VI. §. 9. *pag. m.*

m. 116. Machabæorum *Sepulcra splendida* in monte prope *Modinam* fuisse legitur 1 *Macab.* XIII. 27, 28, 29. *Modina* autem erat civitas Palæstinæ in Juda in monte excisa: vid. *Nicol. Lloyd. Dictionar. Geograph. pag. m.* 651. *edit. Genev.* Dapper in der Beschreibung der Landschaft Palestina *fol. m.* 374. *edit. Amstel.* qui ita: In Modin war das grab Matathie und seiner Söhne, cui adstipulatur *Thom. Fullerus in Pisgah-sight of Palestin. fol.* 211. *lib.* 2. *cap.* X. *edit. Lond.* qui in mappa optimè expressit, & cuivis sepulcrum perlustrandum sistit. In monte quoque erant sepulcra seu multitudo sepulcrorum, de qua 2. *Reg.* XXIII. 16. vid. *Geier. Tr. de luctu Hebr. cap.* VI. *pag. m.* 117. Testantur hoc etiam probatissimi Auctores, qui uno ore quasi confitentur Sepulcra in montibus fuisse: vid. *Hottinger. Cipp. Hebr.* Ita quoque *Virgil. lib.* XI. *Æneid. vers.* 849.

- - - - fuit ingens monte sub alto
Regis - - - - - - - bustum.

Testantur hoc quoque tumuli in collibus *Upsaliæ* ad *Fyriswall* excitati, vid. *Joh. Loccen. antiquit. Sueo-Gothic. pag.* 113. *Stephan. Johann. Stephan. not. in Saxon. Hist. Dan. lib.* 3. *fol m.* 91. Quare extra omnem dubitationis aleam ponitur, montes loca sepulcrorum fuisse.

XII. *Valles* quoque sepulchrorum loca fuisse probant varia Scripturæ testimonia. In *valle* humatus est *Moses Deut.* XXXIV. 6. Hic Scriptura expresse docet, *Mosen* in valle sepultum esse. Ita enim *Zeiler. Centur.* IV. *var. quæst. quæst.* 2. scribit: Moses ist auf den höchsten gipfel des Berges Nabo / Phasga genant gestiegen / davon er das gantze gelobte Land übersehen / hernach gestorben / und gegen Shogor begraben worden ist / so der ienige berg / auf welchen der warsager / Balaam / von den Moabiter König Balack geführet worden. Similiter *Eutychius Patriarcha Alexandrin. in Annal.* scribit: *In regione Moab, & sepultus est in valle in terra Moab.* Errat verò *Hornius*, quando *in Comment. ad Sulpit. Sever. Saido Batric.* tribuit, quasi de Mose asserat, quod *sepultus sit in monte Hur.* Ita etiam G. *Syncellus* à veritate abit *in Chronograph. pag.* 142. statuens, Mosen in monte *Gai* mortuum esse. Contra Scripturam hi omnes asserunt, quæ expressis verbis affirmat, in *valle* sepultum fuisse Mosen: cum tamen aliter quoque sentiat *Fullerus lib.* 2. *fol. m.* 63. quod miramur, inquiens: *Here*

(scil.

(scil. in monte) *Moses was buried.* Melius *Henric. Ainsworth. Comment. in Deut. fol. m.* 167. statuit, scribens: *He died in the mountaine, but was buried in a vally:* confer. huc diss. *B. Gerhardi de sepultura Mosis edit. Jenens.* Vallem cadaverum innuit *Jerem. cap.* XXXI. 40. ubi *Assyrii* ab Angelo interfecti sepulti jacebant.

XIII. Nobiles quoque audiunt in hac materia *Vallis Cedron* seu *Josaphat* & *Vallis Ben Hinnom*, quarum illa immani demissa sinu jacet inter latus Hierosolymorum Orientale ac montem Oliveti, teste *Joseph.* VI. *bell. Jud.* VIII. *f.* 908. Hæc illa meridionalior est juxta introitum portæ fictilis, *Jerem.* XIX. 2. conf. *Sanct. in Act.* I. *n.* 49. *pag.* 37. vid. quoque *Jos.* XV. 8. XVIII. 16. Utramque vallem apud *Adrichomium in delin. Jerusal.* rigat *Cedron* torrens, à cujus ripis olim parum distitisse promiscua Sepulcra turbæ Idololatricæ, recte colligunt Interpretes ex 2. *Reg.* XXIII. 6. 2. *Par.* XXXIV. 4. Sed utra in valle, quave in vallis parte, extiterint hæc Sepulcra, quove nomine sint censenda, nemo rite docuerit ex iisdem Scripturæ verbis. Cæterum in valle *Josaphat* olim fuisse commune civitatis cœmiterium vult *Adrichom. descript. Jer. f.* 172. *n.* 204. conf. *Quensted. pag.* 192. *seq.* In valle Josaphat sistendum esse genus humanum extremo die, cum Christus, eodem modo, ut adscendit in cœlos, veniet ad judicium, tradit *Adrichom.* l. c. conf. ibid. *f.* 170. *n.* 192. contra quam traditionem evolvantur *B. Gerhard. T.* 9. *de extrem. judic.* & *Thom. Fuller. in Pisgah-sight of Palestin. lib.* 2. *cap.* XIV. *fol. m.* 294. *edit. Londin.* Hinc traditionem ortam putamus illam, quibusdam solennem, provocationem ad vallem *Josaphat.* De hac provocatione viderint Theologi: conf. *Libenthal. Colleg. Polit. Ex.* 12. *q.* 11. In valle *Ben Hinnom* secreverat idolomania Judaica locum amplissimum aris Baaliticis, ubi filii filiæque dicabantur Molocho, 2. *Par.* XXVIII. 3. vid. Beyer. annot. ad *Selden. de Diis Syr. Kircher. Oed. Tom.* I. *Syntag.* IV. Secretum hunc locum appellarunt *Topheth.* Istud *Topheth* profanavit & fœdavit Josias Rex Judæ, 2. *Reg.* XXIII. 10. eidemque *Topheth* minatur *Jerem. cap.* VII. 32. quod ob defectum aliorum locorum huic aliquando inferenda sint *cadavera* cæsæ multitudinis. Ex his evidens fit, quod in *Topheth* ante fœdationem Sepulchrum nul-

nullum fuerit, nec esse potuerit; nec ex Scriptura probari potest, quod ad sepulcra locus destinatus fuerit.

XIV. Sub *arboribus* etiam sortiti sunt Sepulchrum *Debora* infra *Bethel* sub *Allon*, *Gen.* xxxv. 8. vid. *Henric. Ainsworth annot. in h. l. fol. m.* 128. *edit. Londin.* conf. *Targ. Hierosolym. Johan. Bompart. parallel. Sacr. & profan. pag. m.* 151. *edit. Amstel.* 1689. *Saul* in Jabes sub *Eschel*, 1. *Sam.* xxxi. 13. sub *Ela* 1. *Par.* 11. 11. Peregrina hæc arborum nomina *Allon* & *Ela*, crucem altam figunt interpretibus. Nobis satisfacit cl. *Johan. Henric. Ursin.* qui glandiferas esse arbores, quales sunt *Quercus*, *Ilices*, *robora*, docet *Arboret. Bibl. c.* xiii. 2. *p.* 204. seqq. Utrumque vocabulum citatur *Os.* iv. 13. Voce *Eschel* autem significari nemus, vult ex *Genes.* xxi. 33. *Buxtorff. in Lexic. Hebr.* confer. *Henriç. Ainsworth. Comment. in h. l. fol. m.* 83. *edit. Londin.* Porrò antiquioribus temporibus pro Regum & Principum sepultura honestissimum locum in nemoribus ac Lucis, imò sub quercubus fuisse, judicat *Sanctius in* 1. *Sam.* xxxi. *n.* 20. conf. *Ursin. l. c. p.* 205.

XV. Denique *Sepulcra* apud Hebræos etiam ad *viam* erant, quale Sepulchrum *Rahelis* erat, quæ tumulata fuit ad viam, quæ *Bethele* ducit *Bethlehemum*, *Gen.* xxxv. 19. in loco cujus à Bethlehemo est intervallum Kibrath Haarez, *Gen.* xxxv. 16. conf. *Adrichom. in Trib. Benjam. n.* 101. f. 19. Quantum istud sit intervallum prolixe disquirit *Ludovic. de Dieu animadv.* in *Gen.* xxxv. 16. *pag. m.* 44. 45. *edit. Lugdun. Batav.* 1648. qui ita: Unde conjicio כברת הארץ esse tantum terræ tractum, quantum unius funis dimensio absolvebat, i. e. unius agri, arvi aut jugeri spatium. Nec omittendus Benjamin, qui distantiam Sepulchri Rachelis à Bethlehem descripturus, dicit esse *prope Bethlehem ad dimidium circiter milliare*. מיל est bis mille cubitorum, igitur כחצי מיל est distantia mille circiter cubitorum, sive mille & quingentorum pedum. Et hæc de locis Sepulcrorum sufficiant.

CAPUT XVI.

De Sepultura animalium aliarumque rerum apud Hebræos usitata.

Non solùm *cadavera*, sed etiam *animalia aliaque res* apud Hebræos sepeliebantur & terræ mandabantur. Quod ad animalia attinet, affirmamus, quædam fuisse, quorum cinis non modò, sed ipsa quoque cadavera sepulta fuerunt. Inter hæc primo recensentur sepulta primogenita animalia, de quibus ita commentatur *R. Maimon. in P. 2. in libr. de primogenitis cap.* III. §. 4. seqq. Si quis mactet animal primogenitum, & postea ipsi innotesceret ejus vitium, licet vitium per mactationem non esset immutatum, v. g. si pes anterior vel posterior præcisus esset, posteaquam jugulatum erat, sine jussu hominis vitia censentis, erat prohibitum, & sepeliebatur, sicut animal primogenitum mortuum. Deinde §. 9. & 10. ulterius hanc in rem scribit: Si quis primogenitum animal mactaret, nec censori ostendisset, debuisse pecunias restitui, & quæ nondum comestæ carnes erant, sepeliri; Si autem primogenitum laceratum esse pateret, posteaquam detracta pellis erat, pellem fuisse combustam & carnem sepultam; si cum vitio suo esset jugulatum censoris jussu, carnem quidem sepultam fuisse, sed pellem datam Sacerdotibus. Denique cap. IV. §. 12. 13. & 16. docet, etiam abortum animalis primogeniti, ut & massam sanguinis per abortum ejectam, nec non exsectum ex matre fœtum primogenitum debuisse sepeliri. Quo pertinet etiam, quæ *cap.* IV. §. XI. leguntur, de bestia sacra, secundinam patiente, quod sepeliri secundinam necesse esset. Hæc recenset ex *Maimon. plur. reverend. Dassov. in dissert. de sepultura animal, §. 5.*

II. Similiter asinus primogenitus & non redemtus securi percutiendus erat, & postea terræ mandandus. Ita annotavit *Maimon. in P. 3. in lib. de rebus sacris, quæ facta erant illegitima, c.* XIX. *§.* II. Licet igitur sepeliretur asinus primogenitus, tamen minus sepultura asini in genere de ejus sub dio pro-

jectione, ut à canibus devoretur, accipi potest, sicut interpretatur *Jarchius in* 2. *Paral.* XXXV. Præter hunc bos lapidibus obrutus sepeliri debebat. Non enim poterat edi, licet post lapidationem mactatus esset, & alias mactatio res esui illicitas, redderet licitas, imò ne quidem carnis ejus canibus objici debebant, sed abscondendæ sub terra erant, ne vel minimus ex iis usus caperetur. Ita *Henric. Ainsworth. comment. in Exod.* XXI. v. 28. *fol. m.* 84. ex *Maimonid. lib. de prohibit. cib. cap.* IV. *sect.* 22. refert: *this law teacheth, that when sentence is past upon it to be stoned, it is forbidden, and is made as an unlawfull and uncleane beast. So that if any before hand kill it after the lawfull manner of killing beasts, it is unlawfull for any use. And so after it is stoned, it may not be sold, nor given to dogges.*

III. Præterea sepeliebatur vitula, quæ cædi solebat, ut sanguis hominis occisi, in via inventi, averteretur, cujus mentio injicitur *Deut.* XXI. 4. *seqq.* Ritus & ceremonias observatas recenset *Magnif. & celeberr. Wagenseil. in Sota*, qui evolvatur. His ita peractis, vitula decollabatur & sepeliebatur in loco, ubi occisa erat, teste *Maim. c.* X. *s.* 6. cujus verba Anglice enumerat *Ainsworth. Comment. in Deut. fol. m.* 84. his verbis: *After it was behended, and expiation made, the heiffer was burried in the place where it was killed.* Ita quoque *avis mactata* hominis leprosi *sepeliri* debebat, quæ describitur *Levit.* XIV. 4 5. Sive igitur fuerint duo pulli columbarum, sive aliæ aves; attamen illa, cujus sanguis excipiebatur vase fictili, sepeliebatur, annotante *Ainsworthio Comm. in Levit.* XIV. *fol. m.* 76. *edit. Londin. ex Maimon. Tr. de lepr. c.* 11. *s.* 1. Hæc & alia animalia sepeliebantur, quæ adducere nolumus, cum hoc fecerit *plur. vener. Dassov. in citat. dissertat.*

IV. Quemadmodum etiam apud Hebræos moris fuit, ut animalia sacra mortua, & animalia profana in atrio templi mactata sepeliebantur, de quibus egit *prælaudat. Dassov.* §. 10. Ita quoque Ægyptii horum vestigia presserunt, qui animalia sacra mortua sepelierunt, uti quibusdam testimoniis jam probabimus. Ægyptii *Apim* ut Deum cultum mortuum, magnifice sepeliunt, uti ex Diodor. Siculo refert *Athanas. Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntag.* III. *fol. m.* 200. *edit. Rom.* Cane mortuo luctum indicunt & sepeliunt. Refert quoque *Herodotus*, Ægyptios

gyptios ob felis mortem supercilia rasisse, qui addit: Feles mortuas saliri solitas, atque ita Bubastim deferri, ubi sepeliebantur: conf. *Ouzel. not. ad Minuc. Felic. in Octav. pag. m.* 264. Tali honore *Crocodilos* quoque afficiebant uti pluribus cit. loco ostendit *Ouzel.* Hunc ritum ab aliis gentibus observatum fuisse lib. 2. fuse demonstravimus, quare nullum dubium quin hic mos ferè omnibus gentibus familiaris fuerit.

V. Quod porro attinet ad alias res, quæ etiam terræ mandabantur apud Hebræos, tunc in Scriptura reperimus crines Nasiræorum qui comburebantur, vid. *Num.* VI. Præterea Rabbini quoque statuunt, quod crines etiam sepulti. Sive enim ille tonderet in Sanctuario, sive in provincia, nullum poterat ex crinibus detonsis usum capere, sed terræ committere debebat, uti discitur ex *Maimon. in lib. de Nasir. c.* VI. §. 14. Nec silentii pede transeundum, quod si gladio animadverteretur in maleficos, ille gladius terræ crederetur, sicut etiam sudarium, quo fauces delinquentium constringebantur, & lapis ille major, quem testes in lapidandum magno impetu conjiciebant, unà cum ligno, ex quo obrutum lapidibus cadaver suspendebatur, tanquam exsecrandæ, oculisque subducendæ res, sepeliebantur, uti legere est in *Maimonide in libr. de Synedriis c.* XV. §. 6. seqq. confer. cl. *Schickard.* in משפט המלך *cap.* IV. *Theor.* XIV. *pag. m.* 248. *edit. Lips.* De supplicii instrumentis cum reo supplicium passo defodiendis videatur B. *Geieri Tract. de luctu Hebræor. cap.* VI. §. 15. *pag* 140. Ejusdem consuetudinis meminit *Samuel Petitus lib.* I. *Var. Lect. c.* V. *pag.* 25. confer. annot. celeb. *Carpzovii*, *pag. m.* 249. Simile quid reperitur in *Johan. Baptist. Casalii libro de profan. & sacr. veter. ritib. part.* 2. *pag. m.* 336. *edit. Francof. & Hannover.* ubi instrumenta martyrum cum martyribus sepulta fuisse asseritur. Ita apud Hebræos liber Legis sepeliebatur: vid. *Schickard. pag. m.* 126.

CAPUT XVII.

De Visitatione Sepulcrorum Judaica.

I. Delira gens à veritate secedit longius, quo diutius trahit spiritum. Ita recepit inter fundamenta legis, hanc fidem, quod omne bonum sibi accidat propter meritum *Abrahami*, *Isaaci* & *Jacobi*, referente ex *Maimonide Hottingero in Cippis Hebr.* Nunc etiam visitat SEPULCRA, ut nuncupet vota ac preces Deo pro salute sua. Non negamus quod olim Sepulcra visitata fuerint, quia hujus ritus mentio fit *Johann.* XI. 31. ubi Judæi aliquot post tumulationem diebus *Mariam* visitantes, visô, hanc celerius exurgere atque exire, existimabant ipsammet abire ad monumentum ut illic fleret, inde comitantes eandem flebant & ipsi, *v.* 33. Hic sane, nisi tale quid aliàs in gente hac receptum, vix in tales tunc devenissent cogitationes Judæi.

II. Visitabant ergo *Sepulcra*, ut sepultus Deo commendaretur precibus, eidemque felix optaretur resurrectio. Precantes autem vultum ad urbem Sanctam convertebant. Cur autem hoc fecerint Judæi? ratio hæc dari potest, quod apud ipsos hæc invaluerit opinio, quod animæ defunctorum circa illos tumulos, in quibus cadavera recondita sunt, vagentur, quodque per intercessionem auxilium à Deo facilius impetrare liceat. Sic legitur in *Sota Gem. ad cap.* VII. *in Excerpt. Magnif. Dn. Wagenseil.* §. VI. *pag. m.* 715. אמר רבא מלמר שפירש כלב מעצת מרגלי׳ והלך ונשתטח על קברי אבות אמר להם אבות העולם בקשו עלי רחמים שאנצל מעצת מרגלים. i. e. *Rabba ait (doceri) Calebum subtraxisse se consilio Exploratorum, ivisseque & expandisse se super Sepulcra Avorum, precatumque esse; Vos Avi intercedite pro me, ut à consilio Exploratorum liberer.* In eodem tractatu quæsitum refertur *R. Chamæ* cur occultatum sit Sepulchrum Mosis? Respondetur autem, scivisse Deum, Israelitas deportandos esse in exilium, adeoque ipsis voluisse adimere occasionem veniendi לקברוהו של משה ad Sepulchrum Mosis, atque ibidem cum lacrymis & supplicationibus hos fundendi gemitus pro sua salute;

te; משה רבינו עמוד בתפלה בעדנו *ô Mose Magister noster, quæsumus te intercede pro nobis!* Ad hunc locum *celeberr. Wagenseilius* perdocte disserit. Allegat inter alia locum ex *Schalscheleth Hakkabala*, in quo explicatur, quomodo Spiritus defunctorum perveniant ad cognitionem harum precum; cujus versio hæc est: *Publicâ quadam calamitate ingruente, si populus recipiat se in locum Sepulcrorum, ibique precetur, tum excitata δύναμις θρεπτικὴ sese confert ad vim sentientem, hæc verò abiens expergefacit mentem, atque sic pro vivis apud Deum intercedunt.* Ridiculè sane.

III. Verum aliam rationem subesse constat, cur Deus Sepulcrum Mosis occultari voluerit, ne scil. Judæi nefandam Idololatriam apud Sepulcrum ipsius exercerent, & Mosen ut Deum colerent & pro Deo haberent. Unde facile apparet, quàm graviter peccent Pontificii, qui ossa & reliquias Sanctorum religioso cultu adorant, & ab ipsis auxilium petunt, quod soli Deo convenit. Vid. B. *Busmanni disput. de cultu religioso edit. Helmstad. B. Gerhard. diss. de Sepultura Mosis edit. Jenens.* Unde *Petrus Kirstenius in lib. de vit. Evangel.* ex antiquissimo Manuscripto Arabico *pag.* 52. refert, cujus verba à B. *Gerhardo* citata leguntur *in dissert. prælaudat.* D. Johannem Evangelistam in Epheso mortuum & sepultum fuisse, præsente discipulo suo Phugsire, cui Johannes præceperit, ut non doceret aliquem locum Sepulchri sui (quod ipse quoque fecerit, etiamsi probe sciverit Sepulcrum) ut videlicet impia superstitio cultus huic loco divinos forte exhiberet, quod tamen Mohamedani, in finibus Lydiæ, ubi falsò credunt, hunc Evangelistam sepultum esse, hodiè adhuc strenuè facere scribuntur. Ut ita *Johannes*, si vera sunt, quæ ex MS. Arabico de eo relata, easdem habuerit occultandi sepulchri sui causas, quas Deus habuit, cur Mosis Sepulchrum latere voluerit: vid. *cap.* VII. §. 6. ubi plura.

IV. Sed iterum ad Judæos nos conferimus & magis ineptum esse arbitramur, quod ex *Abarbanele* recitat cl. *Pocock. not: Miscell. ad port. Mos. pag. m.* 121. qui putat, ad vivos gratiam divinam derivari per ossa defunctorum. Potiùs è re erit notare testimonium *Codic. Taanith fol.* XVI. *col.* I. *Quare fiunt preces apud Sepulchra? Dissentiunt de eo R. Levi filius Chammæ, & R. Chamma filius Chaninæ. Alter ait; Nos coram te sumus*

instar mortuorum; *alter verò id eam fieri ob causam, ut defuncti pro nobis preces fundant. Quis est cardo hujus controversiæ? De Sepulcris puta* τῶν ἔξω *præcipua lis est.* Scilicet R. *Levi*, Filius *Chammæ*, noluit, sepulchra diebus jejunii eam ob rationem adire, ut per intercessiones Sanctorum auxilia impetrarentur à Deo, sed solummodo ad excitandam in animis supplicantium humilitatem, & conditionem præsentem ipsis vivide ob oculos ponendam, quippe quæ haut procul distaret ab ea mortuorum. Id verò eo adstruxit argumento, quod Judæi tempore jejunii non tantum adeant Sepulcra Israelitarum, sed & Gentilium, si illa non adsint. Atqui probabile non est, eos à Gentilium manibus velle suppetias postulare. *Maimonid. Hilc. Taanith cap.* VI. §. 17. sic pergit: ובוכין ומתחננין שם כלומר הרי אתם מתים כאלו אם לא תשובו מדרכיכם i. e. *Et lacrymantur supplicantque ibi* (apud Sepulchra) *acsi dicerent: Ecce vos omnes mortui estis, sicut illi, si vos non convertatis à viis vestris.*

V. Sanè si quidam inter Judæos sic statuant ut R. Levi *F. Chammæ*, non dubito, quin sententia R. Chammæ filii Chaninæ multo fuerit receptior. Antiquitus enim illa passim dominata est opinio, hodieque etiam nondum penitus eradicata, quod *animæ* defunctorum circa eorum *Sepulcra* & *dormitoria frequentes convolent.* Qua de causa *Gentiles*, ait vir doctiss. *Spencer. de leg. Hebr. lib.* 3. *cap.* 1. *diss.* 6. §. 5. templa sua ab ultima penè rerum suarum memoria supra Heroum suorum loculos aut dormitoria condiderunt. In his quod animæ defunctorum circa sepulcra volent *Græci* cum Hebræis conveniunt, qui non nisi tertio die mortuos sepeliebant, uti *Beresh. Rabba fol.* 114. 3. refert. Tribus diebus anima vagatur circa sepulchrum, expectans ut redeat corpus. Cum vero videt, quod immutetur aspectus faciei, recedit & relinquit corpus. *Jevamoth. fol.* 120. 1. & *Maim. in Gerush. c.* 13. conf. *Tr. nostr. de luctu Græcor. pag. m.* 11. In monumentis quoque Hebræorum legere est, congregationes ejusmodi factas ad Sepulcra præstantium virorum sæpe *honoris causa.* Huc facit testimonium ex *Bava Kama* à *Schickardo in lib. de jure reg. cap.* VI. *Theor.* XIX. & B. *Gejero de luctu Hebr. cap.* 3. §. 13. observatum, qui evolvantur.

VI.

VI. Lucem habebunt hæ Judæorum visitationes Sepulchrales ex more illo, cujus meminit *Furerus Itiner. pag.* 32. nimirum *die Veneris* (qui Turcis festus est) mulieres Turcarum ante Solis ortum ad Sepulcra defunctorum, quæ extra urbem sunt, abeunt, ubi mortem amicorum lugent, monumentaque floribus & aqua aspergunt: quô cum paria refert *Wildius lib.* 2. *Itin. c.* 14. & *Schweigger. l.* 2. *Itin. c.* 59. fœminas, quæ funeris deductioni non intersunt, post aliquot dies accedere monumentum, lamenta sua illic proferentes, mortuumque de causa discessus compellantes & cum illo velut expostulantes, quibus lamentis addunt etiam oblationes panum & Formulam præterea precationis, quam *Sepulchra* visitantes Judæi adhibent ex præscripto *Salomonis Bar R. Nathan* assignavit *Pocockius in not. miscell. ad portam Mosis pag. m.* 224. *seqq.* 227. Falsam autem Pontificiorum opinionem esse, qui preces pro defunctis effundunt, probat doct. *Quensted. in Antiquit. Bibl. pag. m.* 505. seqq. Legi hic quoque meretur dissert. celeb. *Joh. Michaël. Langii Profess. Altorf. de Litaniis ad defunctos*; conf. B. *Gejer. de luct. Hebr. cap.* 6. *p. m.* 149.

CAPUT XVIII.

De Sepulcri Christi Fatis, & visitatione ejus sequioribus temporibus facta.

I. Ex præcedentibus clare patebit, quod Sepulcrum illud, in quo Christus repositus, à *Josepho Arimathæo* exstructum, ubi nomen & omen conveniebant. *Arimathæus* dicitur à patria, quæ ab *excelsis* nomen habet. Excelsus hic erat quoad amorem & pietatem. Materiam hujus Sepulcri quod attinet, non cocti lapides vel lateres, non cespites nudi, non marmora & cæmentitiis operis accommodata, ex quibus passim Mausolea exsurrexerunt, sed petra præbuit una, continua, grandis, loco commodo nata, in qua excisum, non naturâ effigiatum, sed arte excavatum, certis foraminibus, כוכים dictis, distinctum: quæ omnia ex Antiquitate Judaica satis certa sunt. Porrò in hunc finem exstructum, ut haberet Hierosoly-

lymis advena, ubi cum ſuis poſt fata conditus quieſceret. Ad hoc elegerat *hortum*, non ſine omine, ut ſcil. in horto ſepeliretur, qui mortem, in horto ab Adamo inductam, devorare debebat. Principio monumentum à Joſepho exciſum dicitur, non acceptum, *Matth.* XXVII. 60. *Joh.* XIX. Sub finem millenarii quarti à mundo condito ſeculo quadrageſimo medio circiter, cum ſub Romanis Judæa quoque jugum ferret. Vacuum deinde ſtetit ad Annum Salvatoris XXXIV. nec in eo quiſquam unquam poſitus. Quæ omnia ex Scriptura ſatis cognoſcuntur.

II. Anno Æræ Chriſtianæ vulgo LXX. cum *Titus Veſpaſianus* Hieroſolymam muro circumducto ſtadiorum 39. variiſque aggeribus ſtructis cingeret, captam deinde ſolo æquaret univerſam, nec ſuper lapide lapidem relinqueret, ut prædixerat Chriſtus, *Luc.* XIX. 14. Vix probabile videtur, quod & hoc intactum relictum ſit. Seculo II. poſt Chriſt. N. circa annum 129. ab Ælio Adriano omnia loca in odium Chriſtianorum profanavit, de quibus Chriſti mentio facta. Seculo demum IV. ſub Conſtantino iterum ædificatum Sepulcrum *Euſebius lib.* III. *de V. C. cap.* XXIV. teſtatur, qui & templum erexiſſe dicitur. Ubi & poſt hæc frequens concurſus factus, uti refert *Theodoritus* ſeculo medio V. ſcribens: accurriſſe tum illuc univerſos Dei amantes ad tantæ magnificentiæ ſpectaculum. Imò jam ante ipſum ſub finem ſeculi IV. Hieronym. in iis habitans terris Epiſt. XIII. ad Paulin. ſcribit: *de toto huc orbe concurritur*, plena eſt civitas univerſi generis hominum & tanta utriuſque ſexus conſtipatio, ut quod alibi ex parte fugiebas, hic totum ſuſtinere cogaris. Vide & *præf. ejus in Ezech. & Epiſt.* 17. *ad Marcell.* Aſt & hoc una occurrit, quod plurimos eorum, qui non cognoſcendæ ſaltem antiquitatis & hiſtoriæ ergò, verum ex ſuperſtitione & cum opinione cultus eo advolabant, ejuſdem ætatis Patres reprehenderint. Ita ſub Seculi IV. finem Gregor. Nyſſen. peculiar. oratione in eos invehitur, cujus capita exhibere poteſt B. *Chemnit. Exam. Concil. Trident. part.* 4. *de Reliq. Sanct. pag. m.* 670.

III. A viſitationibus hujus continuis retraxit deinde plurimos ſi non vox Epiſcoporum ejuſmodi monitoria, turbo certe ille, qui iſtas paulò poſt invaſit oras. Nam A. 615. à N.

C.

C. tempore *Heraclii* Imperatoris Coſrhoës II. Perſarum Rex, velut à *Cedreno* accepimus, Palæſtinam adortus, Hieroſolymam capit, & magna ſtrage hominum facta Patriarcham Zachariam cum cruce Dominica, quæ putabatur, aliiſque theſauris abducit, quæ reddita demum poſt decennium per filium ejus Siroën ſunt, cum is patre cæſo cum Heraclio paciſceretur. Non multò poſt, nempe circ. *A.* 636. à Muhammedis propinquo Omar, Abubecri filio & ſucceſſore, *Calipha* Saracenorum, occupatur denuo Hieroſolyma & 400. amplius annis ſub eorum jugo manet. Hi barbari an ſuis omnia reliquerint locis diſertè haut conſtat. Seculi noni initio ſive A. 806. circiter *Carolus M. Imp.* ut habent *Annales Fuldenſes*, *Aventinus* aliique per Legatos Sepulcrum Chriſti Donariis miſſis veneratur, imò ab *Aarone* (Aharune) Saracenorum tum temporis Amira Syria, muneribus etiam ipſi miſſis placato, dono illud viciſſim oblatum, unà cum cœnobiis vicinis accipit. Claves Romam miſſas ex *Reginonis lib.* 2. *Cent. Magdeb.* 9. *c.* 7. *p.* 177. teſtantur. Verum ſub ſeculi XI. initium, *Calipha* & Sultanus Ægyptius Hacham vel Alhacham quibuſdam dictus, rupta pace cum Baſilio templum iſtud Conſtantinianum ad Chriſti Sepulcrum monaſteriaque cremavit, & religioſos extorres fecit. Et quis omnia fata Sepulcri Dominici enarrabit, quæ Scriptores Eccleſiaſtici annotarunt. Evolvat B. L. cl. Carol. Ortlob. diſſert. de Sepulcro Chriſti, & lectu digna reperiet.

IV. Hinc jure meritoque dubitamus, an hoc, quod oſtendunt Gentiles, ſit Sepulcrum Chriſti. Nam ſpeluncæ forma Sepulcri Dominici ac facies plane immutata, idque ante plurima retrò ſecula, ut nec hodiernæ nec proximorum ſeculorum deſcriptiones veterem formam exhibere judicandæ ſint. Scribit enim *Euſebius*, locum Sepulchri aggeſta terra aliiſque rebus à Paganis fuiſſe obrutum, atque ita ſepultum quaſi Sepulchrum eſſe Salvatoris, ne ulla extaret ejus memoria. Verba *Euſebii* apud *Quenſted. pag. m.* 252. 253. legenda ſunt. Nec fidem meretur Dapper in der Beſchreibung der Landſchaft Paleſtina *fol. m.* 321, 322, 323, *ſeq.* qui ita depinxit, & aſſerit diverſas cameras ibi fuiſſe, cum conſtet ſpecum & in illo כוכין more Judaico fuiſſe. Conjecturamus ergo pro lubitu

& placito quorundam Imperatorum subsequentibus temporibus ita exornatum & ædificatum fuisse.

V. Interim tamen non negandum, quod hoc Sepulcrum à superstitiosis sæpe visitatum fuerit, id quod tamen minime approbamus, cum peregrinatio illa ad Sepulcrum Christi nihil ad salutem conduxerit. Mittimus ergo Pontificiorum peregrinationes ad Sepulcrum Christi, quæ multum laboris & periculi habent, & Christum inclusum non ostendunt. Cum itaque hæc ab aliis decisa sint, actum agere nolumus; sed finem huic imponimus libro tertio, & ad quartum nos conferimus.

LIBRI QUARTI
CAPUT I.
De Ornamentis Sepulchrorum externis, & quidem מצבה statua.

I. Hactenus de Sepulchris Hebræorum fuse actum fuit, ubi illorum qualitates & quantitates & loca varia perlustravimus; nunc ad Ornamenta illorum nos accingimus, quæ ad honorem erga defunctos pertinent. Est autem honor erga defunctos *testimonium de pristina præstantia defunctorum à superstitibus convenienter editum, in præmium laudabiliter transactæ vitæ & stimulum honestæ æmulationis.* Media, quæ faciunt ad honorandos defunctos, sunt tum *verba*, tum *actiones*, tum *Res.* Quæ sicco silentii pede non transimus, & quoad *Res* quæ in defunctorum honorem erigi ac statui curantur, primo occurrit מצבה *Gen.* XXXV. 20. ויצב יעקב מצבה על־קברתה הוא מצבת קברת רחל Vulgatus מצבה interpretatur *Titulum.* Quæ interpretatio Pererio in *Commentario in Genes. fol.* 852. occasionem præbuit disquirendi de hoc titulo à *Jacobo* Sepulchro *Rachelis* imposito. Verbum verbo sic efferes: Et Jacob erexit statuam super ejus sepulcrum. Hæc statua sepulcri *Rachelis* in hunc diem. Ubi

מצבה

מצבה Lutherus exponit ein Mahl / vel Grabmahl / Johannes Piscator ein Seull. Anglus vertit: *And Jacob set up a pillar. Et Jacob erigebat columnam.*

II. Sunt quidam viri docti, qui per מצבה non statuam, sed monumentum aliquod intelligant, uti *Frider. Muller. in Tr. de statuis lib.* 2. *cap.* IV. §. 4. *pag. m.* 9. *edit. Gissens.* asserit, quando in hæc erumpit verba: *Absolonis monumentum* 2. *Sam.* XVIII. 18. *statuam* vocant Interpretes; sed מצבה dixit Spiritus Sanctus, indicat στήλην λίθε μαρμαρίνε. *Joseph.* VII. *Antiq.* 9. in fine. Sanè, *Mercero in thesaur. linguæ S. teste*, vox מצבה monumentum dicit, adeoque late sumi potest pro omni eo, quod memoriæ causa, aut ad rei alicujus significationem statuitur & erigitur. Et ex *Genes.* XXVIII. 18. 31. *Exod.* XXIV. 4. liquet Hebr. illa voce significari μονολίθον rudem. Unitatem dubiam faciunt annotat. in Tremell. version. *Gen.* XXVIII. 18. 31. 51. collecturæ, quia *Gen.* XXVIII. 11. multi sunt lapides; ergò מצבה est multorum lapidum strues. Verum sequela ægra est, quia in multitudine potest esse extantior, quemadmodum *Gen.* XXXI. expresse distinguitur מצבה à lapidum cumulo. Ruditatem suadent loca *Genes.* cit. nec aversatur locus 2. *Sam.* XVIII. Hæc doct. *Mullerus* refert.

III. Sed non videmus cur non per statuam explicari possit vocabulum מצבה, non autem eo modo, quo *Boulducus lib.* 3. 10. *de Ecclesia ante legem* sumsit, pro imagine, quando ita: Hîc habemus unde antiquissimum in Ecclesia sanctarum imaginum usum confirmemus ac statuarum. Vox enim Hebræa מצבה pro qua Latinus Interpres reddit *titulum*, verè statuam, i. e. sculptam imaginem significat. Argumentum scil. egregium, quo Pontificiorum Idololatriam probare conatur; cum מצבה in specie pro columna vel cippo accipiatur, quæ nulla effigie ornata. *Cippus* autem à *Jacobo* erectus, quid erat aliud, quàm Sepulchralis statua, in memoriam *Rachelis* prope sepulcrum ejus collocata. Alia ratio fuit *tituli Bethele* erecti & consecrati, qui non aliud fuit, quàm memoriale illius loci, in quo Deus *Jacobo* apparuit. Nulla ratione probabitur, quod in titulis illis exsculptæ fuerint imagines. Rudia fuerunt primo saxa beneficiorum divinorum, vel sanctorum etiam hominum memoriam conservantia. Bene igitur *Valentinus Schindler.*

ler. in Lexico Pentaglotto fol. m. 789. מצבת vel מצבה interpretatur *Statuam*, monumentum, lapidem qui erigitur in honorem Dei, vel in memoriam alicujus ſive mortui ſive alterius rei. Conſentit *Munſter. in annot. ad Geneſ. fol. m.* 27. his verbis: Formant Hebræi מצבה à יצב ſicut & Latini ſtatuam à ſtando. Non eſt igitur ut aliquis ſuſpicetur ſtatuam illam columnam fuiſſe (ſcil. effigiatam) cum ſolum lapis agri eſſet, ſed is lapis ſtabat, non jacebat, ſecundum longitudinem erectus. Statua igitur vocari poteſt lapis ille, ſicut & in Hebræo vocatur. Ita etiam reddit Paraphraſ. Chald. vertente *Paulo Fagio*: Et erexit Jacob *ſtatuam*.

IV. Perluſtremus etiam vocabulum Chaldaicum Onkeloſ. קמתא vel קמא, & reperiemus, quod originaliter & in genere *ſtatuam* notet, nulla figura ornatam. Multoties tamen in Chaldaicis Paraphraſibus deſignat quoque effigiatum aliquid, *Levit.* XXVI. I. וקמא Non erigetis vobis *ſtatuam*, columnam teſte *Fagio in not. ad h. l.* ſuper quam collocatur ſculptile. Angl. *Ainsworth. fol. m.* 165. explicat *pillar or ſtatue or ſtanding image.* Additque diſtinctionem hanc: *And pillars were ſet up either for civil moniments as was the pillar on Rachels grave* Gen. XXXV. *and Abſolons pillar* 2. Sam. XVIII. 18. *or for religious moniments, as were altars,* Gen. XXXV. 14. *theſe latter are here forbidden.* Quando igitur קמא ponitur in Scriptura pro columna effigiata ſemper Idololatriam gentilium denotat, uti *Exod.* XXIII. 24. XXXIV. 13. *Mich.* V. 13. 2. *Reg.* X. 27. *Jerem.* XLIII. 13. & aliis in locis: vid. B. *Saubert. de ſtatua Sal. pag. m.* 248. *Palæſtr. edit. Aldorff.* 1678. Non ignoramus per abuſum Gentilium factum, ut ejuſmodi ſtatuæ religioſe colerentur. Cum igitur Hebræi ejuſmodi ſtatuis juxta morem gentium abuti inciperent, Deus interdicto ſerio eas prohibuit, non qualeſcunque & civiles uti liquet ex *Joſ.* IV. 8. ſed idololatricas. De his ſtatuis idololatricis fuſe egit Anglus acutus *Johann. Owen. in libr. de ortu & progreſſ. Idololat. lib.* 3. *cap.* VIII. *pag. m.* 211. 212. 213. *edit. Brem.* qui evolvatur.

V. Ex his ſatis elucet, non prohibitum fuiſſe juxta Sepulcra *ſtatuas* erigere civiles, quem ritum obſervarunt antiquitus Hebræi & adhuc hodie obſervant, uti teſtatur *Leo Mutinenſis Rabbinus Venetus in hiſtor. rituum Ebræor. part.* V. *cap. pe-*

nult.

nult. ſub fin. In multis locis, ſcribit, adjunguntur lapides marmorei ſepulturæ cum Epitaphiis diverſimode, proſa & ligata oratione ſcriptis, recenſentibus cum nomine & encomio defuncti diem, menſem & annum mortis. Eadem ut multa alia inde in Synagogam ſuam transtulit Johannes *Buxtorff. cap.* XLIX. *pag. m.* 715. addens: non ſuperimponi lapidem ſepulchro, prout Chriſtianis mos eſt, ſed juxta illud erectum ſtare, מצבה *ſtatuam* propterea vocatum. Quod iterum affirmat, *ſtatuam* illam Jacobi juxta Sepulchrum Rachelis erectam ut monimentum. An autem *Benjaminis Tudelenſis* opinio locum habere poſſit, merito disquiritur. Sic enim in *Itinerario pag.* 47. *Rachelis* ſepulchrum deſcribit: Quod nimirum excitatum fuerit è duodecim lapidibus pro numero filiorum *Jacob*, & teſtudine quadam, quæ columnis quatuor innititur, tectum, in cujus cippi lapides omnes Judæi, quotquot tranſeant, nomina ſua inſcribant. Verum de his egimus *Cap.* VII. *lib.* 3. §. 7. licet ejus formam quoque *Adrichomius in deſcriptione terræ ſanctæ fol.* XIX. *num.* CI. *Quareſ. lib.* VI. *Peregrinat.* I. *cap.* XI. *& alii* exhibeant. *Brocardus* Monachus in I. *part. deſcript. terræ ſanctæ cap.* VII. *pag.* 56. tradit: *Jacobum* excitato Rachelis ſepulchro inſignem pyramidem ſuperimpoſuiſſe, & in ejus baſi duodecim prægrandes lapides diſpoſuiſſe ſecundum ſeriem nominum filiorum ſuorum. Quæ omnia ita comparata videntur, ut non poſſimus eis calculum adjicere album. Eo enim tempore luxus non ita invaluit, ut pyramidem erexerit, nec tantum temporis Jacobus in itinere inſumpſit, ut pyramidem exſtruere potuiſſet. Rudem lapidem erectum fuiſſe probabilius videtur.

VI. Prophetæ contra altare Domini vaticinanti, ejuſmodi quoque cippus erectus eſſe dicitur 2 *Reg.* XXIII. 17. Hic, cum Joſiæ Regi contemplando occurreret, ipſe in hæc erumpebat verba: מה הציון חלז אשר אני ראה ויאמרו אליו אנשי הע׳ר הקבר איש האלהים i. e. *Quid titulus iſte quem video? & dixerunt ad eum viri civitatis: Sepulcrum eſt viri Dei.* Commentator ר״שי putat, Regi ſciſcitandi occaſionem inde natam eſſe, quod ad tumuli iſtius Prophetici alterum quidem latus urticæ ac cardui, ad alterum verò myrti ac odorifera alia enata fuerint. ר״ד״ק hujus ר״שי veſtigiis inſiſtens, eandem cum ipſo fabulam recitat.

tat. Nos tamen eam parum pensi habemus, cum nobis sufficiat ostendisse, hujus Prophetæ Sepulcrum ejusmodi titulo quoque conspicuum fuisse. Ejusdem commatis inscriptionis Sepuchralis mentio etiam fit 2. *Sam.* XVIII. 18. ubi de Absolone sic scriptum legitur, ex versione Sanct. Pagnini: Absolon autem ceperat consilium & erexerat sibi in vita suâ את־מצבת monumentum, (statuam) quod erat in valle Regia. Vulgatus *titulum*: Lutherus eine Seule vertit. Nempe volebat Absolon sui memoriam hac ipsa columna ab interitu vindicare: vid. *Cornel. à Lapide in h. l.* Hanc *Adrichomius in Theatro terræ S. fol.* 147. *num.* 227. ita describit: *Columna erat & statua* marmorea cum inscriptione, duobus ab *Hierosolyma* stadiis distans, ubi etiamnum turris & magnus lapidum acervus exstat, qui quotidiè magis magisque augetur. Nam pagani & peregrini illac transeuntes, pro more habent, ut quisque lapidem in eum projiciat vindictæ velut loco. Videamus etiam quæ de hoc monumento *Absolonis* cum inscriptione memoriæ prodita sunt à *Josepho lib.* VII. *antiquit. cap.* IX. Statuit autem *Absolon* in valle regia cippum ex marmoreo lapide duo stadia distantem ab *Hierosolymis*, quam vocavit SUAM MANVM.

VII. Hanc quidem opinionem labefacere conatur *Johannes Christophorus* Creman *in dissertat.* sub præsidio *maxime Reverendi Dn. Johannis Andreæ Schmidii Abbat. Mariævallens. Fautoris nostri venerandi Helmstadii* habita 1702. dicta יד אבשלם quando *pag. m.* 25. post multas Scriptorum sententias in hæc erumpit verba: *Absoloni monumentum est turris, cujus inferior pars columnis operis Dorici circumquaque exornata ex perpetua rupe constat, media parte cincta duplici coronide, pyramidem, tertiam partem facientem, habens superimpositam eamque ex alio lapide confectam, à plaga orientali ostiolo eoque in inferiori parte collocato gaudens, cui à latere meridionali aliud monumentum ex rupe eaque perpetua confectum junctum est, columnis operis Corinthiaci exornatum.* Verùm si ipsum vocabulum מצבה accurate perpendimus, nunquam de *turri* ejusmodi dicitur, quippe à lapidum cumulo expressè מצבה distinguitur *Genes.* XXXI. 51. 54. qui ad turris ædificationem requiritur: conf. B. *Dieter. Antiquit. Bibl. fol. m.* 714. Nec necessitas nos cogit, ut *Dappero* hac in re assensum præbeamus, ex quo ferè hæc allata descriptio desumpta, qui *fol. m.* 365.

m. 365. in der beschreibung von Palestina eadem ferme adduxit, & statuam hanc *Absolonis* eo modo depinxit, quò eô tempore fuit, cum iter illuc instituerit. Nec probabile est, quod in hunc finem Absolon monumentum seu titulum exstruxerit, ut in illo reconderetur, cum sibi constaret, locum sibi in paternis sepulcris convenire; sed ut memoriam famæ retineret diu. Miramur igitur Dapperi delineationem hoc modo factam, ut instar cameræ turritæ alicujus sit:



Probabilior videtur *Fulleri* opinio, qui statuam ex uno quasi lapide factam depinxit, ut sit obeliscus.

VIII. Proprie ita loquendo מצבת Absolonis non fuit statua sepulchralis, sed memorialis, ut scil. hujus intuitu quilibet sibi in memoriam revocaret Absolonem. Nec ita firmo stat talo opinio illorum, statuentium, quod à patre *Absolon* in monumento à se erecto fuerit sepultus. *Dapperus* in der Beschreibung der Landschaft Palestina l. c. ex R. *David Kimchio* & *Abulensi* hoc probare conatur, quando ita scribit: Rabbi David Kimchi gibt zur antwort / das man Absolon wiederumb aus den graben genommen / und bey seinen Pfeiler oder gedächtnis / hernach in sein eigenes grab geleget / Abulensis hält dieses fur beweislich / und erkläret Absolons begräbnis in folgenden worten / Nach dem David den entleibten Absolon betrauret hatte / so fuhrete / er den leichnam oder gebeine / damit Absolon nicht in den walde / unter einen steinhaufen / verächtlich solte begraben liegen / nach dem ohrt wo sein bildnus stund / auf das sein bildnus zum gedächtnis bleiben / und anweisen solte / wo man ihn begraben. Verum haut probabilis videtur hæc Abulensis opinio, quam tamen defendit *Dapperus*, qua statuit, *imaginem* suam erexisse, cum prohibitum fuerit Judæis ejusmodi statuam erigere, quæ formam repræsentaret humanam. Nec veritati consentaneum videtur, quod parens Absolonis cadaver in sepulcro erecto sepeliri curaverit. Nam si hoc fecisset, Scriptura mentionem fecisset, tacente igitur Scriptura, & nobis tacendum, cum nec hujus mentionem faciat *Josephus*. Notum enim erat Davidi, qualem pœnam rebellis filius meritus fuerat; si igitur hoc fecis-

ciſſet, contra præceptum Dei egiſſet, id quod de Davide pio affirmare, vix conceditur. Et hæc de ſtatua dixiſſe ſufficiant.

CAPUT II.

De נפש & ציון.

I. Moris quoque fuit apud Hebræos, ut Sepulcra *cippis* ornarent, quos (2) נפשות appellabant. Hoc colligitur ex iis, quæ paſſim in Scriptis Rabbinicis occurrunt. *Maimonid.* in ſuis ad *Miſnajoth* Commentariis, *Oholoth c.* VII. §. 1. hæc habet: נפש הו אלבניאן אלדי יבני עלי אלקבר מרטפעא עלי כטח על ארץ ואסמה עלמשהור ענד נא שוכה על קבר i. e. *Nefesh ſtructura eſt, quæ Sepulcro ſuperſtruitur, elata ſuper terræ ſuperficiem, quæ apud nos vulgo* Schaucato 'lKabri *appellatur.* In ipſo *Misnajoth* textu *Schekalim cap.* 2. 5. R. *Nathan dicit, eo quod reliquum eſt mortuo* (ſcil. è nummis ad ipſum ſepeliendum collectis) *exſtruunt illi* נפש *Nefesh ſuper ſepulcrum ejus*; ad quem locum *Maimonid. Nefesh* eodem, quo vidimus, modo explicans, addit והוא נקרא ציון בלשון הקדש *Idemque in lingua Sancta vocatur Tſiun.* Unde morem iſtum ſtatuas ſuper defunctorum ſepulcris erigendi adeò tenaciter Judæi ſervant, ut concluſerint Rabbini, ſi de reſiduo didrachmarum pro redemptione animæ ſolutarum jam mortuo aliquod debitum vel reſiduum ſuperſit, quod id erigendo cippo eſſet impendendum.

II. Cur autem *cippus* נפש dictus, hæc ratio affertur, quod monumentum inſtar animæ vitam ac famam atque memoriam demortui conſervet. Obſervandum autem, quod nomen Hebraicum ציון latioris ſit ambitus, quàm נפש Rabbinorum, cum ſcil. ציון quodlibet ſignum ſepulchro appoſitum denotet, נפש autem propriè *cippum* eidem impoſitum. Hinc differentia aliqua in uſu communi Rabbinorum eſt, ita, ut ציון generalius ſigna illa, quæ Sepulcris apponuntur, ac communiter pluribus ſimul circumdantur, ſignificet, נפש autem propriè CIPPUM ab amicis mortui ipſius privatim Sepulchro impoſitum, quod non ſolùm in immunditiei cautelam aliis, ſed etiam mortui memoriam fieri ſolitum. Ea de cauſa veteri pro-

proverbio viris in celebritate constitutis CIPPOS exstruendos negant, in *Bereshith Rabba fol.* XCII. *col.* I. אין עושין נפשות לצדיקים דבריהם הם זכרוניהם: i. e. *Non sunt exstruenda monumenta justis, verba ipsorum conservant illorum memoriam.* Conf. clar. *Johan. Buxtorff. Lexic. Rabbino-Talmudic. fol.* 1377. Quod Proverbium in Gemara Jerosolymitana ad allegatum Mischnæ locum *fol.* XLVII. *col.* I. Rab. *Simeoni ben Gamaliel* vindicatur, *proverbialiter* accipiendum, hoc est, non de interdicto aliquo, ne viris de egregio publico bene meritis CIPPI post mortem erigantur, sed in laudem eorum, quippe quorum fama & memoria non tàm in statuarum, quàm in librorum & meritorum monumentis floreat, uti & in solatium, si illic forte careant. Vid. *Gejer. lib. de luctu Hebr. cap.* VI. *pag.* 129.

III. Quod si animadvertamus, facile constabit, quomodo cum praxi veterum pariter ac modernorum Judæorum hæc R. *Mosis Maimonidis in Hilc. Ebbel. cap.* IV. *halach.* IV. *Tom.* IV. operis *Jad. fol.* CCLXXIIX. *col.* I. concilianda: מציינין את כל בית הקברות ובונין נפש על הקבר והצדיקים אין בונין להם נפש על קברותיהם שדבריהם הם זכרונם i. e. *Designandus est quilibet Sepulchrorum locus, & monumentum Sepulcro superstruendum. Justorum verò sepulchris non statuendum* (necessario ad conservandam eorum memoriam) *est tale monumentum, cum verba eorum sint memoriale ipsorum*, h. e. memoriæ ipsorum conservandæ sufficiant. Licet itaque hæc à *Maimonide* producta fuerint; attamen & ipsis justis vel doctis נפשות erecta fuisse constat. Verum misso hoc ad alterum vocabulum ציון nos conferimus, ex cujus enucleatione facile patebit, quid sit?

IV. Nomen ציון unde descendat, indagare hîc non abs re erit. Nonnulli illud ab inusitata radice צין derivant, quod Lexicographi plerique & *R. Sal. B. Melech.* in *Michlal Jophi fol.* קכ. *col.* 3. *circ. med.* faciunt, Grammaticorum inter Hebræos princeps (uti salutatur cl. *Pocock. not. ad port. Mos.* pag. 8.) *Abul Walid Marun Ebn Jannabi Davidi Kimchio*, qui ejus vitula in plerisque arasse dicitur, R. *Jona* dictus est, ex Arabica lingua illud deducit, in qua صوة significat *partem terræ altiorem durioremque cippum*, item *lapidem viæ indicem*, descenditque à Radice صوا *exeruit*, cui sententiæ subscribit cl. *Pocock* l. c. p. 76. Nobis quoque non inconcinne radix de-

perdita restitui posse videtur ex Æthiop. ጸወነ *protexit ac veluti munitionibus defendit*, cui affine est Arabum صون *custodivit*, quoniam in specialiori significatu ציון juxta R. *Tanchum* apud *Pocock. pag. m.* 77. notat حاجز كالسور يبنا حول المقابر لئلا تدوسها ابناء السبيل *Septum instar muri circum sepulcreta exstructum, ne ea conculcent, qui per viam transeunt.* Generali aliàs notione quodvis סימן (qua voce τὸ ציון explicat R. *Nathan* in Concor.) ita appellatur. In hoc sensu utuntur eodem *Gemaristæ in Codic. Erubhin fol.* נר. 2. *Edit. Amstel.* ubi sententiæ R. *Chasdæ* אין תורה נקניה אלא בסימנים probatio subjicitur ex *Jerem.* XXXI. 21. additurque: *Facite* ציונים *legi. Quem hic sensum habet τὸ* ציון? *denotat signum.*

V. In sacris literis specialius notat vel *statuam Mercurialem* in viis collocari solitam; vel signum aliquod sepulchrale. Prior significatus occurrit & obtinet *Jerem.* XXXI. 21. Constitue tibi signa, ubi *Munster.* ad h. l. ita: Est autem ציון idem, quod אבן מצבת. *Vatablus* ציונים per titulos exponit, i. e. lapides erectos, quales solent erigi in agris ad indicandam viam: conf. *Grot. ad h. l.* Patet hoc ex contextu & unanimi Rabbinorum consensu confirmatur, *Raschii*, *Radak*, *Tanchum* & *Aben Melech* in *Michlal Jophi*, qui omnes ציונים hoc loco dicunt esse סמנים בווכים להכיר הדרך. De signo Sepulchrali manifeste loquuntur loca, *Ezechielis* scil. *cap.* XXXIX. 15. ubi ציון *titulus* ponitur, ex uno scil. lapide aut pluribus pariter congregatis: conf. *Grot. Com. in h. l.* Ad quem Ezechielis locum Raschi ציון esse scribit סימן שיש כין עצם של מת כדי שיפרשו ממנו הולכי דרכים itemque 2. Reg. XXIII. 17. ubi Rex Josia Sepulcrum Prophetæ conspicatus quærit מה הציון הלז ad quem locum videri possunt *Ralbag* & *Aben-Melech.* In eadem significatione accipitur ציון in *Mischn. Talmud. Cod. Niddah. c.* 7. *fol.* נו. *col.* 2. נאמני' על ציון קברות *Fidem merentur* (gentiles) *in signo Sepulchrali*, & apud sequioris ætatis Rabbinos passim, ut plura in hanc rem cumulare testimonia supervacaneum sit. Ter vocabulum hoc ציון in Sacris occurrit & reperitur 2. *Reg.* XXIII. *Ezech.* XXXIX. 15. *Jerem.* XXXI. 21. ubi est pluralis numerus, sed ex eo loco nihil redundare ad vocis explicationem potest. Latinè fecit per HERMAS *Ledebur. cat. Script.* 2. 1. *pag.* 135. De Her-

Hermis videatur *Tr. noster de Hermis seu statuis Mercurial.* conf. *Frider. Muller. diss. de Statuis* 10. 1. 1. *seqq.* Ex *Ezechiel.* intelligimus Zijon esse signum propter humani cadaveris locum constitutum; ut cadaver, hoc ציון insignitum, conspicuum existeret comportaturis cadavera in vallem multitudinis, Gog. Existimamus plane, diversum quid ציון ab Epitaphio esse, quia comportatores cadaverum debuerunt hujus conspectu admoneri, insignitum cadaver, alio esse transferendum. Hoc signum quoque 2. Reg. XXIII. permovit Regem, ut requireret ejus significationem; hinc non dubium, quin peculiari nota fuerit insignitus tumulus Prophetæ, qua admonerentur sacrificaturi, indignum eo loco esse jacens cadaver, & & translationem meritum, nisi relinqueretur ad perpetuandam memoriam miraculi, quo per Leonem, cœlitus immissum, fuerat castigatus audax adversarius religionis surgentis. Expendantur hæc, quæ attulit *Joseph.* VIII. *Antiq.* 3. *f.* 277. & res eò certior erit & assertio hæc prolata.

VI. Ornabantur & signabantur Sepulcra Hebræorum superexstructis CIPPIS, qui mos antiquissimus etiam Gentilibus usitatus fuit & Israelitis receptus & vel ab ipso Jacobo ad illos derivatus, qui *Gen.* XXXV. 20. super *Rachelis* sepulcrum מצבה *statuam* posuisse dicitur, de qua consulendus R. *Benjam. Tudelens. in Sepher Masoth pag.* 47. *Edit. l'Empereur. Adrichom. Theatr. Terr. S. f.* 19. *n.* 101. *Cotovic. l.* 9. *Itin. c.* X. *p.* 245. *Schindl. in Lexic. Pentaglott. fol.* 1582. B. *Gejer. de Luctu* Hebr. *c.* VI. *§.* 25. *pag.* 178. *D. Strauch. dissert. de Statua Rachel. edit. Witteb.* Rabbinis istiusmodi ציון dicitur נפש quæ vox uti alias πολύσημος est. Confer. *Maimonid. in More Nevuch. part.* 1. *c.* 41. *p.* 49. *Edit. Buxtorff. Flac. Clav. Script. part.* 1. *voc. Anima. Capell. in Specileg. N. T. Ainsworth. Comment. Glass. in Rhetor. Sacr. Tr.* 1. *c.* 5. *pag.* 1101. *D. Gejer. in Cohel. pag.* 197. *in Psalm. pag.* 47. 346. 398. 556. *& passim. Sixtin. Amama in Antibarbar. Biblic. lib.* 3. *pag.* 707. *Hackspan. Not. Philol. p.* 2. *pag.* 68. 168. *Schindler. Lexic. fol.* 1145. *Eduard. Pocock. not. ad port. Mos. c.* 2. *pag.* 19. *Joh. Vorst. Philol. Sacr. P.* 1. *pag.* 117. *& seq. Slevogt. disp. de L. Hell.* §. 5. 12. *Dn. Frismuth. in diss. de Messia in S. n. r. cap.* 1. §. 1. *& seqq.* Ita Talmudicis quoque ad hunc usum inservire cogitur in *Cod. Schekal. fol.* 2. *Edit. Amstel.* ubi jube-

tur

tur ex reliquo ut exstruatur cippus super Sepulchrum, conf. *Cod. Oholot.* Talis autem CIPPUS & *columella* (ut *Ciceroni lib.* 2. *de LL.* dicitur) erigebatur ab Hebræis duplici fini. Debebat enim facere tum ad præcavendam pollutionem, quæ ad eos, qui Sepulchra tangebant, promanabat, tum ad asservandam defuncti memoriam, quem verò finem improbasse videtur R. *Simeon ben Gamaliel.* cujus mentionem fecimus §. 2. cui adstipulantur plures alii Rabbinorum *Bereshith Rabba Sect.* 82. *Maim. Hilc. Ebel. c.* 4. *v.* 4. R. *Isaac bar Scheschat* adductus à R. *Karro in Keseph. Mischn.* it. in *En Jacob.*

VII. Verùm vix probabile est, quod animus *R. Simeoni* fuerit penitus improbare omnem CIPPORVM structuram, sed quatenus hoc fini ponantur, ut aliquod inde nomen & memoria defuncto exsurgat, prout hanc ejus mentem explanat R. *Asarjas part.* 3. *libri* sui, quem *Meor Enajim vocat cap.* LX. *fol.* קפג. *Edit. Mantuan.* cujus verba Latinè reddita ita sonant: *Non voluit* R. *Simeon monumenta justis posita absolutè vituperare, sed duntaxat eo sensu, quo verba ejus alioqui pulchra tradunt; videlicet, quando intenditur, ei (defuncto) statuere memoriam per illud monumentum, quasi absque eo nulla ei superesset benedictio & memoria; quale monumentum fuit manus Absolonis* (2 Sam. XVIII. 18.) *dicebat enim, non est mihi filius, ut memoriam conservem nominis mei. Enimvero quando intenditur commodum aliquod ea ratione, ut dictum adversus id, neque R. Simeon neque ullus Sapientum sinistri aliquid cogitavit.* Illud commodi in eo præcipuè consistebat, quod & Sacrorum ministri Deoque devoti Nazaræi ejusmodi cippo moniti sibi ab immunditie Sepulchrali cavere possint. Nam & hunc in finem Sepulcris impositos esse cippos docet expresse R. *Tanchum apud Pocock. pag.* 77. dum נפש exponens scribit esse *Ædificium exstructum super Sepulcrum quo dignoscatur Sepulcrum esse, atque ab eo longius recedatur.* Firmo itaque stat talo cippos Sepulchris fuisse superimpositos, uti quoque testatur Auctor de *Cippis Hebr.* qui refert, R. *Chaninæ filii Dousæ* & uxoris Sepulcris ציונים imposita esse.

CA-

CAPUT III.

De Sepulcris calce notatis.

I. Inter ornamenta Sepulcrorum hypocritica recensentur illa, de quibus Christus *Matth.* XXIII. 27. dicit, quod Pharisæi similes sint τάφοις κεκονιαμένοις *sepulcris dealbatis*, de quibus pauca dicturi sumus. Quod ad Nomina attinet, ea exposuimus *libr.* 1. *cap.* 2. *§.* 11. quæ ibi videnda. Cur autem Pharisæi comparentur Sepulcris dealbatis, rationem ipse Christus addit vers. sequent. Ad quæ verba *Theophylact. pag.* 140. notat: *Dabant operam, ut exteriori habitudine decori viderentur, sicut Sepulchra dealbata, utpote gypso & calce dealbata: intus autem immundicia mortuorum & putridorum operum erant pleni.* Jure meritoque hypocritæ similes his dealbatis sepulcris sunt, quia externè mentiuntur pietatem, internè autem turpissima vitia latent. Vid. cl. *Suiceri thesaurum*, qui multa ex Patribus testimonia protulit *fol. m.* 143. *part.* 2. *edit. Amstel.* Hinc Pharisæi singularem religionem & puritatem profitentes, sepulcra calce vel gypso dealbabant.

II. Unde apparet, *calcem* quoque signum fuisse, quâ antiquitus Sepulcra Hebræorum notata & signata. Insigne & prorsus luculentum ea de re testimonium exhibet *Mischnah. Cod. Maasur Scheni cap.* V. *§.* 1. *fol.* ᵱ. 2. cujus exscribendi labore, cum in notis ad *Portam Mosis pag.* 81. idem recitet *Eduard. Pocock.* & *Johan. Lighfoot. in Hor. pag.* 432. facile supersedere possemus, nisi illud ipsum repetitum & dilucidius explicatum deprehendissemus in *Gemar. Babylon. Cod. Bava Kama c.* 7. *fol.* פט. i. e. qua illud una cum inserta Gemaristarum commentatione adduxisse non pigebit: Cum autem locus ille valde prolixus, Latina tantum ad mentem Talmudistarum ex versione cl. *Rosteuscheri* recensebimus, quæ hæc est: *Exstat traditio: Vineam anni quarti notabant glebis terræ. Signabant nimirum eam tanquam terram. Cur adhibuerunt terram? Uti ex ea commodum aliquod percipiebatur*, (Gloss. alio tempore inserendo, arando &c.) *ita etiam ex hac vinea. Post factam enim re-*

demptionem inceperunt eam in usus suos convertere. Præputiatam autem (non testa) sed argilla (è qua vasa testacea formant, ut habet Gloss. ad Maasur Scheni) *signabant, cum responderet argillæ. Cur enim usurparunt argillam? Est illa nullius usus (consita enim nihil producit,* id. Gl. ad M. S.) *ita etiam ex hac vinea nulla utilitas percipiebatur. (Loca) verò Sepulchrorum calce notabant, quoniam alba est instar ossium, & ideo humectabant eam & effundebant ut eò magis albesceret.* Ex eodem fonte sine dubio promanavit *Glossa Raschii*, quæ cum ad confirmandum hunc ritum insigniter faciat, uti verbis Mischnæ מציינין את הקברות *Cod. Moed Katon cap.* I. *fol.* ב. *Edit. Amstel.* subnexa est, hic apponetur: עושים סימנים על הקברות בסיד דחיור כעצמות כדי שלא ילכו אוכלי תרומה לשם *Solebant Sepulcra calce notare, quia alba est instar ossium, ne, qui oblationes comedebant, illuc accederent.* Addemus verba Rambam, quæ ad illustrandum similem locum *Mischnæ* in Cod. Schek. fol. ב. profert, prout ea ex Arabica in Hebræam translata linguam à R. *Josepho ben Isaac, ben Aphual* habemus & ita versa legimus: *Signabant sepulcra hoc pacto, visitabant singula & quando inveniebant aliquod ab aqua dirutum, signo videlicet, quod super Sepulchrum exstructum erat, abolito, tum signabant & denuo restaurabant illud, ut locus immunditiei notus manifestusque fieret & Sacerdotes ab eodem recederent. Est autem illud jam pridem explanatum, quod signum Sepulchrale Calce fieri consueverit.*

III. Non omnia autem Sepulcra calce notabantur, sed illa tantum, quæ in subterraneis speluncis abdita latebant. Colligitur hoc Gemaristarum *in Cod. Moed Katon fol.* ח. 2. verbis: *Non signabant (CALCE) quæ manifesta erant (cum perspectissimum omnibus esset latere inibi immunditiem, & in confesso non deferri illuc locorum res mundas.* Glossa) signabant verò dubia. Hæc autem sunt (1) dubia סככות, quo nomine Talmudicis venit, Arbor super terram expansa, quæ juxta viam ad cœmiterium tendentem sita est. (2) פרעות lapides grandiores è pariete prominentes, sub quibus Sepulcrum latet, quomodo hæc vox exponitur in *Mischn. Cod. Oholot cap.* VIII. §. 2. & denique (3) בית הפרס *locus expansionis, s. ager immundus*, cujus frequens alias fit mentio in *Talm. Codd. Ketubhot fol.* כח. *Erub. fol.* ל. *Pesachim fol.* צב. *Niddah fol.* ו. & alibi passim. Priora duo simpli-

ſimpliciter בעי ציון *requirebant ſignum*, quandoquidem dubitandum erat utrum immundities ſub illis eſſet, vel non, imò ſi vel maximè notum eam ſub ramo aliquo arboris latitare, diſcrimen tamen erat inter ramos, nec conſtabat præciſe locus immundus; quod dicendum quoque de lapidibus, qui junctim è pariete prominebant, ut ad locum ex Gemara *Moed Katon* ſcribit Auctor *Toſephot fol.* ח. 2. Ad tertium dicimus, quod inter Agros ex Sepulcro immundos aliquod diſcrimen ſervatum. Nam cum triplex τȣ Beth-Happeras genus conſtituant Hebræi, eoque nomine ipſis veniat שדה שנאבד בה קבר *Ager in quo deperditum eſt Sepulcrum*, שדה שנחרש בה קבר *ager in quo aratum eſt vel arando diſperſum eſt Sepulchrum*, & denique שדה בוכין *ager plorantium*. (De quo videndus *Maimon. Hilc. Tum. Met. c.* VIII. *Tom.* 2. *Edit. Ven.*) E tribus his primi præſertim ordinis calce ſignandum, & à reliqua terra, quæ munda, nec ullo inquinata Sepulcro erat, diſtinguendum fuiſſe aſſerunt Hebræi. Ita Gemariſtæ in *Moed Katon* tradunt.

IV. Viſis locis Sepulchralibus, quæ antiquitus *calce* notari ſolita, progredimur ad *modum*, quem veteres Hebræi in ritu hoc obſervarunt. Eum autem ſuccinctè deſcriptum exhibet *Miſchn. Cod. Maaſur Scheni cap.* I. §. I. fol. *y.* 2. מציינין קברות בסיד וממחה ושופך *Signant Sepulcra calce, quam aqua macerat & affundit.* Cum enim in Sepulcris ſignandis nimis curioſi eſſent, curabant, ut CALX immunditiei index ſub terra deliteſcentis ſepulcri eſſet melioris notæ & colore nitido & albicante, quo prætereuntes ſignum hoc eò melius cognoſcerent & illud oculis ſe facile offerret. Imò CALX hæc aquis probe maceranda erat, ut eò magis albeſceret. Nam in hunc finem Sepulcra dealbabantur, ut quilibet ſibi ſigno hoc viſo, ab immunditie vel pollutione cavere poſſet, quam alias facile contrahere poterat, cum hæc dealbatio deeſſet. Aquis itaque bene temperata calx ſuper ipſum Sepulcri locum diffundebatur, uti ex *Gemar. Hieroſolymit. Cod. Babyl.* Schekalim ſubnexa patet.

V. Neque ſufficiebat, ut opera perfunctoria hoc faceret is, qui affundebat, ſed requirebatur, ut accurata & ad amuſſim exacta diligentia id efficeret. Summo enim ſtudio omne illud ſpatium, quod in cavernis ſubterraneis occupabant Sepulcra,

in ſuperficie terræ CALCE ſignandum erat. Idcirco, qui rectè hoc munere defungi volebant, ut eò certiores fierent, quo uſque ſe immunditties Sepulcrorum diffunderet, Speluncam ipſimet ingreſſi cavorum, qui Sepulcrorum erant receptacula. (confer. huc qui Sepulcrorum apud Hebræos formam delinearunt, *Caſaubon. Exercit. adverſ. Baron. pag.* 578. *Lightfoot. Hor. pag.* 171.) Id quod ex Rabbinis recenſet cl. *Joh. Chriſt. Roſteuſcher. de Sepulcr. calc. notat. cap.* IV. §. 2. Aliter autem ſe gerebant Hebræi, quando immunditties & בית הפרס ſeu agri, in quo deperditum erat Sepulcrum, deſignanda erat. Tunc enim non toto agro calx diffundebatur, ſed ſolùm in extremitatibus termini, quibus ſignari ager ſolebat, juxta illud, quod legitur *in Bava Batra*: Ager ſignatus in terminis ſuis, hoc eſt, ut Gloſſa exponit, terminos habens in quatuor plagis ſuis diſpoſitos calce incruſtabantur. Id enim volunt verba *Maimon. Hilc. Tum. Met.* c. VIII. fol. שכח. 2. *Cum quis inveniret quatuor agri terminos (calce) ſignatos, iſti quidem mundi erant, ſed totus ager in univerſum erat immundus.*

VI. Ne autem aliquid omitterent, quod pollutionem prohiberet, obſervandum venit, quod generatim in quavis deſignatione locorum ſepulcralium non præciſe ſuper locum immundum CALCEM effuderint Judæi, ſed ante eum, ut intelligerent ex hoc ſigno adventantes, locum immundum non procul abeſſe. Rationem hanc ſubminiſtrat *Gemara Cod. Moed Katon*: Non ponebant ſignum (præciſe) ſuper locum immunditiei, ne res mundas perderet. Nam ſi quis (addit *Scholiaſtes*) immunditiem ſub ſigno latentem non animadvertiſſet prius, quam ad ſignum deveniſſet, ſubitò munda contaminata fuiſſent, quoniam ſub ſigno delituiſſet præciſe immundities. Idcircò conſtituebant quoque ציון ſignum juxta immunditiem paululum diſtans ab eadem, quod utrinque prominebat ad latera immunditiei: ut eadem Gemaræ verba pulchrè explicat *Maimonid. H. T. M. c.* 8. §. 9. quo unuſquiſque ad iſtiuſmodi ſignum tendens immunditiem adeſſe intelligeret, & tempeſtivè recederet. Ut autem horum omnium eo major haberetur ratio, neque temere vel ex incogitantia, vel ignorantia aliquid prætermitteretur, præſente erudito viro rerumque intelligente *dealbatio* iſta, præſertim quæ publica
aucto-

auctoritate fiebat, institui solebat, quod ex *Moed Kat.* colligitur.

VII. Præcipuè autem hanc curam in se suscipiebat Magistratus, qui quotannis *Legatis domus Judicii* inter alios labores & hunc imponebat, ut sicubi in Sepulcris calcis affusæ indicia obscuriora reddita, aut penitus deleta deprehenderent, eadem restaurarent, & affusa denuo calce omnibus patefacerent. Ita enim *Maimon. Hilc. Schevit. Jom. Tob. c.* VII. §. 11. his verbis prodit: *Prodibant Legati domus Judicii ad visitanda Heterogenea* &c. (conf. *Maim. in Hilc. Kelaim cap.* 2. *seqq.*) *& notabant Sepulcra, quorum signa aqua pluvialis deleverat.* Fiebant porrò hæc statis anni temporibus, mense plerumque *Adar*, quod planum est ex *Mischna Cod. Schekal. cap.* 1. §. 1. in festo parvo, ut tradunt *Mischnici Doctores in Moed Katon cap.* 1. §. 1. his verbis: *Irrigant agrum siticulosum in festo &c. reparant quoque destructa in festo, corrigunt aquas corruptas in plateis, & fodiendo inquirunt eas, reparant vias itemque plateas & receptacula aquarum, faciuntque omnia, quæ necessitatem publicam respiciunt, signant Sepulcra, atque etiam propter Heterogenea egrediuntur.* Hæc etiam confirmat *Maimonid. Hilc. Tum. M. c.* 8. §. 9. dealbationem hanc asserens institui solitam *diebus festi profestis.* Hisce intermediis festi diebus etsi non quosvis aggredi labores licebat, eos tamen permissum erat suscipere, qui ad publicam spectabant necessitatem, nec sine præsentissimo damno omitti poterant, prout illud ex placitis Doctorum satis dilucide docet *Raschi.* Id tamen monet *Maimonides* id fuisse requisitum, ut opus difficultate omni & molestia vacaret, cujus generis etiam fuisse statuunt Hebræi dealbationem Sepulchrorum. Et hæc de Sepulcris calce albatis & ritu illorum sufficiant.

CAPUT IV.

De Sepulcrorum Hebræorum Epitaphiis.

I. Ritum hunc Epitaphiis monumenta ornandi Græcis & Romanis usitatum fuisse testantur Inscriptiones variæ, quas

quas adduximus *lib.* 2. *cap.* 15. Unde meritò quærimus, an etiam apud Hebræos moris fuerit? Ad quam affirmando respondemus, quippe antiquitus & hodienum ejusmodi Epitaphia reperta sunt, quamvis libenter fateamur, quædam horum supposititia esse: vid. B. *Matth. Friderici Beckii monumenta antiqua Judaic. edit. August. Vindel.* 1686. Et licet cl. *Schickard. de jure Regio Hebr. cap.* VI. dicat, Judæos Epitaphia non admodum curare his verbis: Laudo *Maimonidem*, qui censet, famam rectè factorum, quæ in viva posteritatis memoria perennat, esse splendidissimum Mausoleum, quovis marmore durabilius, quavis statua pulchrius; attamen contrarium ex exemplis & testimoniis variis apparet; quippe idem paulo post *pag.* 436. 437. subjicit: Nudæ tamen Inscriptiones nominum & annorum non improbantur, quia historias & chronologiam juvant. Ast cur denegemus Hebræis Epitaphia & Inscriptiones? Ipsi enim omnium primi suo merito habendi sunt, quibus Inscriptionum inventiones unicè deferendæ veniunt. Ab hisce enim, ut plura alia, ita quoque inventionem cipporum eorumque Inscriptiones fluxisse, asserit B. *Gerhard. Tom.* VIII. *LL. de morte* §. LXXXIV. Non calculum itaque adjicimus dissertationi sub præsidio *Johan. Henric. Heideggeri habitæ Tigur.* 1670. quæ ritum hunc plane rejicit §. XXXVI. his verbis: Et Ecclesiæ quidem *Tigurinæ* ritus peti possunt ex cl. *Lud. Lavater.* de ritibus Ecclesiæ Tigurinæ egregio *libello c.* 32. 33. inter alia memorat, *epitaphia quoque nulla* amplius vel saxis vel æneis tabulis incidi, lapidibus sculptis Sepulchra non contegi, addita ratione, ne luxus ille Sepulcrorum redeat. Ita sapienter constituerunt Majores nostri ubique tenacissimi simplicitatis ut ex præteritis futurorum providi: hæc *Heideggerus*.

II. Cum autem usus Epitaphiorum vetustissimus sit, qui & Hebræis & primitivæ Ecclesiæ Christianis placuit & adhuc Protestantibus placet, non videmus, cur à Tigurinis rejiciatur? Hebræis morem hunc frequentem fuisse ostendunt antiqua & hodierna Epitaphia etiam in Helvetiorum civitate Basilea relicta. Audiamus verba *Excellent. Johann. Andr. Hochstetteri Profess. Moral. in hac alma Tubingens. Fautoris mei æstumatissimi in dissertat. de officio erga defunctos* allata, ubi hæc extant: *Quos quidem in erigendis honori defunctorum Epitaphiis operosos*

roſos admodum fuiſſe conſtat, & *Baſilea teſtatur*, *in cujus ſuburbiis magna vici pars Judaicis monumentis obtecta videtur. Eximium tamen lapidem ſervavit Theodorus Zwingerus*, *quem Anno M. D. XLV. in Cœnobio S. Claræ*, *ubi Cœmiterium Judæorum erat inventum*; *celeberrimus vir in Jo. Lucæ Iſelii*, *privigni ſui horto*, *memoriæ cauſa erigi curavit*, *ubi hodienum conſpicitur*, quem Lectoribus communicamus & cum tranſlatione *Excellent. Profeſſoris* huc ponimus. Verba lapidis ſeu Epitaphii ſequentia ſunt:

No. 2.

והאבן הואת
אשר שמתי
מצבה לראש
הוקן ר׳ אליקים ב׳
יוסף ונקבר בחול
המוע׳ של פסח יו׳
ה׳צ׳ ה׳ לק׳ מנוה׳
בג׳ ערן עם שאר
צרקי עו׳ א׳ א׳ א׳ ס׳

LAPIS ISTE POSITUS EST AD CAPUT SENIS R. ELIAKIM FILII R. JOSEPH, SEPULTI IN HEBDOMADE SOLEMNITATIS PASCHALIS DIE QUINTA. A. XCV. SECVNDVM MINOREM NVMERVM, QVIES EJVS SIT IN HORTO VOLVPTATIS, JUXTA CVM JVSTIS, QVOTQVOT IBI SVNT, ÆVI PERENNIS AMEN, AMEN, AMEN, SELA.

Ali-

Aliter hoc Epitaphium exhibet *celebr. Joan. Faës in not. ad Gyrald. pag. m.* 170.

האבן הצאת
אשר שמתי מצבה לראש הזקן
ר״ אליקים
בר״ יוסף
ויקבר בחול המועד של
פסח יום ח׳ צ״ה לפרט״ק
מבוחו בגן עדן עם שאר
צדקי עולם
א״ א״ א״ ס

No. 3.

Id est.

No. 4.

LAPIS. HIC. EST
QUEM. POSVI. MONVMENTVM. CAPITI. SENIS.
R. E L I A K I M.
F I L I I. R. J O S E P H I.
QVI. SEPULTUS. EST. IN. DIE. PROFESTI.
PASCHATOS. IIX. ANNO. XCV. SVI. MIN.
REQVIES. EJUS. IN. HORTO. EDENIS. CUM.
RELIQVIIS. JUSTORVM. MVNDI.
AMEN. AMEN. AMEN. SELAH.

III. Quod ad primitivæ Ecclesiæ Christianos attinet, qui Epitaphia erexerunt, Prudentius carmine modò adscripto testatur:

Titulumque & frigida saxa, &c.

Idem hymno quarto de passione Hippolyti Martyris ad Valerianum Episcopum:

Innumeros cineres Sanctorum Romula in urbe
Vidimus, ô Christi Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, & singula quæris
Nomina? difficile est, ut replicare queam.

Plu-

Plurima litterulis ſignata ſepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

Teſtantur hoc quoque varia Epitaphia Chriſtianorum, quæ collegit & obſervavit *Paulus Aringhius in ſua Roma ſubterranea edit. Arnhem.* 1671. quem curioſus Lector evolvere velit, & conſtabit, nos vera dixiſſe. Nec ſilentio præterire poſſumus Reformatos ſeu Proteſtantes in Anglia, qui Epitaphia magni æſtimarunt, uti colligitur ex *libro inſcripto Romaines concerning Britaine, edit. Lond.* 1623. *ubi pag.* 312. hæc leguntur: *But among all funerall honours, Epitaphs have alwayes beene moſt reſpective, for in them was love shewed to the deceaſed, memory was continued to poſterity, friends were conforted, and the Reader put in minde of humane frailty.* Ex his ſatis ſuperque cognoſcitur Epitaphia ſemper magni æſtimata fuiſſe. Sed iterum ad Hebræos nos accingimus.

IV. Non negamus quod multa apud Scriptores reperiantur Epitaphia Judaica, quæ dubitationem movent, inter quæ eſt illud quod *Joh. Henr. Hottinger. diſſert.* 1. *de variis Ebræorum inſcriptionibus pag.* 3. recenſet:

זהו קבר
אדנירם
עבד המלך השלמה
שבא לבתאת המס
ונפטר יום

No. 5.

Latinis verbis ita tradidit B. *Dillherus in diſſertat. Academ. pag. m.* 56.

HIC. EST. TVMVLVS.
ADONIRAM.
SERVI. REGIS. SALOMONIS.
QVI. VENIT. UT. EXIGERET. TRIBVTVM.
ET. MORTUUS. EST. DIE.

No. 6.

Hoc Epitaphium ut genuinum attulit quoque *Villalpandus Jeſuita* in *Ezech. tom.* 2. *fol.* 544. & aſſerit, ad *arcis Saguntinæ portam*, ſuperiore ſeculo effoſſum fuiſſe ſaxum. Etſi verò hujus lapidis canities talis non ſit, qualis à *R. Moſe Suchem Tof in Marpe Jaſchon* venditatur, uti cl. *Hottinger. de Cippis Hebr. p.* 3. recte diſputat; tamen inde liquet, *titulos*, de quibus ſermonem habemus, Ebræis quoque uſu receptos eſſe. Nec aſſenſum præbemus *Villalpando*, qui affirmat, reliqua, ut & imprimis illud, qui dies obitus fuerit lapide vetuſtatis injuria, ut quidem putat, nonnihil corrupto, haberi non potuiſſe. Ac licet *Villalpandus* ſe nullibi ejus rei apud quemquam Scriptorem (præterquam in MSto, quod apud *Gonzagam Mantuanum Epiſcopum* extiterit) veſtigia reperiſſe aſſerat: non defuturos tamen ſuſpicamur, qui pro genuino fictum hoc monumentum habituri, & vel à vetuſtis illis temporibus accerſituri ſint; ut eò magis operæ pretium fuerit, νόθευμα illius Inſcriptionis paucis in lucem ſtatuere.

V. Quærimus ergò ex *Villalpando*, qui pro genuino pugnat, quî factum ſit, ut nec vola nec veſtigium lapidis etiamnum extet, ne in ipſis quidem regionibus ubi inventus eſt? neque enim credendum eſt, hunc tam memorandum antiquitatis πῖνον privatâ tantum quorundam notitiâ concluſum, & non potius apud indigenas dignis laudibus fuiſſe celebratum: cum nec præterea veriſimile ſit, viros illius ævi doctiſſimos ſilentio tantam rem prætergreſſuros fuiſſe, ſi modò iis de rei veritate certi quicquam conſtitiſſet. Ergone enim præter Mantuanum iſtum Epiſcopum nemo illud vel ſcivit, vel ſcire debuit? At enim verò largiamur hoc *Villalpando*, ac demus, extitiſſe olim iſtud marmor, licet ob aliquas cauſas pervulgatum adeò non fuiſſet: num vel ſic γνήσιον eſſe probabit? Equidem haud credimus. Cum enim mentio fiat in Inſcriptione Adonirami, qui Saguntum venerit, ſi vertentem ſequimur Jeſuitam *colligendi tributi cauſa*, abſurdum cui videri poſſet, cum vix quadringenti ab ingreſſu in Palæſtinam anni effluxiſſent, nullaſque adeò cauſas Judæi habuiſſent à Deo promiſſam præſtitamque, & propterea dulciſſimam ſibi patriam deſerendi; illos tanta multitudine commigraſſe in Hiſpaniam, ut Salomoni licuerit tributa ab iis per Adoniramum aut alios exige-

re,

re, cùm illius rei nec Judaica nec prophana hiſtoria ullibi meminerit. Adde quod piaculum Judæis fuerit, extra Palæſtinam vivere. Videatur de his pluribus diſſerens *Dillher. diſp. pag.* 57. 58.

VI. Formam Judaici Epitaphii veri aſſerimus illam eſſe, cujus Inſcriptionem celeb. *Schickard.* in משפט המלך & cl. Buxtorff. in Lexic. Talmud. fol. 971. adduxerunt de muliere quadam Rebecca: hujus ſequentia verba hæc ſunt:

No. 7.

זאת המצבה
אשר הוצב לראש החשובה
והחסידה התמימה
מ״ רבקה
בת ה״ק ר״ שמואל הלוי
שנפטרת בשם טוב ביום ז׳ ל״ה
טבת בשנת ק״לה לפ״ק
נשמתה תהא ארורה בגן עדן
א״ א״ א״ סלה:

Id eſt:

No. 8.

HÆC. STATVA.
QVÆ.ERECTA.EST.CAPITI.PRÆSTANTISSIMÆ.
SANCTISSIMÆ. ET. INTEGERRIMÆ.
D. R E B E C C Æ.
FILIÆ. S. R. SAMUELIS. LEVI.
QVÆ. OBIIT. FAMA. BONA. DIE. VII. MENS.
THEBETH. ANNO. CXXXV. SUP. MIN.
ANIMA. EJVS. SIT. LIGATA. IN. HORTO. EDEN.
AMEN. AMEN. AMEN. SELAH.

VII. Nec melioris quam *Adoniræ* conditionis eſt illud Epitaphium Judaicum Ducis *Amaziæ.* Namque Auctore *Aben Chabib* in libello דרכי נועם *Darche Noam* apud R. *Aſariam*, in *Meor Enajim Part.* III. *cap.* 60. (cujus etiam non tamen ex ipſo lapide inſpecto, ſed ex MS. quodam Codice Saguntino

admodum corruptè lecti meminit *Villalpandus Tom. II. part. II. fol.* 544. *in Ezech.*) in Regno *Valentiæ* prope Morvitri (aliàs Morvedre vel Murviedro, Saguntum olim dictam) in montis vertice hujusmodi inscriptio extat: שְׂאוּ קִנָה: בְקוֹל מַה: לְשַׂר גָדוֹל: יְקָחוֹ יָה: לאמציה: *Edite planctum voce amara de Duce Magno, quem sustulit Dominus - - - - Amaziæ.* Genuinum hoc esse credat Judæus Apella, nobis nunquam persuadebit, & multa de hoc dicenda essent, nisi hunc laborem suscepissent & falsitatem ostendissent B. *Dillher. disput. Tom.* 1. *pag. m.* 59. & celeb. *Matth. Frideric. Beckii monument. antiq. Judaic. edit. August. Vindel.* 1686. Plura ejusmodi suppositititia Monumenta recensent *Joh. Henric. Hottinger. in diss. prælim. de variis Orientalium Inscriptionibus, Cippis Hebr. præfixa, & Theoph. Spizel. in Elevat. Relat. Montezinian. pag.* 68. quæ sunt vel Chaldaica, ut Inscriptio Montis Oreb in rupe excisa, vel Saracenica, literis duntaxat Ebraicis expressa, quemadmodum Americana, eo ipso aliena; vel Ebraica quidem, sed tamen spuria, qualia sunt Saguntinum alterum & Viennensia Monumenta, quorum fraudes ex repugnantia cum Sacris Literis elucent, & aliis quæ istis temporibus haut usitata.

VIII. Missis itaque adulterinis, genuina Monumenta indagemus. In ליקוטים seu collectaneis, *Rituali Maharil i. e.* Doct. Amplissimi *R. Jacobi Levitæ, Weilensis*, annexis, pag. 111. b. refertur. Dixit *scil. R. Jacob Levita*, quod aliquando sua ætate, *Anno nim.* 5160. *à Creat. M. i. e.* 1400. *Christ.* repererint monumentum aliquod inter Sepulchra Moguntina, cum hac inscriptione שפחה הרופה Ancilla seu virgo desponsata: cujus calculus ab eo, quo positum est, tempore ad hunc usque diem, fuerat MC annorum. Præterea collector addit, fama est, Sanctam Synagogam *Moguntinam* & *Hallensem* inde jam à longe plurimis annis celebrem esse. Inscriptio integra non exhibetur, ætas enim abest, quæ verò fortasse fuit: שנה ס לפרט ה"ק *Anno LX.* juxta calculum minorem, i. e. omissis Millenariis MMMM. tot enim à Creatione Mundi fuerant tunc lapsi. Atqui isthâc ætate Judæi non numerabant à Creatione Mundi, sed *juxta Æram Contractuum* usque ad ætatem *Rab Scheriræ*, qui vixit *A. C.* 967. tradente R. *Davide Gans in Chronol. part.* 1. *pag.* 27. Unde suspecta etiam hæc videtur, & ratio

ratio Chronologi Judæi non tam nos movet, ut assensum præbeamus.

IX. Genuina ergò Epitaphia nobis exhibuerunt *Buxtorffius* loco paulo ante citato & doctiss. *Beckius*, ex quo quædam huc transscribere non pigebit, quorum primum

לראש ר" בריך	*Ad caput R. Baruchi,*
שירד לבארזים	*qui descendit ad eos, qui sunt inter Cedros*
ביום בד׳ בסיון	*Feria II. IV. Sivan*
תנב החיים	*S. A. E. I. F. Viventium*

Post explicationem egregiam hujus exponit ultimas literas hoc modo: SIT ANIMA EJVS IN FASCICULO VIVENTIVM. Cætera quæ annotavit, videnda sunt *pag.* 29. *in antiq. monument. Judæor.* Aliud prælaudatus Auctor nobis exhibet *pag.* 31.

. . . יוסף שנפטרה תתקצא

לפ ויהי מכצעא

. . . *Josephi, quæ mortua est* 991.
Calc. Sit R. E. I. H. E. A.

Ubi iterum plura adjecit in annotationibus, asserens propter He significari fœminam. Et ultimas literas ita reddit: SIT REQVIES EJVS IN HORTO EDEN AMEN. Plura Epitaphia in citato libello videri possunt. Unum adhuc addimus, quod *Noribergæ in aula pastorali Sebaldina ad* dextrum latus in pariete conspicitur teste *Christoph. Arnold. iu annot. ad Val. Caton. Grammat. Dir. edit. Lugd. Bat.* 1652. *pag. m.* 93.

עד הגל הזה
בירת גוטלין
בת רשב״שון
נקברת כ"ט
בטבט יוסב

H. E. *Testis est acervus iste sepulchri GVTLIN filia R. Simeonis, F.* שון׳, *quæ sepulta est die* XXIX. *Decembris positus.* Ex his & aliis omnibus constat, quod Hebræi Epitaphiis ad ornatum Sepulchrorum usi fuerint, à quibus & alii populi morem hunc hauserint.

CAPUT V.

De Pyramidibus & Mausoleis Hebræorum.

I. Hebræos quoque Pyramides sepulcris ornatus gratia inædificasse testatur *Josephus* XX. *Antiq.* 2. *f.* 689. & 6. *Bell. Jud.* XIII. *f.* 913. ubi Pyramidis mentionem facit, & refert, quod *Helena* Regina Adiabenorum talem tertio ab Hierosolymis stadio exstruxerit. Ita etiam de *Simone lib.* 1. *Maccab.* XIII. 27, 28. legimus, quod ad honorem patris, matris & fratrum superbum exstruxerit sepulcrum, Pyramidibus ornatum. Verba textus hæc sunt: Et ædificavit *Simon* super Sepulcrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito λιθῷ λευκῷ καὶ ἀνεξεσμένῳ (*Joseph.* candido & polito marmore: ejus interpres *Gelenius*) retrò & ante. Et statuit septem pyramides, unam contra unam (i. e. singulas singulis adversas, vel alteram è regione alterius) patri & matri & quatuor fratribus. Et his circumposuit columnas magnas & super columnas arma ad memoriam æternam: & juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare. Hujus Sepulcri pulcra apud jam dictum *Josephum* historiæ Scriptorem diligentissimum *lib.* III. *Antiquit. Judaic. c.* XI. descriptio est, ubi inter cætera ait, fuisse illud *è lapide albo & polito* uti dictum, habuisse porticus circumcirca & στύλους μονολίθους columnas quæ singulæ uno tantum lapide constarent. Septem etiam Pyramides, quæ, inquit, ad hoc usque tempus servantur, appellat ibidem μνημεῖον μέγιστον θαυμαστόν τε ἰδεῖν. Et multò post eum *S. Hieronymus libr. de* locis Hebr. Modin vicus juxta Diospolin, unde fuerunt *Machabæi*, quorum hodieque ibidem sepulcra monstrantur.

II. Meritò igitur dubitare quis posset, hoc lecto, an id factum esset ex suæ gentis ritu, an ex aliarum exemplo? Deinde quæri posset, cur naves insculptæ sepulcro? Nam de armis suspensis aut etiam incisis, communis est ritus. Verùm si hæc rectè perpendamus, asserimus non repugnare genti Judaicæ hunc morem. Scimus enim quod *Daniel*, qui Prin-

ceps

ceps à Dario constitutus, Mausoleum sumptuosissimum exstruxerit, in quo *Persarum*, *Medorum* & *Parthorum* Reges sepulti, curaque ejus Hebræis Sacerdotibus data sit: vid. *Joseph. lib.* x. *c.* XIV. Quanquam trophæa apud Hebræos reperiantur, quemadmodum apud gentes. Testes ipsi apud Josephum lib. XV. c. 10. nam cum *Herodes* theatrum, & in eo Cæsaris imagines & trophæa gentium, quas bellando ille devicerat, collocasset; Hebræis indignè ferentibus persuadere conabatur nihil in ea re inesse piaculi. At illi putantes imagines esse armis obsitas, quas nunquam tolerassent, uno ore clamabant, dicentes: *Licet omnia existimemus tolerabilia, tamen hominum imagines, vel trophæa, non esse patrium in civitatem admitti profitemur.* Sed hoc verum de ejusmodi trophæis: nam de aliis, i. e. de hostium spoliis, vel suspensis in templo, vel etiam in Sepulcris, non item.

III. Rationem hujus Mausolei Simonis exposuit *Josephus* loco paulo ante citato *lib.* III. *c.* XXI. cujus verba integra recitamus: *Simon ingens Mausoleum fabricans patri suo fratribusque, sepulturam ex albo & polito lapide construxit, opus mirabile, conspicuumque faciens, cujus & porticus undique columnis sustentantibus ex uno lapide visu mirabiles statuit, insuper & pyramides septem parentibus, vel unicuique Germanorum singulas superimposuit magnitudine vel decore lucentes, quæ hactenus servantur.* Consentientem hîc habemus Anglum *Thom. Fullerum in Pisgah-sight of Palestin. lib.* 2. *cap.* 10. *fol. m.* 211. qui in hæc prorumpit verba: *where the seven sepulchers of Maccabees (each a high Pyramid on a square basis, and all mounted on a steep hill) are a conspicious sea-mark to the Mariners many miles distant.* De columnis sepulcralibus egimus *lib.* 2. Illud tamen observandum, quod columnæ hæ non fuerint nudæ, sed signis asperæ & rerum historiis vestitæ, ut *Gyraldus* animadvertit: conf. *Menoch. lib.* IIX. *de Rep. Hebr. cap.* IV. *quæst.* VI. *Sepran. David. digr.* 11. *fol.* 510. & *seq.*

IV. Hunc ritum & alios populos observasse testantur Scriptores. De Ægyptiorum sepulcris & illorum columnis refert *Diod. Sicul. lib.* 11. *cap.* 11. eo in loco fuisse columnarum sepulcralium *contignationem sculptam præsepibus variisque picturis ornatam.* In Romanorum Sepulcris idem videre fuit? Hinc

ait

ait *Georg. Fabricius de nova Roma cap.* XXI. *pag.* CXIV. In Sepulcris, quæ hinc inde per urbem in multis locis inveniuntur, varia rerum ſimulacra ante S. Coſmam & Damianum, in foro Romano & in S. Johanne Laterano in quo etiam nocentes objiciuntur beſtiis, ut in alio quodam ante S. Mariam in via lata. *Polydorus Vergilius lib.* V. *cap.* X. Adponi etiam, inquit, ſolebant militaria ſigna, tanquam laudis & virtutis tropæa: conf. *Don. Picinell. lumin. reflex. in lib. Machab.* fol. 256. Unde non dubitatur, quin etiam hoc obſervaverit *Simon*, uti ex textu allato ſatis conſtat, ubi expreſſe: Et ſuper columnas arma. Sepulcrum hoc paſſim erat conſpicuum imaginibus militarium armorum & navium, ut ſignificaret, interprete *Cornelio à Lapide*, eos tam mari, quam terra fuiſſe potentes & utrobique illuſtres obtinuiſſe victorias, etſi bellorum navalium ab eis geſtorum, nulla facta ſit mentio. Quod autem ſuper *Sepulcra* collocata ſint arma aliaque inſtrumenta Statui convenientia, demonſtrat *Virgil. lib.* VI. *Æneid.* loquens de Miſeno:

At pius Æneas, ingenti mole Sepulcrum
Imponit, ſuaque arma viro.

De his actum fuit cap. 2. hujus libri, quare repetere nolumus.

V. Quod autem *naves* inſculptæ fuerint marmoribus Sepulchralibus teſtatur *Philoſtratus in vita Apollon. Thyanai. Philippus II.* Rex *Hiſpaniarum*, *Bruxellis* celebrans exequias *Caroli V.* ſui patris, tametſi iſte nunquam fecerit navale prælium, nihilominus produxit navim, circum quam efformatæ erant variæ hiſtoriæ, nimirum Africa ab ipſius militibus capta, cum *Aphrodiſio deleto*, ex altera parte fugitivos Turcas cum Solymanno profligato: inde novo Orbe invento, & ex altera *Tuneto capto* & *reſtituto.* Videatur *Ludovicus Dulcis in ipſius vita.* Ita etiam *Stephani Johannis Stephanii notæ in lib.* 3. *hiſtor. Danic. Saxon. fol. m.* 91. hoc illuſtrant, ubi aſſeritur, Regios tumulos ad magnitudinem & figuram carinæ *maximæ navis* fabricatos fuiſſe. Imo legem *Frothonem* dediſſe hanc: *Centurionis vero vero vel Satrapæ corpus, rogo propria nave conſtructo funerandum eſſe. Dena autem gubernatorum corpora unius puppis igne conſumi præ-*

præcepit: Ducem quempiam aut Regem interfectum proprio injectum navigio concremari. Conf.*fol.* 92.

VI. Quod igitur ad Naves pertinet: quas *Simon* juxta arma insculpendas curavit, id primum dicimus, usitatum fuisse navium spolia in trophæis aut templis ad æternitatem memoriæ collocari. *Virgil. lib.* III. *Georg.* de Trophæo Augusti:

Atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum ac navali surgentes ære columnæ.

Ubi *Servius* scribit Augustum totius Ægypti victorem, sustulisse de navali rostra ærea, quibus conflatis, quatuor effecit columnas, quæ postea à *Domitiano* in Capitolio sunt locatæ. Juvenal. *Satyr.* X. *v.* 133. *seq.*

Bellorum exuviæ truncis affixa trophæis,
Lorica, & fracta de casside buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Aplustre & summo tristis captivus in arcu.

Livius ab urbe condita *lib.* VIII. Naves, inquit, Antiatium partim in navalia Romæ subductæ, partim incensæ, rostrisque earum suggestum in foro exstructum adornari placuit: Rostraque id templum appellatum. *Goropius* præterea *lib.* III. *Orig.* scribit, navium fragmenta à Cyrenæis in Hammonis templo dicata. Id verò ad nostrum morem refert, qui navium spolia, quibus naufragium evasimus, in templis suspendimus.

VII. Quod ad *Sepulcra* spectat, hoc solùm reperimus apud *Virgilium lib.* VI. *Æneid. Imposuit sua arma viro, REMUMQUE TUBAMQUE.* Hoc autem ideò factum, quia in *Sepulchris* eas res incidi mos fuit, quibus ille insignis habitus est, qui ibi situs. Itaque *naves* etiam insculptas asserit *Philostratus* paulò ante citatus. Verùm quamobrem Simon parentum sepulcro, sive Mausoleo naves insculpserit, non facile constat. Sunt autem qui putent, eo naves insculptas, ut varios multiplicesque vitæ casus, quos illi subierant maximè in bellis, significarent. Illos navium similes esse, qui in hoc vitæ salo variis fortunæ casibus, quasi tempestatibus conflictati in sepulchrum tanquam in portum, post vitæ naufragium enatassent. Quæ certè sententia non humanis magis, quam sacris literis probari & locupletari facile potest. Obscurum enim

non eſt, humanam vitam in noſtris externiſque literis navis ſymbolum ſignificari, & ſeculum iſtud non pauciores, quam maris motus habere: mortem naufragium eſſe, in Sepulcro portum ineſſe. Ideò enim rectè *Andromacha* apud *Senecam in Troad. Act.* 3.

Fata ſi miſeros juvant
Habes ſalutem: fata ſi vitam negant
Habes ſepulcrum.

Perinde ac dicat: Si vitæ naufragium feceris, non eſt cur animo ſuccumbas, cum Sepulchri habeas portum, quem inveharis, periculorum omnium ac tempeſtatum expertem. Arriſit B. *Hieronymo* Poëtæ ſententia, qui in vita S. *Malchi*: *Si juvat*, inquit, *miſeros Dominus*, *habemus ſalutem*; *ſi deſpicit peccatores*, *habemus ſepulcrum.* Sed unum audiamus *Gregorium*, qui *lib.* 6. *in Job. cap.* XVIII. inquit: Poteſt per Sepulchrum non ſolùm in hac vita noſtra contemplatio, ſed quies æternæ & intimæ retributionis intelligi, in quam tanto verius quieſcitur, quantò in nobis corruptionis vita perfectius necatur. Nos itaque cenſemus, quemadmodum arma ſive ſpolia ad æternitatem memoriæ columnis Simon impoſuit, ut edita bello facinora poſteris teſtarentur; ita etiam naves inciſas, ut maritimarum urbium ac gentium, quas præliis fuderant, ſymbolum præ ſe ferrent.

CAPUT VI.

De Synagogis defunctorum Sepulchris impoſitis.

I. Judæos in more habuiſſe Synagogas & Academias erigere apud SEPULCHRA laudatiſſimorum virorum ex Benjamine Tudelenſi & cippis Hebraicis, in Latinam linguam translatis illuſtratiſque à doctiſſimo Hottingero, abundè liquet. In poſteriore hoc tractatu exempla adeò ſunt obvia, ut moleſtum ſit, ſingula deſcribere. Id unum referemus, quod *Sepulcra* quandoque fuerint exſtructa in ipſis Synagogarum atriis. Sic legitur in *Cippis pag. m.* 62. *edit. Heidelberg.* 1659. שם קבור ר׳ יוסי ז״ל בחצר המדרש *ibi ſepultus eſt R. Joſe p. m. in Atrio Synagogæ*

gogæ ſive *Academiæ*. Cum etiam celebratiſſimum ſit apud Benjaminem teſtimonium de Synagoga longe ampliſſima apud *Ezechielis* Sepulcrum exſtructa, non convenit, ut illud negligamus, maximè cum alii Auctores plures tam Judæi, quam Chriſtiani illius meminerint. Auctor *Cipporum Hebr. pag. m.* 74. *edit. Heidelb.* 1659. שם נהר חדקל שם קבור יחזקאל הנביא ע״ה וזה צורת הקבר והכיפה שעליו i. e. *ubi fluvius Chiddekel, ibi ſepultus Ezechiel Propheta p. m. Hæc verò figura eſt ſepulcri & fornicis ejus ſuper ipſo.*

II. Eandem quoque ſententiam tuetur *Magnus Daniel Omeiſius* Profeſſ. *Aldorff. celeber. cap.* III. *p. m.* 80. *in Schediaſm. de quatuor Paradiſi flumin. ann.* 1676. ex *Rabbi Uri*, qui ita: בארץ אשור חדקל שם קבור יחזקאל הנביא ע״ה i. e. *In terra Aſſyriæ ubi fluvius Chiddekel, ibi ſepultus eſt Propheta Ezechiel p. m.* Verùm Benjamin in Itinerario ſcribit ad Euphratem eſſe, verba ejus ex verſione *L'Empereur* hæc ſunt: *Hinc* (Napha) *tres paraſangæ numerantur ad beati Ezechielis Prophetæ Synagogam in ripa Euphratis: ubi regione Synagogæ ſexaginta turres ſunt & inter ſingulas eſt Synagoga. In illius atrio ſacrorum librorum theca eſt; & poſt Synagogam Ezechielis, filii Buzi, Sacerdotis ſepulchrum; cui magna pulcherrimique operis teſtudo impendet, quam conſtruxit Jechonias Judæorum Rex cum triginta quinque millibus Judæorum, qui eum ſequebantur, cum ab Evilmerodacho è carcere dimiſſus eſſet.* Alia quoque ſubjicit *Benjamin*, quæ *Hottingerus* annotavit *ad libr. de Cippis*; licet non tutum ſit, *Benjamini* in omnibus adhibere fidem; non tamen opinamur, omnia ficta ab ipſo, quæ de hoc Ezechielis tumulo narrat. Certum eſt, inquit *Huetius in demonſtrat. Evangel. Propoſ.* IV. *pag.* 396. quindecim circiter Francicis Leucis à Bagdado locum nunc quoque magnis conventibus celebrari, in quo ſepultum Ezechielem arbitrantur. Certum tamen eſt, quod Judæi undiquaque ad hujuſmodi tumulum tanto cum ardore precum cauſa confluant, colligere licet hinc, quod loca, quæ *Sepulchris Sanctorum virorum* proxima ſunt, pro ſanctis habeant. Id adeò exploratum eſt, ut undique confirmari poſſit.

III. Probant hoc Auctoris Cipporum Hebr. verba, cujus hiſtoria ſic incipit: אלה מסעי בני ישראל אשר ילכו מחיל אל חיל להשתטח על קברי הצדיקים ע״ה בבכי יבאו ובתחנונים להתפלל לבקש רחמי׳

עליהם ועל אחיהם שבגולה i. e. *Hæc ſunt itinera filiorum Iſrael, quæ fecerunt, qui eunt de virtute in virtutem, VT PROSTERNANT SE AD SEPVLCHRA JVSTORVM, quorum in pace requies ſit. Accedunt autem eo cum lacrymis & deprecationibus, ut petant & exorent miſericordiam pro ſe & fratribus ſuis, qui in exilio.* Inſignis hiſtoriæ, quæ huc pertinet, compendium fecit ex Hebræo quodam Manuſcripto doctiſſ. *Hottingerus in præfat. libell. de Cippis* ſub finem. Accuſati erant Judæi apud Muhammedanos, quod ipſorum impietas diu expectatas pluvias prohiberet. Quare ad eas impetrandas à Deo per preces tridui ipſis conceditur ſpatium, ea ſub interminatione, ut, ſi eventus fallat, omnes certiſſimum mortis periculum ſubeant. Judæi duram hanc conditionem accipere coacti, primum quidem inter ſe ſtatuunt, ſi gratia divina ipſis neget ſuppetias, potius exacto triduo in mutuas ruere cædes, & paternis fraterniſque dextris cadere, quam morte ſua hoſtibus voluptatem & ludibrium dare. Hoc decreto facto, adeunt ציון זכריה הנביא monumentum Zachariæ Prophetæ להתפלל ולהתחנן *ad orandum* & *ſupplicandum* cum mnltiplici pompa proceſſionibuſque: Quibus ceremoniis adeò fertur placatum fuiſſe Numen, ut eo ipſo die pluvias petitas iis indulſerit. Hiſtoriæ veritatem heic non tàm curamus, quàm ceremonias, quæ in illa memorantur, non utique ineptè & abs re, ſed convenienter conſuetudinibus illius Gentis. Conſtat enim clare ex ipſis conſtitutionibus Gentis Judaicæ, quod *Jejunii ſtati* temporibus admodum affectaverint precari apud SEPULCHRETA, uti *Maim. Hilc. Taan. cap.* IV. §. XVII. teſtatur his verbis: *Septem his jejuniis omni loco, quo ea decernunt obſervanda, poſtquam preces fuderunt, egreditur univerſus populus ad SEPVLCHRETA, ibique lacrymantur & ſupplicant.*

IV. Extra omnem dubitationis aleam ponimus, quod *Synagogæ* primitus apud SEPULCHRA præſtantium virorum erectæ fuerint, ad eorum memoriam eo commendandam poſteritati. Judæi enim, ſi ulli mortalium valde inclinarunt ad τὸ οἰκοδομεῖν τοὺς τάφους τῶν προφητῶν, καὶ κοσμεῖν τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων *ædificandum ſepulcra Prophetarum & exornandum monumenta Juſtorum.* Sic legimus in *Cippis Hebraicis pag. m.* 70. *edit. Heidelberg.* 1659. ipſos ſolitos fuiſſe honorare ſolenni quadam

cele-

celebratione annua SEPULCHRUM MARDOCHÆI. Verba Latina à cl. Hottingero reddita ita ſonant: *Toto illo tractu congregantur Judæi die Purim eoque proficiſcuntur ad Sepulcrum ejus, cantica dicentes & encomia, cum tympanis & choris, lætantes & gaudentes, quod ibi factum eſt miraculum.* De SEPULCRO Eſtheræ Auctor *Cipporum pag. m.* 64. refert, quod Judæi ad id acceſſerint cum in hæc erumpit verba: Ibi Sepulcrum Eſtheræ Reginæ eſt, p. m. Diſtatque ſeſqui paraſangis Tzephato. In tota autem Suſane tempore Purim, quidam Judæi ad Sepulchrum ejus accedunt, ubi Megilla lecta edunt, bibunt, lætantur. Non quidem Auctor Cipporum aſſerit, quod apud binos hos tumulos ædificatæ fuerint Synagogæ; ſed id non neglexit annotare *Benjamin Tudelenſis*, inquiens: *Ante Synagogam unam ſepulti ſunt Mardochai & Eſther.*

V. Cur autem Judæi die Purim ſe congregarint ad hæc Sepulcra & orarint, videtur hæc ratio, quod noluerint, ut celebrium horum ſuæ gentis hominum memoria periret; verùm gravior & certior ratio hujus conſuetudinis inde petitur, quod cum tempore ea apud ipſos invaluerit opinio, quod animæ defunctorum circa illos tumulos, in quibus cadavera recondita ſunt, vagentur, quodque per earum interceſſionem auxilium à Deo facilius impetrare liceat. Sic legitur in *Sota Gem. ad cap.* VII. *in Excerpt. celeberr. Wagenſeilii* §. VI. *pag. m.* 715. Rabba ait, (doceri) Calebum ſubtraxiſſe ſe conſilio Exploratorum, iviſſeque & expandiſſe ſe ſuper ſepulcra Avorum, precatumque eſſe: Vos Avi intercedite pro me, ut à conſilio Exploratorum liberer. In eodem tractatu quæſitum refertur R. *Chamæ*, cur occultatum ſit Sepulchrum Moſis? Reſpondetur autem, ſciviſſe Deum, Iſraelitas deportandos eſſe in exilium, adeoque ipſis voluiſſe adimere occaſionem veniendi לקברוהו של משה ad Sepulcrum Moſis, atque ibidem cum lacrymis & ſupplicationibus hos fundendi gemitus pro ſua ſalute משה רבינו עמוד בתפלה בעדנו ô Moſe Magiſter noſter, quæſumus te, intercede pro nobis! Vide celeb. *Wagenſeil.* qui docte diſſerit. Quid aliud eſt hodie Pontificiorum Walfarthen, quam peregrinatio ad Sepulchra defunctorum Sanctorum? Ipſum enim vocabulum *Wal* mortuum ſignificat. Sic *Walhal* aut *Walhold* mortuorum ſedes, & *Walfart* peregrinatio ad Sepulcra

Sanctorum defunctorum, item *Walbrun* apud *Saxon. lib.* VII. *histor. Dan.* cadaverum puteus, & *Walstad* locus cæsorum dicitur. Hanc ut genuinam significationem firmant verba *Snorronis Sturlesonii in vit. S. Olai pag.* 311. Ita etiam quidam Gentilium hanc sententiam defenderunt, referente *Grotio ad cap.* VII. *Matth.* asserentes, quod animæ circa cadavera hæreant, quod *Porphyr. lib.* 2. *pag.* 89. de abstinentia restringit ad animas improbas & eorum hominum, qui violenta morte perierunt. Quod quoque censet *Macrob. c.* XIII. *pag.* 53. *Comm. in Somn. Scipion.* Exitu coacto, ait, animam circa corpus magis magisque vinciri, & revera sic extortæ animæ diu circa corpus ejusve sepulturam vel locum pervagantur. Ita Judæi quoque fabulantur, quod anima duodecim menses adscendat & descendat, priusquam ad gradum perfectum evehatur, quod refert *Olam Hanesbamoth*: *gradus* imperfectior intra duodecim menses, post quos evehitur quis ad gradum quendam è gradibus futuri seculi, perfectionis nempe & gloriæ. Quo indicatur etiam Justorum animas haut facile statim à rerum terrenarum, quibus assuetæ sunt, studio avelli: tempus purgationis & defæcationis duodecim menses statui. Conf. *Rambam C. Gamul. fol.* 103.

VI. Ut autem Hebræi hanc suam fabulosam sententiam de intercessione Sanctorum probent, ridiculum quendam modum effingunt, in quo explicant, quomodo Spiritus defunctorum perveniant ad cognitionem harum precum. Hunc ex *Schalscheleth Hakkabala* adduxit prælaudatus *Wagenseilius*, cujus versio hæc est: *Publicâ quadam calamitate ingruente, si populus recipiat se in locum SEPULCHRORUM, ibique precetur, tum excitata* δύναμις θρεπτικὴ *se se confert ad vim sentientem, hæc verò abiens expergefacit mentem, atque sic pro vivis apud Deum intercedunt.* Sane ridicule. Sed magis etiam ineptum est, quod ex *Abarbanel* recitat *Pocock. in not. Miscell. ad port. Mos. p.* 121. qui putat ad vivos gratiam divinam derivari per ossa defunctorum. Piura loca citata reperiuntur apud doct. *Campeg. Vitring. de Struct. Synagog. cap.* 11. *pag.* 222.

VII. Cum ergo antiquitus creditum, quod animæ defunctorum circa eorum sepulcra frequentes convolent, quamobrem Gentiles Templa sua supra Heroum suorum dormitoria

ria condiderunt, quod fuse probavit *Euseb. Præparat. Evangel. lib.* II. *cap.* VI. de quibus in sequentibus. Jam autem de Synagogis nobis sermo est, quæ juxta vel supra Sepulcra Doctorum ædificabantur etiam *honoris causa.* Huc facit testimonium ex *Bava Kama* à *Schickardo* & *Gejero* observatum. Verba textus (de Hiskia) honore ipsum affecerunt: innuunt cœtum Scholasticum congregasse ad Sepulchrum ejus, h. e. studiosos, ut discerent ibi Scripturam. - - - - Non autem super ipsum sepulcrum considebant, (ne polluerentur addit *Schickardus*, quia nefas juxta cadaver sacra tractare) sed intervalla quatuor ulnarum inde remoti. Sic honorare soliti Judæi, ut posteri tradunt, SEPULCHRUM Regis. Sive igitur hoc verum, sive falsum, id tamen inde colligere licet, quod honoris causa Judæi sæpe conventus Ecclesiasticos vel Academicos apud Sepulcra præstantium virorum instituerint. Aliàs vero & ipse Maimonid. docet, licitum non esse apud SEPULCHRA legere, nisi ad quatuor cubitorum distantiam. His ita consideratis ad ipsa templa progredimur, quibus sæpe Sepulcra ornarunt.

CAPUT VII.

De Templis Sepulcris superstructis.

I. Templa & Sacella Sepulcris inædificasse Gentiles *lib.* 2. fuse ostendimus. Nunc etiam videbimus, an etiam Hebræi hoc fecerint? De Synagogis quidem patet; sed de templis affirmare non licet, cum prohibitum fuerit varia ædificare templa. Posterioribus autem temporibus templa quoque à Christianis SEPULCHRIS inædificata fuisse referunt historiæ. Ut igitur alia silentio prætereamus Sepulcra, tantum Christi monumentum perlustrabimus, quod variis templis fuit ornatum partim ignominiæ, partim gloriæ & honoris causa. *Seculo* enim *II.* post *Christ. N. circa annum* CXXIX. *& seqq.* cum *Ælius Adrianus* Imperator *Judæos Barcochaba* Duce tumultuantes compesceret, & circa Veteris Hierosolymæ locum *Æliam Capitolinam* ædificaret, non *Judæis* modò

ægre

ægre facturus, habitatione Novæ Urbis omninò iis interdicit & portæ *Suem* insculpsit; sed & existimans, se fidem Christianam loci injuria peremturum, in loco passionis SIMULACHRUM JOVIS consecravit & *Bethlehem Adonidis* fano profanata est, ut quasi radix & fundamentum Ecclesiæ tolleretur, si in iis locis idola colerentur, in quibus Christus natus. Hoc confirmat *Hieronym. Epist.* XIII. *ad Paulin.* ita scribens: *Ab Adriani temporibus usque ad Imperium Constantini per annos circiter* CLXXX. *in loco resurrectionis SIMULACRUM JOVIS, in crucis rupe STATUA EX MARMORE VENERIS à gentibus posita colebatur.* Conf. *Euseb.* De *Jovis Capitolini* templo diversum sentire *Dionem*, *Xiphilinum* tradit D. Quensted. de Spult. Vet. quem vide.

II. Ut igitur hæc pluribus testimoniis probemus, prodeat *Sozom. l.* 2. *c.* 1. cujus verba Latinè tradita recensemus: *Verum nec hujus ligni, nec hujus sepulcri inventio in proclivi erat. Nam Gentiles qui olim Ecclesiam persecuti fuerant, cum Christianam Religionem, tunc primum nascentem, omnibus modis atque artibus exscindere laborarent, cum locum ingenti aggere obruerant, & in sublime erexerant, cum antea esset profundior sicuti nunc cernitur; cumque universum locum, tam Resurrectionis, quàm Calvariæ, muro circumsepsissent, eum exornaverunt. Ac primo quidem solum lapide constraverunt, deinde Templum VENERIS extruxerant, & simulachrum constituerant, eo consilio, ut qui Christum illic adorarent, Venerem colere viderentur.* Hæc *Sozom.* Paulin. Epist. XI. ad Severum: *Nam Hadrianus Imperator, existimaus se fidem loci injuria peremptur um, in leco passionis SIMULACRUM JOVIS consecravit, & Bethlehem ADONIDIS fano est profanata, ut quasi radix & fundamentum Ecclesiæ tolleretur, si in iis locis Idola colerentur, in quibus Christus natus est ut pateretur, passus est ut resurgeret, surrexit ut regnaret.* Ubi quædam in his *Paulini* verbis desiderantur. Nam non in loco passionis erectum TEMPLUM JOVIS, sed in loco Resurrectionis. In loco vero passionis fanum & ζώδιον VENERIS, ut patet ex loco *Sozom.* memorato. Ex quo nec ζώδιον *Veneris Eusebio*, loco ubi de *Veneris* agit imagine, nec ξόανον restituendum. Nam revera ζώδιον notat figuram, imaginem. Hinc ζωδιακὸν & apud *Epiphanium* ζώδια figuræ

figuræ & imagines animalium, quæ ab Aſtronomis in baltheo Solis repræſentari conſueverunt.

III. Sed locus *Euſebii* videtur aliter emendandus. Sic ſe habet difficilis ille locus de *Vita Conſtantini l.* III. *c.* XXV. Δεινὸν ὡς ἀληθῶς ταφεῶνα ψυχῶν κατασκευάζουσι, νεκρῶν εἰδώλων, σκότιον Ἀφροδίτης ἀκολάστῳ Δαίμονι μυχὸν οἰκοδομησάμενοι: *Nefandum revera & execrabile buſtum animarum conſtruxere & receſſum laſcivo Veneris Dæmoni ædificarunt, ſimulacriſque mortuis implevere.* Sic Chriſtophorſonus. *Valeſius* verò ſic Græca reddit: *Infauſtum prorſus animarum Sepulchrum, obſcuram mortuorum ſimulacrorum cavernam in honorem laſcivi Dæmonis quem Venerem vocant ædificantes.* Non prætermiſit diligentiſſimus *Valeſius* vocem σκότιον, quam *Chriſtophorſonus* omiſerat, & cujus loco ξόανον vel ζώδιον quidam legendum exiſtimant. Sed vox illa nullo modo loco movenda eſt, & ſic locum integrum legendum putaremus: Ταφεῶνα ψυχῶν κατασκευάζουσι νεκρῶν, εἰδωλεῖον, σκότιον Ἀφροδίτης ἀκολάστῳ Δαίμονι μυχὸν οἰκοδομησάμενοι: *buſtum animarum mortuarum conſtruxerunt, Idolium, tenebroſam ſpeluncam Veneris Dæmoni ædificantes.* Nimirum ζώδιον & εἰδωλεῖον Ἀφροδίτης erectum fuit in loco paſſionis, non verò ſepulturæ, ut voluit *Paulinus*, & ante illum *Euſebius* hoc in loco, quorum memoria liberari poteſt dicendo, illos voce paſſionis deceptos fuiſſe, & per locum paſſionis intellexiſſe locum ſepulturæ, cum proprie notet locum, ubi Crux erecta fuit, ubi revera vivens paſſus eſt Dominus noſter, & ubi *STATUA VENERIS* tandem fuit collocata, cum in loco Sepulcri erecta fuerit JOVIS ſtatua.

IV. Alexander Monachus de inventione Crucis ita literis prodit: Μάθοντες δὲ ἐκ παραδόσεως οἱ πιστοὶ τὸν τόπον τοῦ ἁγίου Γολγοθᾶ, κεχωμένον ἔτι καὶ ἀφανῆ τυγχάνοντα, ἐρχόμενοι καθ' ἡμέραν σεβασμίως προσεκύνουν, ὅπερ θεωροῦντες οἱ εἰδωλολάτραι, τοῦ Διαβόλου ὑποβάλλοντος αὐτοῖς, ᾠκοδόμησαν ἐκεῖσε ναὸν τῷ ἀγάλματι τῆς ἀκαθάρτου Δαίμονος Ἀφροδίτης. *Cæterum fideles cum ex traditione Majorum, locum Sacri montis Golgothæ, qui jam obſcurus ac obrutus erat, didiciſſent, quotidiè ad illum accedentes religioſè adorabant. Quod Idololatræ conſpicati, Diabolo eos inſtigante, Ædem illic ſtatuæ impuriſſimæ Deæ Veneris dicatam conſtruxerunt.* Paria videre eſt apud Georgium Hamartolum

in Chronico: cujus verba Latina ex Græco recensemus: *At cum omnes de loco dubitarent, alioque aliud ex suspicione proferente, civitatis Episcopus omnibus quiescere jussit, monuit ut precibus diligentius insisterent. Quo facto statim divinitus demonstratus est locus Episcopo, in quo impuræ Veneris Templum & Simulacrum positum erat. Tunc Regina Imperatoris auctoritate usa, coacta in unum, artificum & operarum ingenti multitudine, mandavit ut ex imo fundamento, execrandum illud ædificium everteretur, ruderaque & terra inde effossa procul abjicerentur. Quo peracto apparuit divinum monumentum & locus Calvariæ.*

V. Ex ista vero *Veneris* statua in loco Calvariæ & passionis erecta, colligunt viri eruditione & doctrina præclari, montem *Calvariæ* vocatum VENERARIUM apud D. *Ambrosium* in *Psalm.* XLVII. Verùm vix probabile est, quod à *Venere* mons *Venerarius* dictus; si ita esset, potius *Venereus* vocandus. Probabilius putamus Ambrosium arcessere à *Venerari*; adeò ut VENERARIUM sit locus, ubi Christus ipse cultus, & ubi fideles Deum venerari solebant. In loco crucifixionis igitur Statua Veneris collocata; in loco Sepulcri statua Jovis. In utroque loco *Sacellum* seu *ædiculam* conditam crediderimus. Cum autem loca non longe à se invicem dissita fuerint, vix credibile est, duo Superba & Regia Templa ibi fuisse constructa; sed unicam ædem tantum, quæ ad utrumque Sacellum scil. Crucis & resurrectionis videbatur pertinere. Cum etiam plures ædes erectas quidam memorent, hoc intelligendum de Sacellis & ædiculis Crucis & resurrectionis. De quibus diversis Sacellis *Eutychius* Patriarcha Alexandrin. in suis Originib. Edit. Pocockian. pag. 450.

وتقدم قسطنطين الي مقاريوس اسقف بيت المقدس
لمن يطلب موضع المقبرة والصليب وتبني الكنايس

In mandatis etiam dedit Constantinus Macario Episcopo Hierosolymitano, ut Crucis loca perquireret, & Ecclesias strueret.

VI. Sive itaque templum exstructum à Constantino, sive *Helena*, de qua *Eutychius* & *Gregor. Abulpharajus in dynastiis, dynast.* VII. *pag. m.* 135. nihilominus manet verum, quod Sepul-

pulcrum Chriſti templo fuerit ornatum ſequioribus temporibus. Vid. plur. diſſer. *Stephan. le Moyne in not. pag. m.* 432. Id quod etiam *Adrichom. in deſcriptione Terræ S. fol.* 242. confirmat his verbis: *Auratis coruſca laquearibus & aureis dives altaribus - - - - ornavit templum.* Hodie quoque Sepulcrum Chriſti, quod venditatur, contiguum adhuc habet templum, in quo aluntur Monachi ordinis Templariorum, hujus formam nobis exhibet Dapperus in der Beſchreibung der Landſchaft Paleſtina *fol. m.* 324.

VII. In primis Chriſtiani poſtmodum hoc obſervabant circa Sepulchra *Martyrum*, quibus templa adjungebant, quæ MARTYRIA appellabantur: vid. *Cornel. a Lapide Comment. in cap.* XI. *Eſa. fol.* 169. quæ originem traxerunt ab illo templo Sepulcro Chriſti ſuperſtructo, quod Martyrium crucis & martyrium reſurrectionis nominabatur, referente *Stephano le Moyne in not. pag. m.* 436. inquiente: Nam ante erectam iſtam Baſilicam non video, ædes in honorem Martyrum conſecratas, nomine Martyrii apud quemquam deſignari. Poſtea frequentiſſime vox Martyrii in iſtum ſenſum fuit uſurpata. Sic Anno CCCLXV. in Concil. Laodicenſ. Can. 9. Concil. Epheſ. Ann. CCCCXXXI. *Act.* I. ubi Eccleſiæ Sancta Martyria dicuntur, Concil. Chalcedon. Anno CCCCLI. C. VI. & VIII. aliaque ſatis teſtantur Templa Martyria dicta. Eleganter quoque illa Martyria deſcribuntur à B. D. Hildebrando Patrono meo poſt fata venerando in libell. de precib. veter. Chriſtian. cap. XXI. pag. m. XXIX. Plura qui de his legere deſiderat, evolvat celeb. *Johannis Faës animadverſ. ad Lyl. Gyrald. de vario ſepeliendi ritu pag.* 196. 197. 198. *ſeq.* qui fuſe de his egit: conf. *Stephan. le Moyne not. & obſervat. pag.* 438. Ex his itaque quæ diximus ſatis elucet, moris veterum fuiſſe Sepulchris templa inædificare, ut pietatem in defunctos Sanctos oſtenderent. Ne ergo Lectoribus ob prolixitatem nauſeam creemus, finem imponimus Ornamentis Sepulchralibus externis, & ad interna nos accingimus.

CAPUT VIII.

De Ornamentis Internis Sepulcrorum Hebræorum ſcil. Unctura.

I. Cadavere abluto afferebantur aromata & unguenta in conditurам illius inſumpta. Hebræos quoque cadavera abluiſſe teſtatur Scriptura Act. cap. IX. 37. ubi *de Thabitha Joppenſi* legitur, quod poſt mortem lota fuerit. Factum autem eſt per dies illos, ut *Tabitha* ex infirmitate moreretur, quam cum laviſſent, poſuerunt in cœnaculo. Teſtimonio ſuo etiam probat cl. *Buxtorff. Synagog. Judaic. c.* XXXV. ut ſcil. puri & mundi ſint, cum peccatorum ratio reddenda. *Liber Minhagim cap. ult.* Man iſt das Meth (todte) metacher (ſauberend) dieweil er ſol die (rechenſchaft geben) vor dem Bore (ſchöpfer) das er ſol geſaubert ſeyn. Conf. huc Quenſted. de Sepultur. Veter. *Gejer. tract. de luctu Hebr. pag. m.* 52. *c.* v. Abluto cadavere ungebant, non autem eo modo quo Ægyptii, qui extractis viſceribus unguenta corpori indebant; ſed hi aromata exterius corpori applicabant. Vid. *Tr. noſt. de luctu Græc. cap.* VI. *pag. m.* 64. *edit. Marpurg.*

II. Ut igitur in hac mortuorum Hebræorum ordine procedamus, primo conſideramus materiam Unguenti, quæ duplex fuit, liquida & arida. Liquida fuit illa, qua mulier illa in unctura Salvatoris uſa fuit, & *unguentum nardinum* appellatur: de quo integr. *diſſert. habuit cl. Balthaſar Otto*, quæ evolvatur: confer. *Fr. Fortunat. Scacchi Myrothec. Sacro-profan. edit. Rom.* 1625. *part.* I. ubi plura. Nos tantum Uncturam Sepulcralem Judæis uſitatam in cadaveribus condiendis perluſtrabimus. Hanc nobis ſubminiſtrat Evangeliſta *Johannes cap.* XIX. *v.* 39. 40. *Venit autem Nicodemus - - - ferens miſturam myrrhæ & aloes libras quaſi centum.* Unguentum, quo ſanctiſſimum Chriſti corpus unxerunt, ſeu potius *aromata*, ex quorum miſtione unguentum unum conficiunt, Johannes præmemorato loco ad duas ſpecies *Myrrham* ſcil. & *Aloen* revocat. Ubi verò *Myrrha* & *Aloes* non ſeorſim accipiuntur: dicitur

enim

enim *μίγμα σμύρνης ἢ ἀλόης* h. e. *mixtura myrrhæ* & *aloes*, ut annotavit *Heinsius in Aristarcho sacro cap.* xv. *fol.* 955. Adducit autem Johannes duas hasce species ut sumtuosiores & in hac mixtura dominantes præcipue, ut observat B. *Gerhard. Harm. Evangel. cap.* 205. *p.* 2065.

III. Ad uncturam Sepulchralem (1) Myrrham adhibitam fuisse asserit *Johannes*, quæ ab ipso vocatur *μίγμα σμύρνης*. Cum autem multis in locis Arabiæ ac etiam alibi Myrrha gignatur, pro diversitate regionis, diversa etiam sortitur nomina; quamobrem habetur *Myrrha Indica*, *Troglodytica*, *Caucalis* & *Ergasima*, quarum omnium postremam ac deterrimam esse *Dioscorid.* Scriptoresque reliqui tradunt. Meminit etiam *Myrrhæ Bœoticæ Dioscor. lib.* 1. *c.* 79. & *Achaicæ Columella*, quæ tamen improprie sic appellabatur, (nunquam enim myrrha in Achaja crescebat,) fortasse, quod ex *Achaja* tunc temporis afferretur. Alia etiam plura genera *Myrrhæ Plin.* & alii recensuerunt, quæ genera huc non spectant. Nobis de illa tantum, quæ *σμύρνης* Græcis dicitur, hic sermo est, quæ *Troglodytica* appellatur: vid. *Fr. Fortunat. Scacchi Myrothec. Sacr. profan. part.* 2. *cap.* VIII. *pag. m.* 83. cl. *Joh. Henric. Ursin. de hort. Aromat. edit. Norinb.* 1699. *pag.* 216. (2) Usurpabatur *Aloë*, de qua fuse egit *laudatus Ursinus in hort. Aromat. pag. m.* 197. 198. cujus verba transscribere supersedemus, cum Benevolis Lectoribus Auctorem ipsum evolvere concessum. Hæ duæ aromatum species ideò in conditura cadaverum adhibebantur ad repellendos vermes & putredinem amovendam à defunctorum corporibus.

IV. Visa materia hujus uncturæ, meritò nunc quærimus, quale illud *μίγμα* fuerit, quod ad Sepulturam Domini attulit Nicodemus, & quo fine allatum fuerit? Ad quale respondemus, quod fuerit *μίγμα σμύρνης ἢ ἀλόης*. De *Myrrha* constat res; de *Aloë* disputat *Salmasius*, non fuisse succum illum Catharticum, sed pulverem arboris aromaticæ. De utraque Aloë *Isidorus*: de illa in herbis; *Aloë*, herba amarissimi succi: de hac inter arbores; *Aloa* in India atque Arabia gignitur, arbor odoris suavissimi atque summi: denique lignum ipsius vice thymiamatum adoletur altaribus, unde & nomen traxisse videtur. Ridicule si ab olendo, agolendo. Ac communis In-

terpretum sententia est, de succo herbæ hîc agi. Nonnus contra de aromatica accepit. Huic favet *Salmasius*; sed argumenta, quæ affert, non videntur rem conficere. Sola, inquit, unguenta & aromata ad unctionem & pollincturam cadaverum adhibita, nec ullum locum fuisse medicamini, qualis Aloë vulgaris & Medica. Atqui *Aetius*, quem adducit ipse *lib.* 6. Νεκρῶ σμύρνισιν his notat speciebus constitisse: ALOE, MYRRHA, GUMMI, SARCOCOLLA, ACACIA, OPOBALSAMO. At Sarcocolla Acaciæ succus, ipsumque gummi, medicamina sunt, qualis *Aloë* vulgaris, ejusdemque facultatis & usus in Medicina: *exsiccatoria* quippe & *emplastica*. Cætera argumenta momenti minus habent. Alia atque alia unctui mortuorum aut pollinctui adhibita olim, sive more Gentium, sive pro copia, aut dignitate. Qua de re multa *Kirchmann. de funer. l.* I. *c.* VII. *&* VIII. & *Spondan. in S. Cœmiter. l.* I. *p.* III. *cap.* III.

V. In Judæa Ditiores & qui dignitate præstabant, MYRRHA & ALOE mixtis condiebantur: nec μίγμα hoc parce adhibitum, sed magnificè, ut corpora clarorum in eo quasi natarent, aut tota obducerentur; quomodo apud Assyrios *melle perfundebantur*: apud *Persas* cera circumliniebantur: apud Ægyptios Gypso inducebantur. Sic *beatuli* apud *Romanos crassis lutatis amomis*, obliti & inducti apud *Persium Satyr.* 3. *lutati Satyricè* dixit. Et hoc putamus est, quod posteriores Latini dixerint, *corpora aromatum constrictione solidata*: vid. *Spondan.*

- - - - quæ tumulis bene condita, saxa reservant,
Aut Arabum solidans pulvis, odorque tenet.

Ut canit *Orientius*. Hoc clarius elucescit, si intellexerimus, quem in usum allatum fuerit hoc μίγμα? Respondet autem *Johannes*, corpus Domini, curatores funeris ejus accepisse & ligasse cum aromatibus his ipsis *Myrrha* & *Aloe*, quæ & ipsa in aromatum censum refertur per catachresin non usitatam: quanquam & alia affuisse, nescimus an negandum sit?

VI. Non igitur simpliciter unxerunt aut obiter, sed totum corpus, manus pedesque unguento hoc spissiore circumlitum & obductum fasciis constrinxerunt. Hoc totum est περιστέλλειν, quod Latini dicunt pollingere: vide hæc apud *Walæum*

ex *Casaubon. ad Luc.* XXIII. 53. & aliis ad *Joh.* XIX. *cit. loc.* add. *Casaubon.* in *Pers. Satyr.* 3. Et hinc, putamus, apparet cur *Myrrha* addita fuerit aloë? non tantum, ut corpora à putredine tuerentur, sed etiam ut spissamentum esset unguenti & glutinum quasi, quo corpori adhæresceret: qua de causa gummi quoque & Sarcocollæ fere duplum addi solebat cæteris aromatibus & unguentis. Unguenta itaque hæc vocabantur σέμματα. vid. *Scacchii Myrothec. part.* 1. *pag. m.* 202. *edit. Rom.* Aliter enim Hebræi, aliter Ægyptii ungebantur. Ægyptii enim exemptis intestinis locum aromatibus replebant, uti *Herodot. Diodor. Sicul.* & ex iis *Gerard* von Nöeln *Cent.* 1. *Amœnit. hist. cap.* 50. referunt. An verò *Jacobus* Patriarcha hoc modo unctus, non expedimus. Credimus tamen Judæos hanc incisionem religione quadam aversatos. Non igitur assensum præbemus illis viris doctis, qui asserunt, uncturam hanc à *Josepho* & *Nicodemo* factam, tumultuariam & rudem tantum fuisse, uti cl. *Chr. Faselti dissertatio* hoc confirmat de *unctura Christi sepulcrali.* Cui adstipulatur *Balduin. Walæ. in Joh. cap.* XIX. *pag. m.* 1001. Constat enim ex Maimon. cadavera Hebræorum non aliter condita fuisse, quod & ipse *Johannes* approbat dicens factam esse hanc uncturam, sicut mos fuerit Judæis funerare. Plura qui desiderat, evolvat *Saubert. de Unctura Christi sepulchrali.*

CAPUT IX.

De Vestibus cadaverum Hebræorum Sepulchralibus regiis.

I. Post uncturam cadaver vestibus induebatur. Neminem nudum terræ mandabant, quia credebant, aliquando se vestitos resurrecturos esse. Cum autem varii status vitæ humanæ reperiantur & Rex summum caput habeatur; merito quæritur, an Rex iisdem vestibus, uti plebejus terræ mandatus fuerit, nec ne? Priusquam autem ad hujus quæstionis decisionem perveniamus, ratum esse duximus, ut ante oculos ponamus, quæ vestes Regiæ fuerint? Has si perlustramus, ex-

tra

tra omnem dubitationis aleam ponimus pulchras fuiſſe, uti *Maim. H. Mel. c.* 2. & ex eo cl. *Schickardus in ſuo* משפט המלך *pag. m.* 233. teſtatur, cujus hæc ſunt verba: Rex tondetur omni die & ornat ſeipſum, induiturque veſtibus pulchris & honorabilibus. Ex quibus elucet, ſplendidas & lautas veſtes fuiſſe: vid. *Tract. noſt. de Veſtibus Hebr. Bibl. de veſtitu regio*: conf. *Myrothec. Scachii edit. Rom. part.* 3. *pag. m.* 505. ſeq. Et probabile eſt purpuram, ſindonem, aliaque pretioſiſſima veſtimenta geſtaſſe Reges. Nec dubitatur, quin ſceptro & corona ornatus fuerit Hebræorum Rex more aliorum Regum, de quo ornamento cl. *Schickardus* pluribus egit.

II. Cum igitur Reges Hebræorum tam ſplendide ornati inceſſerint in vita, merito quæritur, an etiam cadavera eorum in Sepulcris his amicta fuerint? Et hîc tàm affirmantes, quàm negantes offendimus partes. Qui affirmant, exemplum *Herodis* in medium proferunt, de quo in hiſtoriis legatur, quod ſplendidiſſimis veſtibus indutus ſepultus fuerit. Audiamus iterum ſæpe laudatum *Schickardum pag. m.* 417. *ex Joſip.* ita loquentem: *Collocarunt igitur eum in lecto deaurato & lapidibus pretioſis referto, capiti peplum imponentes, itidem gemmis repletum, ſuper quo corona regia erat, & manu tenebat ſceptrum.* Qui negant, referunt, *nefas eſſe ſepelire involucris holoſericis, veſtibuſve deauratis vel acupictis, etiam Principem Iſrael*: conf. *Schick. pag. m.* 411. & B. *Gejer. Tr. de luctu Hebr. cap.* V. §. 10. *pag.* 56. 57.

III. Probabilior ergo ſententia, qua ſtatuitur & Regum cadavera *Sindone* involuta fuiſſe; quamvis *Menoch. lib.* VIII. *de Republ. Ebr. c.* V. *qu.* 3. conjicere velit, quod, antequam cadavera ad ſepulturam elata, ſuis veſtibus, quibus vivi mortui uſi, induti & exportati fuerint. Cum autem hæc conjectura nuda ſit, ipſe retineat hanc ſententiam, nec meretur ut calculum adjiciamus album. Quid enim hoc fuiſſet, corpori delibuto induere veſtem antiquam, mox exuere rurſus aliaque reponere linteamenta? Sindone ergo involvebant Judæi mortuos ſuos, quæ Sindones Sepulchrales Rabbinis dicuntur תכריכי המת involucra mortuorum, à radice כרך involvit, velavit, fiebantque ordinarie ex lino ſubtiliore. In eam ſententiam loquitur cl. *Buxtorff. Synagog. Judaic. cap.* XXXV. Albam deinde illi lineam tunicam induunt, & quidem vulgo eam,

eam, quam Expiationis die induere ſolitus erat, & ita in feretrum recondunt. Antiquiſſimæ enim hoc apud ipſos eſt conſuetudinis לקבור בבגדים לבנים in veſtimentis albis tumulo mortuos mandare; non pretioſis. Cum quoque Sindones ex varia materia fierent, uti celebr. *Braun. in lib.* I. *de veſtitu Aaronis pag. m.* 112. 113. §. 102. 103. probavit, non dubitamus, quin alia & ſubtilior Regibus, alia & vilior cæteris adhibita fuerit. Interim tamen firmo ſtat talo & Reges Sindone involutos fuiſſe: confer. *Gyrald. de vario ſepeliendi ritu cap.* XXVIII. *pag. m.* 412. *edit. Helmſt.* & animadverſ. *Johannis Faës.* Videatur quoque *Balduin. Walæ.* comment. in h. l. *Johannis*, qui ex *Maimonide* plura teſtimonia protulit, *pag. m.* 1001.

IV. Si igitur *Herodes* juxta morem & conſuetudinem Judæorum ſepultus & cadaver ex more illorum ornatum, merito quis dubitare poſſet de illis quæ paulo ante dicta ſunt, quod veſtibus Regiis terræ mandatus. Verùm ſi juxta morem Græcorum reconditus, non negamus, quippe apud illos etiam hæc conſuetudo viguit, ut mortuos veſtibus pretioſiſſimis ſepelirent, patet hoc ex *Euripide*, qui de *Alceſte* ita: cujus verba à Philipp. Melanchthon. Latinitati donata referimus *edit. Francof.* 1562. *pag.* 338.

Poſtquam ſenſit fatalem diem
Adeſſe, fluviali aqua candidum corpus
Lavit, & accipiens ex cedrinis arcis
Veſtem & ornamenta, decore induebatur.

Aſt Hebræorum more ſepultum fuiſſe Herodem, nullus dubitabit. Ergo Sindone involutum certo aſſerere licet. Verùm & hoc obſervandum, quod mos hic mortuos pretioſiſſimis involucris ſepeliendi apud Judæos viguerit, uſque ad tempora Gamalielis; quare Joſephi verba ſtare poſſunt. In hac autem veſtitura Judæi nimis curioſi erant, uti in *Minhagim* legitur: Man ſol ſehen daſs ihm (den todten) nichts von den תכריכין (ſterbkleide oder Leinwandten gezeuig/ in das Maul kompt es iſt ſonſte סכנה groſſe gefahr. Et ſuperſtitioſi Judæi & Chriſtiani credunt, peſtiferam luem inde originem & incrementum accipere: de quo vide *Lud. Dunte caſ. conſc. de morte quæſt.* 19. *p.* 1114. *Hondorf. theat. hiſt. prac.* 2. *p.* 147. Huc referendus *L. Chriſtiani Friderici Garmanni*

Tract. de miraculis mortuorum lib. I. *tit.* III. *de cadaveribus porcorum mandentium instar in cryptis sonantibus, vulgò* ſchmertzende todt/ *pag. m.* 25. 26. *seqq. edit. Lips.* 1670. qui fuse de his rebus egit.

V. Quod cadavera *Sindone* amicta seu involuta fuerint, patet quoque ex Sepultura Christi, quippe expressis verbis in Scriptura legimus *Josephum* & *Nicodemum* corpus Christi involvisse, sed qua re, *Sindone* scil. linteo subtilissimo & pretiosissimo: vid. B. *Gejer. de luctu Hebræor. c.* V. *pag. m.* 59. *Tr. nostr. de luctu Græcor. pag. m.* 69. 70. *edit. Marpurg.* cl. *Salmas.* apud *Thom. Bartholin. de latere Christ. apert. pag.* 377. *Balduin. Walæ. in Joh. cap.* XIX. *pag. m.* 1001. Illud tamen hoc loco observandum putamus, quod *sceptrum* & *corona* regia unà cum cadavere quoque recondita fuerint, prout ex *Josepho* cl. *Schickardus* משפט המלך *pag.* 417. probavit. Cætera verò utensilia igne consumebantur: vid. *Schickard. pag. m.* 421. qui testimonia ex Maimonide hæc confirmantia c. l. recenset. Addatur hic B. *Gejer. Tr. de luctu Hebr. cap.* VI. §. 7. *pag.* 110. 111. qui Benevolo Lectori, plura desideranti, satisfaciet. Nos autem ad alia ornamenta & vestimenta aliarum personarum progredimur.

CAPUT X.

De Rabbinorum seu Doctorum vestibus Sepulcralibus & plebejorum.

I. Egregii aliquando sumtus sepeliendis Professoribus & Doctoribus impendebantur, imò funera Rectorum more Regio tractabantur *Abodha Zara, cap.* I. *fol.* II. I. כשם ששורפין על המלכים כך שורפין הנשיאים ומה הם שורפין על המלכים מיטתן וכל תשמישן ומעשה שמת רבן גמליאל הזקן ושרף עליו אונקלוס הגר שבעים מנה הצורי׃ i. e. *Uti comburunt propter Reges ita quoque comburunt propter Principes* (Rectores Academiarum.) *Et quid comburunt propter Reges? Lectum ipsorum & Utensilia ipsorum. Exemplum est: cum obiisset Rabban Gamaliel Senex, combussit propter illum Onkelosus Proselytus septuaginta minarum Tyriarum pretium.*

pretium. Siccine etiam in funere Jesu, tanquam eminentissimi omnium Doctorum ingentem Myrrhæ & Aloes summam comburere decreverat *Nicodemus* Joh. xix. 39. Tam honorifice Professoribus justa persolvebantur; ut alia silentio involvamus, quæ ad nihil nisi augendum pompam atque sumtus faciebant. Qui ritus etiam Christianis olim usitatus, in quem invehitur *Hieronymus de vit. S. Pauli primi Eremitæ* ad calcem; *Cur & mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? - - - - an cadavera divitum nisi in serico putrescere nequeunt?* Conf. *Chrysostom. homil.* 84. *Quensted. pag.* 95.

II. At R. *Gamaliel* meliora edoctus supervacaneum esse duxit, tanta cura corpus illud condire atque ornare, quod vermibus tandem in alimentum cederet, quasi verò vermibus non saperet, aut salubre satis non esset cadaver, nisi gratis saporibus odoribus illitum gulæ ipsorum lenocinaretur; ideoque bona satis intentione R. Gamaliel: הוא צוה קודם מותו להוציאו לקבורה בכלי פשתן כי קודם זה הוציאו את המתים בכלי משי והיה הוצאת המת קשה לקרובין יותר ממיתתו: i. e. *jussit ante obitum suum ut efferrent ipsum ad Sepulcrum cum vestibus lineis, quia antea mortuos extulerant cum vestimentis sericis, atque hæc eductio mortui.* (Sic vertit *Vorstius*, pro quo, ut sensus clarior evadat, celeberrim. Wagenseil. substitui vult: *Atque hæc funerum impensa*) *gravior fuit propinquis ejus, quam ejus obitus.* Conf. cl. *Schickard. in* משפט המלך *cap.* VI. *Theor.* XIX. *pag. m.* 427. *edit. Lips.* Quam ob caussam hoc familiares ejus tam male habuerit, non opus est Oedipo interprete; scil. doluerunt, quod, cum Doctor tantus esset, sepeliendus tamen non nisi vulgari habitu indui vellet; antea enim modum excesserant Judæi in ornamentis funerum, at modum sibi & illis præscripsit idem Gamaliel, dicente *R. Saadia in Sepher Emunoth*: cujus verba ex versione cl. *Ursini* ita recensemus: *Hac doctrina apud populum vigente modum excesserunt in vestibus illis, quibus mortui involvuntur, & exinde hoc malum consequebatur, quod quicunque tenuioris sortis fuerit, reliquerit mortuum & fugerit, usque quo ordinaverit Rabbam Gamaliel, ut involverent cum duobus vestimentis lineis albis, & omnis populus ejus exemplum secutus est.* Omnem itaque luxum sapientes detestantur & ipsum cadaver vilissime involvunt, uti ex *Mos. Ægypt. Hal. Efel cap.* IV. probat cl. *Schickardus de ju-*

re Regio, cap. VI. *Theor.* XIX. ubi ita: *Abradunt Pilos corporis; mox vestiunt involucris candido filo lineo consutis, neque pretiosis.* Laneæ enim vestes nec in sacris gestantur nec cum mortuo sepeliuntur: vid. celeb. *Braun. de vestit. Sacerd. Hebr. part.* I. *cap.* 9. *pag. m.* 162.

III. *Samuelem* quidem Prophetam cum pallio sepultum existimat *Schindler. in Lexico suo Pentaglot. in voce* מעיל *ex* 1. *Samuel.* XXVIII. 14. *fol. m.* 1026. cui adstipulatur R. *Abarbanel ad* 1. *Sam.* 2. 19. his verbis: ושנקבר במותו מעוטף וזהו שאמרה הבעלת אוב מעיל *& quod* (pallium) *cum mortuus esset, eo circumvolutus sepeliretur, & hoc est, quod dicit Pythia: amictus pallio.* Cum autem מעיל sit pallium prolixum ad genua plerumque & infra Pontificis, uti testatur celeber. *Braun. lib. de vestit. Aaron.* 2. *cap.* V. qui evolvatur, vix huic sententiæ adstipulamur, cum materia ejus fuerit plurimum lana, hyacinthina, quam male reddit *Lutherus* einen frydom vat, & Hebræis interdictum, ut ejusmodi pallium cum mortuo sepeliretur. Hinc facile conclusionem facere possumus, *Samuelem* cum מעיל non sepultum fuisse. Sed unde probabunt *Schindlerus* & *Abarbanel*, *Samuelem* cum מעיל sepultum? forsitan ex illo, quod apparuerit Pythonissæ in מעיל pallio? Plane argumentum est labile. Non enim sequitur, *Samuel* apparuit Pythonissæ cum pallio seu מעיל, Ergò etiam cum illo sepultus. Diabolus enim sub *Samuele* personato apparuit in illis vestibus, quas gestare consueverat *Samuel* in vita, ut inde *Saul* facile putaret, Samuelem ipsum esse, & illum eò facilius falleret. Non autem inde sequitur, Saulem cum illo pallio terræ mandatum esse. Quod autem Samuel cum מעיל conditus non fuerit, probamus ex supra citato Hebræorum canone, quod mortuus cum laneis vestibus non sit sepeliendus. Jam autem מעיל laneam vestem fuisse constat. Ergo.

IV. Accedit etiam hoc, quod Pontifices Hebræorum cum vestibus Pontificialibus sepelire non concessum. Exemplo nobis est *Aaron* summus Sacerdos *Num.* XX. 26. ubi hæc extant verba: *Tolle Aaron & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus.* Ubi merito quæritur, quas vestes Aaron exuerit, & quibus amictus fuerit *Eleazar*? Ad quam quæstionem

nem respondemus vestes Pontificiales fuisse, licet F. *Fortunat. Scaccho in Myrothec. Sacro-profano part. 2. cap.* LXXX. *pag. m.* 817. *edit. Rom.* 1627. Abulensem aliosque erroris accuset his verbis: In his decepti sunt Abulensis, & quotquot in ejus sententiam ivere; existimantes has vestes, easdem omninò cum sacris fuisse, quibus nimirum Pontifex in Sanctuario utebatur, quod arbitrari nefas est. Nam has tantum gestabat, quando Dei Sanctuarium ingrediebatur, ut coram Domino ministraret & in officio ministerii esset. Hinc concludit, quod vestes illæ non fuerint Pontificiales, quibus Moses *Aaron* spoliaverit & nudaverit. Licet igitur libenter cum aliis viris doctis fateamur, quod licitum non fuerit extra ministerium in Sanctuario gestare vestes sacras Pontificales, id quod fuse & erudite demonstravit *vir celeber. Braunius in elegantiss. libr. de vestitu Sacerdot. Hebr. part.* 2. *cap.* XXVI. *pag. m.* 675. *seq.* §. 715. 716. Nihilominus tamen in casu necessitatis & ex mandato Dei licitum erat Sacerdotibus extra urbem gestare. Legimus enim apud *Josephum Antiquit. lib.* XI. *cap.* VIII. Pontificem Maximum *Simeonem Justum*, aut *Jaddum* cum reliquis Sacerdotibus cum vestibus sacris obviam ivisse *Alexandro*. Confer. *Braun. cap.* XXVI. *pag. m.* 679. Addit *Mikotz. præcept. affirm. CLXXIII.* in necessitate & monitu & jussu Dei.

V. Recte ergò ex mandato Dei vestes Pontificiales Aaroni Moses exuebat ex mandato Dei extra Sanctuarium & ob necessitatem, quia Aaron vivus jam mori debebat, quas aliàs gestare non potuisset, si demum post mortem his spoliatus fuisset. Interim tamen vix credimus *Aaronem* nudum terræ post mortem mandatum esse, quia nullus apud Hebræos nudus sepeliebatur, sed sindone vel linteo involutus; & ita Aaronem non nudum sepultum fuisse asserimus. Similiter omnes vulgares mortui cum linteis involucris conditi sunt, quod ex verbis Mosis Ægypt. paulo ante allatis patet, exceptis paucis, de quibus *Minhagim*: cujus verba referente *Gejero pag.* 62. *de luctu Hebr.* Wenn man findet einen entleibten / so thut man ihn zu Kefura / (grab) wie man ihn findet ohne tachrichin / (sterb kleide) man lässet ihn auch die schue an alsoo auch eine kindbetterin / oder der zu todt gefallen wäre. Missis itaque his ad specialiora pedem movemus.

CAPUT XI.

De Fasciis Sepulcralibus.

I. Fascia est linteum ad ligandum aptum, ut notant Auctores Lexicorum. Jam autem constat, quod apud Hebræos mortui seu cadavera fasciis involuta fuerint, de quibus jam acturi sumus prolixius. Fasciæ hæ sepulchrales vocabantur Ὀθόνια. vid. *Balduin. Wal. comment. in Johan. cap.* XIX. *pag. m.* 1000. & Κειρίαι. Quod ad primum attinet vocabulum ὀθόνη vel ὀθόνιον tunc varia significat, quæ adducta legi possunt apud cl. *Suicerum* in *Thesauro suo Ecclesiast. part.* 2. *fol. m.* 454. ubi refert, quod *linteamen*, item omnia involucra notet. Item *Sindon*, *cingulum*, fasciola, tenue linteolum muliebre, & omne genus telæ tenue, quamvis non sit lineum, & quæ alia sunt, quæ vir doctissimus ex *Scriptis Ecclesiast. Patr.* collegit. Sunt etiam fasciæ Sepulchrales, quibus corpus unctum instar infantis constringebatur, cujus figuram nobis exhibet doctiss. *Gisbert. Cuperus in observat. lib.* 2. *pag. m.* 206. *edit. Traject. ad Rhen.* 1670. confer. D. *Quensted. de Sepultur. pag. m.* 92. *edit. Witteberg.* 1660. & *Tr. nostr. de luctu Græcor. cap.* VI. *pag. m.* 70. *edit. Marpurg.*

II. Alterum, quo fasciæ nominabantur nomine, vocabulum est Κειρίαι, uti legimus apud *Johann. cap.* XI. 44. quæ Græcis proprie vocantur fasciæ, ut notat *Nicol. Fuller. pag. m.* 166. Angli dicunt *bands or lists of cloth to tye the hands and the feet withal.* Confer. *celeb. D. Quensted. de Sepult. Vet. p. m.* 91. *edit. Witteb.* 1660. Tr. nost. *de luctu Græcor. pag.* 70. *Balduin. Wal. ad Joh.* XI. *pag. m.* 929. Erant ergò Κειρίαι tæniæ, quibus mortui à capite ad pedes vinciebantur. Suidas dicit, quod Zonæ genus ex funibus fuerint, loro simile, quâ lectos vinciunt. Κειρίαι hic sunt cunabula vel incunabula, seu fasciæ, quibus colligantur infantes in cunis positi. Adducit postea *Suidas* locum ex *Aristophan. Avib. pag.* 400. v. 8. quem vide. In N. T. nempe *Joh.* XI. 44. Κειρίαι sunt tæniæ seu vincula, quibus pollingebantur corpora mortuorum. Glossæ veteres: *Tæniosus* κι-

ριάτης

ριάτης pro κειριάτης, ut κίρω pro κείρω *tondeo*: & σιρὰ pro σειρά. Apud *Hesychium* est Κηρείαις, quod manifeste mendosum. *Pricæus* doctissimus ille Anglus legendum censet, Κειρίαις, & post Κηρείαις, vel quod ordini literarum magis conveniret, Κηρίαις retinendum videtur, ἀπὸ τοῦ Κηρὸς i. e. *a morte*, quasi dicas *mortales fascias*. *Salmasius* apud *Hesych*. legit: Κηρίαι, ἐπιθανάτια ἐντετυλιγμένα, quasi velit dicere *quibus ii, qui fato functi sunt, involvuntur*. Hanc vero lectionem nemo facile admiserit: placet magis altera *Pricæi*, modò pro Κειρίαις legatur Κηρίαις. Κειρίαις δεδεμένος est feralibus amiculis adstrictus atque obditus, ut loquitur *Apulejus lib*. x. Linea sepulcrorum vincula dixit *Tertullianus*. *Nilus* apud *Photium Orat*. 1. *in Pasch. Cod. CCLXXVI. pag*. 1529. de infante adhuc in utero latente asserit: *Naturæ fasciis involutus, similis est mortuo fasciis sepulchralibus involuto, ligato*. Κειρίαι, quæ propriè mortuorum involucra erant, etiam pro incunabulis & fasciolis, quibus alligantur infantes, usurparunt teste *Moschopulo*. Κειρίαι vulgato sunt institæ ut & Augustino. *Fasciæ* quibus mortuus involvitur.

III. Cum itaque mos veterum Judæorum circa mortuos vestiendos fuerit, ut fasciis illos circumligarent, operæ pretium esse duximus, paulo clarius illum tradere, cum fere omnes, qui de luctu Hebræorum scripserint, de mortuorum vestitu aut sileant, aut obscure loquantur, ut quid proferant haut intelligi queat. *Johannes Buxtorff. Synagog. Judaic. cap*. XXXV. *pag. m*. 431. ait: Albam illi (mortuo) lineam tunicam induunt, & quidem vulgò eam, quam expiationis die induere solitus erat. Sed nemo non videt, ad recentiores mores respexisse *Buxtorffium*, quem sibi scopum præfixerat, cum ederet librum. Optime autem vestitus, quo corpus Christi in sepultura contectum est, ex ipsis Evangelistarum verbis cognosci poterit. Hæc verò paulo accuratius perpendentes deprehendimus, (uti etiam in Tract. nostr. de luctu Græcor. annotavimus) Christum non magno quodam linteo, sed compluribus tantum fasciis fuisse involutum, quemadmodum hodie infantes involvuntur. Ita etiam sensit cl. *Salmasius pag*. 377. Pro Sudario, inquit, quo caput ejus (Christi) involutum est, linteum late patens omnibus exhibent, cui forma corporis Christi impressa visitur, quasi mos tum fuerit, ut

nunc

nunc fit, corpora mortuorum linteis lectualibus amplis involvere. Atqui solo Sudario caput involvi mortui solebat, totum corpus fasciis religabatur, ut nunc infantium corpora, qui in cunis sunt. Κειρίας vocant Evangelistæ in *Lazaro*, quæ sunt fasciæ. Τελαμῶνας Græci appellant. Nam Græci ut & Judæi fasciis corpora mortuorum involvebant, à pedibus usque ad fauces, caput verò parvo linteo, quale est Sudarium vel muccinium, ut vocabant, operiebant. Ὀθόνια Johannes vocavit illas fascias, quibus Christi corpus vinctum fuit, cap. XIX. v. 40. Ubi ὀθόνια numero plurali dicuntur de fasciis lineis seu linteis. Nam ὀθόνη unum est magnum linteum. Conf. *Tr. de luctu Græcorum.*

IV. Certè *Johannes*, sepulturam Christi accuratè describens, non mentionem facit lintei magni, sed tantum fasciarum; cum cæteri id fecerint Evangelistæ, qui diserte sindonem nominant. Non ergo putandum acsi hæc Johannis opinio cæterorum destruat, sed potius stabiliat. Dicimus ergo fasciarum vocem, non rem, omittere tres reliquos Evangelistas & sindonem dixisse, quod institas seu fascias vocaverit Johannes. Sindon illa integra non fuit, sed in fascias discerpta, quibus Judæorum more corpora mortuorum circumligari solent. Observat *Artemidorus*, mortuos & infantes eodem planè modo fasciis involvi. At quis prius magno linteo infantem contegit, eundemque deinceps ligat fasciis? Evangelistæ Sindonem dicunt. An integra, an in fascias disrupta fuerit, non addunt. At *Johannes* addit. Conditionem ergo Sindonis discamus à *Johanne.* Quæ verò nunc pugna inter Evangelistas? Nonne sindon in fascias scissa etiamnum sindon est? Sindon certè commodissima est, cui fasciatim involvatur corpus. Num sindon esse non potest, nisi quæ amplissima sit? Adscribimus igitur iterum verba *Salmasii*, utut pluscula, quia totum exhauriunt negotium.

V. Ita autem illa *pag.* 380. sonant: Quæ ὀθόνια *Johanni*, ea reliquis Evangelistis σινδῶν. Sic enim *Lucas in Evangelio cap.* XXIII. de *Josepho* decurione, qui corpus Jesu è cruce sublatum, ut petierat à Pilato, sepulturæ tradidit, asserit, Sindoni involutum fuisse. Σινδόνα appellavit *Lucas* quæ dicuntur ὀθόνια *Johanni*, de eodem Josepho ab Arimathæa, quem Jesu cor-

corpus, ait, de cruce ſublatum accepiſſe & cum Nicodemo ὀθονίοις religaſſe cum aromatis, ut mos fuit Judæorum mortuos ἐνταφιάζειν i. e. ſepelire. Atqui Judæorum more conſtat, mortuos faſciis & vinculis involvi ſolitos, ut etiam apud Græcos. Hiſtoria Lazari reſuſcitati à Chriſto hoc non ignorare nos patitur, in qua Κειρίαι nominantur eidem Johanni, & à Sudario diverſæ ponuntur, quo facies ejus circumligata erat: Καὶ ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις, καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο: Religatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Cum dicit, pedes & manus ligatas inſtitis, ſive faſciis habuiſſe, de toto corpore intellexit. Nam in mortuis pollingendis manus demiſſas & ad latera junctas ſimul cum ipſo corpore & ad corpus ipſum colligabant. Ita ligatæ manus penè ad genua ipſa deſcendebant. Inde & crura & pedes ſimilibus faſciis ligari conſueverunt. Conſtat hîc planè ſibi Johannes in more Judæorum ſepeliendi tam in Chriſto, quàm in Lazaro. In Lazaro Κειρίας vocat, quibus totum corpus vinciebatur, in Chriſto ὀθόνια. In utroque utitur verbo δῆσαι. In Lazaro σουδάριον appellat, quo facies erat circumligata, id eſt, totum caput cum facie velatum. In Chriſto dicit, id σουδάριον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ fuiſſe. Quid igitur, cum hæc tàm clara ſunt, ſibi voluere reliqui Evangeliſtæ, qui σινδόνα vocant, qua Jeſu corpus pollinctum fuit? Sic enim & *Matthæus* de *Joſepho* ab *Arimathæa*, & ἐνετύλιξεν αὐτὸ ἐν σινδόνι καθαρᾷ. An faſciis ligatum corpus, deinde & ſindone grandi involvebatur. Hoc poſſet ita factum videri, niſi *Johannes* repugnaret, qui ſola ὀθόνια nominavit, nec σινδόνος meminit. At *Matthæus*, *Marcus* & *Lucas* σινδόνα appellant. Sane *Marcus* emtam à *Joſepho* Sindonem dicit, & ea involutum Jeſum; ubi ἐνειλίσσειν ſatis oſtendit, faſciatim corpus Chriſti involutum fuiſſe, ut & ἐντυλίξαι, quo reliqui utuntur Evangeliſtæ. Ergo apparet, emtum à *Joſepho* grande linteum tegmen, quod eſt ſindon, eamque in multas ſcidiſſe faſcias, quibus corpus Chriſti vinxit & convolvit. Has faſcias ὀθόνια & Κειρίας Johannes dixit. Idem certe mos Græcorum & Latinorum fuit.

VI. *Chiffletius* de linteis ſepulchralibus Chriſti quidem pag. 22. non negat, Chriſti corpus faſciis vinctum fuiſſe, ſed etiam

alia adhibita esse linteamina, quando ita citato loco scribit: *Quia addit Johannes ligaverunt linteis; meritò dubitari potest, num idipsum sint institæ, quod linteamina; & an in Christi funeratione præter institas alia adhibita sint linteamina, quod puto probabilius.* Ex his colligitur Chiffletium præter fascias etiam linteum magnum statuere, quo Christi cadaver circumdatum, ut plerumque à pictoribus pingitur, cujus schema quoque expressit *Anselmus Solerius in lib. de pileo pag. m.* 303. *edit. Amstel.* 1672. Sed quorsum opus erat magna sindone, cum adfuerint fasciæ? Omnes enim fatentur, Christum non tantum quoad manus vel pedes, sed quoad totum corpus fasciis religatum esse, plane ut constringitur infans, idem dicunt de *Lazaro*. Atque, inquis, de *Lazaro* diserte dicitur, vinctum fuisse illum quoad manus & pedes. Respondemus, infantes quoad omne corpus religati sunt, & nihilominus *Plinio* dicuntur *jacere manibus pedibusque devincti.* Credimus verò manuum pedumve factam esse mentionem, quod fasciæ, quibus totum corpus vinctum erat, in illis membris desinerent, atque intricatius copularentur, unde & ab illis primordium forte capiendum fuit *Lazarum* soluturo. Addimus quod illis se membris omnium maximè ligatum senserit, quippe quibus ad eundum ac commovendum præ cæteris erat opus. Potuisset certe quivis commodè ambulare, quamvis totum corpus fasciis religatum sit, si modo liberæ sint manus & pedes liberi.

VII. Ut autem res clarior evadat, contraria quoque testimonia in medium proferemus illorum, statuentium, corpus Christi non tenuibus fasciis, sed sat grandibus involutum fasciis. *Chiffletius l. c. cap.* VII. ait: Duo mihi declaranda suscepi; alterum institas seu fascias sepulchrales in sepultura Judaica non extremis duntaxat manibus & pedibus religatas fuisse, funiculorum instar, sed totum cadaver, uno capite excepto, complecti solitas & circum illud convolvi, *pag.* 36. Quod fasciæ sepulcrales sive institæ, toti corpori circumvolutæ sint, planè sicut fasciæ infanti in cunis jacenti circumduci solent, indicat *Herodotus in Euterpe: Mortuum* ubi abluerunt, totum corpus ejus in sindone byssina,

ſina, inciſis loris obligant. Hæc ille de Ægyptiis, ex quibus ritus ſuos hauſerunt Judæi: & ſignificat non obſcure *S. Johannes* ubi ait: Acceperunt ergo corpus Jeſu & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire. Ecce non pedes tantum, aut manus, ſed corpus ligatum dicit; & quidem non anguſtis tæniis & quaſi funiculis, ſed linteis; nempe faſciis ſepulchralibus juſtæ latitudinis, ex linteis ſeu linea tela in oblongum recto filo abſciſſa. Quorſum ergo linteum magnum, cui demum ſuperducendæ faſciæ hoc modo:

VIII. Verùm vix calculum his addere poſſumus, ducti hac ratione: Si igitur corpus Chriſti magnæ Sindoni involutum, ſequi debuiſſet, quod etiam magna illa ſindon poſt reſurrectionem Chriſti in ſepulcro reperta fuiſſet. Aſt hæc non reperta, uti planè indicat *Johannes cap.* xx. 6. ubi hæc leguntur verba: *Venit igitur Simon Petrus ſequens ipſum & ingreſſus Sepulcrum videt* τὰ ὀθόνια *faſcias poſitas. Et ſudarium, quod erat ſuper caput ejus, non* μετὰ τῶν ὀθονίων *cum faſciis poſitum.* Ex his ſatis conſtat, nullam magnam ſindonem ibi fuiſſe, aliàs etiam *Johannes* hujus mentionem feciſſet. Manet ergo firmum, Chriſtum faſciis tantum Sepulcralibus involutum fuiſſe hoc modo: Quorſum autem hæ faſciæ pervenerint, ignoratur, quamvis Pontificii hoc vel illo loco eſſe propalent. Falſa hæc omnia, quæ proferunt & fidem haut merentur fabulæ. Plura qui deſiderat de Pontificiorum opinionibus, evolvat *diſſertat.* ſub præſid. *Maxim. Reverendi Abbat. Joh. Andr. Schmidii, Fautoris noſtri ſubmiſſe devenerandi.* prodiit *Helmſt.* 1698. His etiam huic capiti finem imponimus & ad reliqua ornamenta nos conferimus.

CAPUT XII.

De Sudario Chriſti ſepulchrali, & aliis rebus conſepultis.

I. Viſis faſciis Sepulchralibus ad *Sudarium* & res alias conſepultas progredimur, & quidem primo loco de Sudario agemus. *Sudarii* vox Latina quidem videtur; an autem

ſit,

sit, dubitamus. Nam *Syri* dicunt ܣܘܕܪܐ *Sudara* & in lingua Sapientum est סודר *Sudar*, quod usurpant in vario sensu. Sæpe linteum operimentum notat, quo demortuorum capita tegebant veteres. Hoc sensu occurrit *Joh.* XI. 44. & XX. 7. itaque frustra *Sopranis*, tractatu de re vestiaria Judæorum *disp.* 2. *c.* 1. *§.* 3. expostulat, Sudarium capitis tegminibus esse annumeratum à Sanctio in cap. XIX. Act. num. 5. Id enim ille de mortuorum capitibus verè pronunciavit. Non autem asserimus omne *Sudarium* fuisse ad usum mortuorum. Cum enim vox ipsa *Sudarii*, usum ejus ad tergendum sudorem aliosque superfluos humores naribus, oculis, ore effluentes præferat, nec is usus in defunctis habeat locum; liquet, vocem *Sudarii* latius patere, quàm ut ad mortuos restringi possit. Sicque videmus Act. XIX. memorati *Pauli* viventis *Sudaria* ab ejus corpore delata, quibus mira edebantur. Videatur de hac voce pluribus differens *Ansel. Solerius de pileo pag. m.* 346. 347. *Carol. du Fresne Gloſſar. ad Script. med. & infim. Latin. P.* III. *fol.* 1001.

II. Certum autem est, ejusmodi *Sudarium* aliquando extitisse, quippe Evangelistæ expressis affirmant hoc verbis. Ubi autem perierit, aut quo sit abreptum, planè nescimus. Sudarium itaque omnibus mortuis apud Judæos usitatum fuisse constat ex funere *Lazari*, *Joh.* XI. Et facies ejus *Sudario* erat ligata. Hujus figuram ita depinxit *Solerius pag.* 344. Hoc facies tegebatur defuncti ne si qua deformis conspiciatur. Non magni pretii erat, quod ex illo Rabbinorum patet, de quo dicunt ipsi Hebræi: *Solent Sapientes adhibere Sudarium non plus denario constans, ut ne pudefaciant eum, cui* (tale pretium) *non suppetit. Tegunt vero demortui faciem, ut ne pudefiant pauperes, quorum vultus præ fame solet esse deformior.* Hoc Sudarium alias etiam πέπλον vocatur teste *Syro* in *Luc.* XIX. qui per *linteum* reddit. In Targum pro מטפחת peplum & כסות velamen: vid. *Tr. nostr. de luctu Græcor. pag. m.* 32. *edit. Marpurg.* Ita etiam in Christi sepultura *Sudarium* adhibitum fuisse extra omnem dubitationis aleam ponimus. Confirmant hoc Evangelistæ, quippe hoc cum fasciis repertum in Sepulcro post resurrectionem. Quorsum autem pervenerit Sudarium Christi varie disquiritur à Pontificiis, quæ tamen omnia potius fabulæ & figmenta

menta ſunt, uti pluribus oſtendit diſſertatio ſub præſidio *maxime Reverendi Abbatis B. Joh. Andr. Schmidii* habita *Helmſtad.* 1698. *de Sudario Chriſti*, quæ legi meretur. Cum itaque actum agere nolimus, ad alia progredimur.

III. Quærimus igitur an Judæi etiam mortuis pecuniam addiderint uti alii populi? Sunt qui affirment & dicant, in Sepulcro Davidis magnam pecuniæ ſummam repertam fuiſſe: vid. *cap.* XIV. *lib.* 2. ubi fuſe actum de hac materia. Et licet cl. *Schickardus in* משפט המלך *cap.* III. *Theor.* XI. *p. m.* 210. *edit. Lipſ.* affirmare videatur Judæos quoque hanc conſuetudinem habuiſſe, ſuamque opinionem probare conetur ex Sepulchro Davidis; cui adſtipulantur *Menoch. lib.* VIII. *Reipubl. Ebr. c.* V. *quæſt.* IX. & *Villalpandus t.* 2. *lib.* V. *Diſput.* 4. *c.* LXI. & *Balthaſ. Bonifac. Rhodigin. hiſt. ludicr. lib.* XX. *c.* III. *pag.* 569. 570. *edit. Bruxell.* R. *Benjam. Tudel. in Itinerar. pag.* 46. attamen nos dicimus cum B. *Gejero* Judaicam ſpirare fabellam: vid. *pag.* 146. *de luct. Hebr.* B. *Carpzov. annot. ad Schickard. pag. m.* 210. *edit. Lipſ.*

IV. Porrò quæritur, an etiam *arma* apud Judæos ſimul recondita fuerint? Gentilium mores ſi perpendamus, certum eſſe aſſerimus, uti cap. XIV. lib. 2. §. 7. pluribus oſtendimus. De Judæis affirmare videtur Propheta *Ezechiel cap.* XXXII. 20. 27. *Non autem jacebunt - - - - ad infernum cum armis.* Ubi *Munſterus* annotat ex Hebræorum explicatione: Non jacebunt cum his, qui naturali exſpiraverunt morte, aut qui veluti ſtrenui milites cum ARMIS ſuis ſunt ſepulti. Cui adſtipulatur *Vatablus* in h. l. his verbis: Non morientur ut viri iſti ſtrenui ac nobiles, qui moriuntur morte ſua & efferuntur ad Sepulcrum unà cum *inſtrumentis ſuis bellicis & armis.* Idem affirmat *Grotius Comment. in h. l.* ita diſſerens: Victores non ſingula tantum habebant ſepulcra, ſed & in virtutis honorem cum armis ſuis ſepeliebantur, 1. *Maccab.* XIII. 29. Conſtat ergò ex his allatis teſtimoniis & Hebræos heroibus & fortibus arma addidiſſe.

V. Moris etiam Judæis fuit faſciis librorum legis, quæ vetuſtæ factæ, mortuos involvere. Teſtatur hoc *Maimonid. in tr. de legib. c.* X. ita ſcribens: Faſciæ librorum legis, quæ factæ ſunt vetuſtæ, involucra fiant mortuorum, & hæc eſt re-

positio earum. Verba ipsa citata legi possunt apud cl. *Schickard. in* משפט המלך *cap.* 11. *Theor.* v. *pag. m.* 126. Libros inveteratos vel profanatos includunt vasi testaceo & sepeliunt juxta studiosum sapientiæ. Et hæc ipsa est illorum remotio vel occultatio. E linteaminibus autem senio attritis faciunt involucra mortuo. Conf. *Vorst. ad R. Maim. de fundament. legis pag. m.* 85. *edit. Amstel.* 1638. *Et Arba Turim, part. II. c. CCLXXXII. fol.* LXVII. *col.* 4. Ne itaque nauseam lectoribus excitemus, hîc subsistimus & ad Sepulcrorum mysticam & moralem Explicationem nos conferimus, sit ergo

CAPUT XIII.

De Sepulcrorum morali explicatione.

I. Hactenus occupati sumus sat diu circa Sepulcra Hebræorum & ornamenta illorum tam externa, quam interna. Nunc ratio suadet, ut etiam moralitatem illorum perpendamus, præprimis Sepulcrum Christi & illius contenta in memoriam revocemus, quæ quasi ideam nobis præscribunt, quomodo per totum vitæ curriculum nos gerere debeamus. Si ergo Sepulcrum Domini nostri Jesu Christi in succum & sanguinem convertere velimus, consideranda nobis sunt TREDECIM, quæ omnia in Sacra Scriptura continentur, perpendentes, quod in illo (1) fuerit *Myrrha*, quæ Emblema est mortalitatis. Qua significatur, quod juxta Apostolum *Col.* III. 5. mortificare debeamus omnia nostra membra, voluptates, & omnes nostras passiones. *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram.* Ita quoque benè *Gregor. M. in Evangel. Hom.* x. *pag.* 351. *A. Tom.* 2. disserit, quando sic literis tradit: Per *Myrrham* carnis mortificatio figuratur. Et paulo post: *Myrrham* offerimus, si carnis vitia per abstinentiam mortificamus. Qui igitur *Myrrham* sepulchri Christi sibi in memoriam revocaverit, & meditationibus perlustraverit suis, non flocci habebit monitum Apostoli citatum, sed omnem dabit operam, ut membra sua mortificet.

II.

II. *Myrrha* hæc in Sepulcro Christi nobis ansam dat pluribus differendi verbis de mortificatione, quæ tam necessaria, quam necessaria illa fuit in condiendis cadaveribus apud Judæos. Ergo mortificate membra qui sepulchri Christi participes fieri desideratis. Sciendum autem prius est, quid sit mortificatio? Hanc Ecclesiæ Doctores ita describunt, quod nihil aliud sit, quam odium erga cupiditates pravas membrorum, quæ abnegandæ, ut sint quasi mortuæ, cujus mortalitatis emblema myrrha. S. Jacobus benè ostendit, undenam appetitus & passiones nostræ, quæ suam in nos tyrannidem exercent, suam trahant originem; dicit enim *cap.* IV. I. Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc ex concupiscentiis vestris? At ubinam hæ concupiscentiæ resident? vel per quid mortificantur? Respondet idem *Jacobus*: militant in membris vestris. Necessarium igitur est hoc nostrum corpus mortificare & subjugare, ut sit obediens rationique subjiciatur. Mortificate ergo membra vestra. *Cornelius à Lapide* in hæc Jacobi verba scribit ita: *licet passiones & concupiscentiæ sint in anima, & appetitu concupiscibili vel irascibili, tamen quia hi appetitus sedem habent, & quasi castra sua figunt in membris, per eaque se exserunt, hinc pariter concupiscentiæ in membris suam habent sedem, ut ira in felle, libido in membris generationi destinatis, amor in jecore, &c. hinc ab Apostolo concupiscentia vocatur lex membrorum.* Perfecta itaque mortificatio pluribus membris continetur, prout plura vincula sunt, quibus ceu funiculis quibusdam in hoc mundo irretimur, & in quæ affectus noster inordinate fertur. Quemadmodum autem *Myrrha* in unctione omnibus corporis membris applicabatur, ita & *Mortificatio* in omnibus nostris membris peragi debet.

III. Per *Myrrham* mortificationem indicari ex hoc etiam patet. *Myrrha* enim amara, ita etiam mortificatio membrorum amara videtur; interim suavissimos odores instar myrrhæ producit. *Laurentius Justinianus in libr. de interiori conflictu*, referente *Mansio* in *Bibliothec. moral. Tom. III. tract.* LI. *disc.* 4. *fol. m.* 424. plurimos enumerat effectus, inquiens: *Custoditur lex, pax servatur, nutritur concordia, sufficiunt propria, nequaquam aliena diripiuntur, subest caro, ratio dominatur, diriguntur cælestia & fraternus amor augetur, si concupiscentiæ defuerit languor;*

guor; ipso autem vigente ac prævalente deordinantur omnia sive corporalia, sive spiritualia. Quamobrem omnis disciplina Christiana professionis non in miraculis faciendis, non in futuro prædicendo, non in eloquio composito scripturarumque explanatione, sed resecandis concupiscentiis commendatur. Cur autem *mortificatio myrrhæ* assimiletur, *Ghislerius* comm. in *Cantic.* IV. hanc reddit rationem: Quia nimirum amaritudine sua, cui exsiccandi & adstringendi vis insita est, corpora à putredine servet illæsa; atque adeò ut hac in re majorem habeat vim cum aloe sæpe jungi solet, quæ multo est amarior. Sic & in Evangelio Joh. XIX. 39. dicitur, Myrrha & Aloë conditum fuisse corpus Jesu à Nicodemo, antequam sepeliretur, quod is mos esset apud Judæos, ut mortuorum corpora à corruptione vindicarent. Porrò quod carnis mortificatio castigatione ipsa sua, pœnæ amaritudine, & sensuum adstrictione potentissimum sit medicamentum, quo homines à peccatorum putredine vindicantur, est certum. Unde Apostolus 1. *Cor.* IX. dicebat: Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne reprobus efficiar.

IV. Cujus ergò membra mortificatione amara ceu myrrha mortificata sunt, ille abnegat seipsum, amorem proprium, qui nocet ipsi, odit seipsum, seu animam suam, hoc est, explicante div. Gregor. hom. 37. in Evangel. non ejus carnalibus desideriis acquiescit, appetitum frangit, voluptatibus reluctatur. Vid. *Laurent. Beyerling. promptuar. Moral. pag. m.* 382. 383. *seqq. Joseph. Speranz. script. select. punct.* CXII. *pag. m.* 337. Abnegat sensus, i. e. sensibus indebita negat. Per sensus enim ceu portas omnia mala irrumpunt. In his portis olim judicium jusque dicebat ratio suumque fixum tribunal habebat: Oculus non videbat, nisi quod erat necesse; illicita, vana, curiosa non videbat: auris non audiebat. Nunc autem hæ portæ patent & omnibus malis obnoxiæ sunt. Mortificatis his sensibus, visus abnegatur, ne periculum inde accidat. Pangit fœdus cum oculis, ne intueantur, quod intueri non liceat. Abnegat, gustum, odoratum, tactum, auditum, imò voluntatem & judicium proprium, ut quasi mortuus videatur. Novit enim veram mortificationem sequi illuminationem, ac deinde unionem divinam. Bene itaque quidam disserit ita scri-

ſcribens: *Plane marcidus languor noſter nos impedit, quem ſi aſſumpto virili animo ſtrenue evinceremus, nobiſque à cunctis rebus caducis emori, & Deo amœnam in animabus noſtris habitationem præparare ſtuderemus, non poſſemus tandem non adipiſci maxima, non poſſemus non habere ac ſentire Deum in nobis.*

V. Per *Myrrham* mortificationem intelligi oſtendit locus *Cant.* v. 1. *Meſſui Myrrham primam cum aromatibus meis.* Quid aliud per hoc innuere voluit, quam quod myrrha ſit Symbolum mortificationis, in qua anima ſe exercere debet, ut ei accepta fiat; unde prædicta verba D. Gregor. Magn. explicans, inquit: *Myrrham* dilectus cum aromatibus metit, quando Chriſtus mortificatione vitæ ad perfectionem perducta, electum ab hac vita ſuccidens, ad cœleſte horreum cum ſancta opinione inducit. Obſervandum autem eſt, ſponſum aromata meſſuiſſe, poſtquam Myrrham inde collegerat; prius enim dicit *meſſui myrrham primam*, & poſtea aromatum mentionem facit, ad denotandum, quod virtutes ſuum in mortificatione principium, progreſſum & perfectionem habeant. Cum enim mortificata fuerit carnalitas & propria voluntas, tunc fluunt virtutum aromata. Hinc benè *Bernhard. Serm.* xxx. *in Cantic. Tu quoque ſi propriam deſeras voluntatem, ſi corporis voluptatibus perfectè renuncies, ſi carnem tuam crucifigas cum vitiis & concupiſcentiis, ut & mortifices membra tua, quæ ſunt ſuper terram, probabis te Pauli imitatorem.*

VI. Per Myrrham mortificationem Deo gratiſſimam ſignificari indicat illud *Eccleſ.* xxiv. 20. *quaſi Myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.* Tametſi certum ſit omnes univerſim virtutes Deo gratas eſſe, attamen hæc mortificationis virtus gratiam Dei præ cunctis aliis conciliat. Myrrha autem mortificationem præfigurat, quæ electa dicitur, quia inter omnes alios odores is, quem *Myrrha* ſpargit, fragrantiam amabilem habet. Id quod mortificationi aptiſſimè congruit. Ille enim, qui, abnegatis omnibus mundanis, ad Deum accedit, & omnia, quæ inordinata ſunt in ſe mori patitur, coram Deo benè olet. Abnegatio enim ac reſignatio propriæ voluntatis Deo gratiſſima eſt. Acceptius obſequium homo præſtat Deo, quando à vano & non neceſſario viſu, auditu, olfactu, guſtu vel tactu diſcrete abſtinet, voluntatem ſuam in hujuſmo-

di rebus pure propter Deum mortificans, quam si mortuos ad vitam temporariam revocaret. Ex hac unctura Christi *myrrha* facta *Zeno serm. de jejun.* ad mortalitatem nos deducit, dicens: Ostenditur ergò per hoc, quia ungere Christum, est sepulturam ejus præparare, Sepulturam verò Jesu præparat secundum Apostolum, qui mortificat membra sua, quæ sunt super terram. Et qui jam non secundum carnem ambulat, & qui actibus Spiritus Sancti carnis facta mortificat. Et ut plenius dicam, cui mundus crucifixus est & ipse mundo. Hos ita *Blosius* referente *Mansio* ita describit: Sunt certe nonnulli adhuc in carne positi, qui dum omnia visibilia fastidiunt, mentem in cœlestia attollunt, nihilque aliud optant aut student, quam sese sponso suo per intimos cordis affectus adjungere, in eoque solo delectari ac pasci, spretis omnibus rebus mundi, sequemetipsis neglectis atque mactatis in corde, in carne, in actu & habitu, in omni denique opere & verbo, solo divino amore accensi, veluti virgula fumi ex aromatibus Myrrhæ & thuris à deserto in cœlum adscendunt, odorem sanctitatis & bonæ famæ subtilitatemque mentis & recte judicii olentes.

VII. In Sepulchro Christi (II.) reperitur *Aloë* quæ amara, & *amaritudinem pœnitentiæ* indicat & contritionem, quæ instar salis ad condiendas nostras transgressiones esse debeat. *Aloë* autem est succus amarus naturam pœnitentiæ indicans. Peccata enim amarissime sunt deploranda, uti pluribus ostendit Angl. *Gr. Williams fol. m.* 190. 191. In Sepulcro Christi erant (III.) lineæ albæ vestes, quibus significatur, quod animæ & corpora nostra pura instar albarum vestium esse debeant. Album enim puritatis, fidei, castimoniæ & ejus generis aliarum virtutum nota. Hinc decorus color Deo, uti etiam *Cicero* 2. *de legib.* asserit: vid. *Martin. de Roa Singul. lib.* VI. *pag. m.* 528. & *part.* 2. *cap.* I. ubi plura. (IV.) reperiebatur in illo *Sudarium*, quô facies Christi tegebatur, quô indicatur, quod facies nostras obtegere debeamus humilitate, ne cum Pharisæo illo superbo, bona opera nostra extollamus. Deus enim resistit superbis, sed humilibus dat gratiam. Facies nostras Sudario tegere debemus, ut veram, non simulatam humilitatem exerceamus, quia dejectio corporis & exaltatio cordis, abo-

abominatio eſt apud Deum. Nihil enim externa humilitas juvat, quando cor adhuc ſuperbit; ſed interna cordis humilitas multum commodi affert, quando noſtras miſerias agnoſcimus & propriam dignitatem abnegamus. Laudabilior eſt animus, cui nota eſt infirmitas propria, quàm qui, ea non reſpecta, mœnia mundi, vias ſyderum, fundamenta terrarum & faſtigia cœlorum ſcrutatur. Recte & bene Anglus *Gr. Williams fol. m.* 110. hoc explicat, ita ſcribens: *If we would be humble, we muſt denie all the good that is in our ſelfes: and then, ſicut ſpecies aromaticæ, cum in pulverem rediguntur, vehementer redolent: ita hominis bona, cum per humilitatem fuerint comminuta, Deo ſunt gratiora.* Confer. *fol.* 443. ubi plura de hac virtute.

VIII. Sepulchrum ipſum (v.) quod attinet, illud exciſum erat in lapide firmo, quo denotatur, quod fides noſtra fundata & inædificata eſſe debeat Chriſto, petra firmiſſima, ne tempore tentationum decidamus & inſtar arcus fracti dilabamur. Firma & immobilis ut petra fides noſtra eſſe debet, aliàs eſt tantum temporaria, uti Chriſtus ipſe oſtendit in Parabola *Matth.* XIII. 20. 21. quam ſæpe laudatus Anglus *Gr. Williams* in libr. *the beſt Religion edit. Londin.* 1636. *fol. m.* 279. pluribus exponit his verbis: *The temporary faith is a beliefe in Chriſt, and a truſt in the mercy of God for a ſeaſon, as our Saviour sheweth in the parable of the ſower, where he tells us that he, which reciveth the ſeed into ſtony places, is he that heareth the word - - - yet hath not root in himſelf, but dureth for a while, and when tribulation or perſecution ariſeth, &c. he fall away. But the juſtifying faith is a moſt firme perpetuall appropriation of the love and mercy of God.* Conſtat hinc fidem noſtram immobilem eſſe debere, quam nec Diabolus, mundus & adverſitates nunquam labefacere poſſunt.

IX. Obſervandum porrò venit, quod (VI.) ingens lapis ad os Sepulcri advolutus fuerit, quo ſignificatur, quod propoſitum & reſolutio noſtra in cultu & miniſterio Dei ſimilis ingenti lapidi eſſe debeat, ad oſtium animæ voluto, ne aliquid cor noſtrum ingrediatur, quod pias cogitationes diſturbet. Cor noſtrum recte cum oſtio comparatur, per quod ingreſſus & egreſſus fit; hinc primus & præcipuus locus, quem

intrare conantur inimici; quare danda eſt opera ut vigilemus & os cordis lapide ingente muniamus, ne Diabolus pravis cogitationibus ſe ingerat, & cubiculum omnipotentis Regis occupet. (VII.) conſiderandum, quod lapis ſigillo Pontificis obſignatus fuerit, quo indicatur, quod mens & anima noſtra gratia Chriſti ſit obſignanda quod optimum ſigillum Pontificis. (VIII.) quod monumentum novum in quo nemo reconditus fuerat, quo notatur, quod peccatum in cordibus noſtris habitare non permittamus, antequam corpus Chriſti in illis recondamus. Cor noſtrum itaque peccatis non inquinandum, ſi habitaculum vel receptaculum corporis Chriſti eſſe debeat. (IX.) Vigiliæ illi addebantur ad cuſtodiendum, ne quis corpus Chriſti furto auferet. Quo ſignificatur, quod nocte dieque vigilare debeamus, vel ut Sapiens *Proverb.* IV. 23. dicit, quod omni cuſtodia cuſtodire corda noſtra debeamus, ne malitioſi diſcipuli Diaboli gratiam Dei à nobis furto auferant. Diaboli malitioſi diſcipuli ſunt pravæ ſuggeſtiones, quæ omnem impendunt operam, ut corda noſtra rapiant. Omni itaque cuſtodia cor cuſtodiendum, ne ejuſmodi ſuggeſtiones immittantur. Nam *when Satan*, ſcribit doct. *Gr. Williams fol. m.* 588. *by his wiked ſuggeſtions hath emiſed the ſeed of ſinne into our hearts like a father, then our corrupt flesh, by wiked thoughts and imaginations receiveth ſinn as a mother. - - - Look not only to thy hands, and to thy feet, to thy words, and to thy works, but eſpecially above all things, look to the thoughts and inward affections of thy heart.* Vid. fol. 589. ubi plura de hac re leguntur.

X. Nec ſilentio eſt prætereundum quod (X.) Sepulcrum Chriſti in horto amœniſſimo floribus pulcherrimis ornato, ut diſcamus, quod corda noſtra & mentes noſtræ inſtar horti eſſe debeant, floribus omnis generis & fructibus bonarum virtutum præditi. Sit ibi roſa rubicunda patientiæ, lilium album innocentiæ, &c. Ut anima noſtra dicere poſſit *Cantic.* IV. Veniat dilectus meus in hortum &c. Succedet (XI.) quod in monte *Calvariæ* Chriſtus paſſus, ut ſemper memores ſimus paſſionis Chriſti; quia mors Chriſti unicum illud, quod animas noſtras liberat ab omnibus peccatis, uti Auguſtin. aſſerit, & ante ipſum Apoſtolus Johannes inquiens: Sanguis Chriſti emun-

emundat nos ab omni peccato. Tanta vis crucis Chriſti, ut ſi ante oculos ponatur *in the minds of the faithfull* ſcribit *Williams fol. m.* 867. *ſo that they did intentively behold the death of Chriſt, no concupiſcence, no luſt, no envy, no fury could overcome them; but preſently upon the conſideration of Chriſt his ſufferings, the whole hoſte of the fleſh and of ſinne would flie away ſaith* Oroſius: *and* S. Bernhard. ſerm. 62. *Quid tam efficax ad curanda conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Chriſti vulnerum meditatio.* Accedit (XII.) quod prope Hieroſolyma fuerit, hoc eſt, viſionem pacis, ut doceamur, quod cum omnibus hominibus pacem habere debeamus in his terris, & deſideremus cum Principe pacis eſſe in cœlis. (XIII.) quod Joſephi Sepulcrum fuerit, cujus nomen ſignificat augmentationem; qua re docemur, ut etiam proficiamus gratia & creſcamus, uti eleganter hoc explicat Anglus ſæpe laudatus *Gr. Williams fol. m.* 315. cujus verba hîc adſcribere non pigebit: *That we*, inquit, *ſchould increaſe in grace and grow, not as ſower ale in ſummer, worſe and worſe; but as good wine well kept, better and better, from one vertue unto another, untill our ſoules be filled with all goodneſſe: this is to bury the body of Chriſt in Joſephs tombe, when his graces are ſowed in a fruitfull heart, that brings increaſe of ſome thirty, of ſome ſixtie, and of ſome a hundred fold.* Faxit etiam Deus, ut etiam hæc quæ diximus benè perpendantur & mentibus noſtris imprimantur, ut diſcamus, Sepulcra noſtra media eſſe, quorum ſubſidio ad pietatem & vitam ſanctam deducamur. Deo itaque ſit laus & gloria in Secula Seculorum AMEN.

FINIS.

CATALOGUS
QUORUNDAM LIBRORUM,
Quos
HENRICUS TEERING,
Vel ipse typis mandavit, vel quorum major ipsi copia suppetit.

Ackersloot over den eersten Brief Pauli aan de Corinthen in 4. onder de pars.
Boerhave Oratio de Usu ratiocinii mechanici in Medicina, in 4.
Constitutiones R. Mosis F. Maimonis de Primitivis cum notis Crameri, in 4.
Crenii Thesaurus Philologicus & Historicus, 2 vol. in 8.
- - - Animadversiones Philologicæ & Historicæ 14. vol. in 8.
- - - Musæum Philologicum & Historicum, 2. vol. in 8.
- - - Fasces Exercitationum Philologico - Historicarum, 5. vol. in 8.
- - - De Philologia, studiis liberalis doctrinæ, informatione & educatione litteraria, in 4.
- - - De eruditione comparanda, in 4.
Cunæus de Republica Hebræorum cum notis J. Nicolai, in 4.
Freibergeri Clavis Chronologiæ Sacræ, in 8.
Goris Medicina contempta, in 4.
Gronovii (Jacobi) Oratio in obitum Wilhelmi III. in folio.
- - - de tempore Batavorum immigrationis in hanc insulam, in 4.
- - - Allocutio ad Dominum Jacobum Baronem de Wassenaar de duobus in Duyvenvoordense prætorium receptis lapidibus, in 4.
De Haas (Laur. Lammoraldus) redenen van overgang uit het Pausdom tot de gereformeerde Kerk in 8.
Helvici (Christophori) Elenchi Judaici, &c. in 8.
Hermanni (Pauli) lapis Lydius materiæ medicæ, in 8.

Lydii

CATALOGUS.

Lydii (Hermanni) ſyntagma de re militari, & de jure jurando cum Not. Salom. van Til, in 4.

Marckii (Johannis) Oratio de Chriſtianiſmi propagati admirandis, in 4.

Nicolai (Joh.) tractatus de Siglis Veterum, in 4.

- - - De Sepulchris Hebræorum cum figuris in 4.

- - - Diſquiſitio de Moſe Alpha dicto, in 12.

De Pape (Abrahami) obſervationes ad conſilia JCtorum Batavicorum, 2. vol. in 12.

Perizonii (Jacobi) Juſtitia & neceſſitas belli publica oratione expoſitæ, in 4.

- - - Curtius vindicatus, in 8.

Pierce (Th.) primitiva regula reformationis contra novitates Romæ, in 8.

Soermans (Martini) regiſter van de Profeſſoren der Academie van Leyden en Utregt / in 8.

Theophilus de Urinis Gr. Lat. cum notis Th. Guidotii, in 8.

Triglandii (Jac.) laudatio Funebris Guilhelmi III. in fol.

- - - Diſſertatio de origine & cauſis rituum Moſaicorum, in 4.

Voet (Joh.) Elementa Juris, in 4.

de Volder (Burcheri) diſputationes de rerum Naturalium principiis, de Aëris gravitate, contra Atheos, contra Huetii cenſuram Philoſophiæ Carteſianæ, in 8.

Voſſii Grammatica Latino-Belgica, in 8.

van Yſſel Eccleſiæ Novi Teſt. fata ſecundum ſeriem ſeptem Periodorum ex Pſalm CX. in 8.